R

1250
1

7rexy
91371

URTH7

4° 9v625

Schuylkill

LB 536505

HENRICI LEONARDI SCHVRZFLEISCHI

NOTITIA BIBLIOTHECAE PRINCIPALIS VINARIENSIS

IVSSV

DVCIS SERENISSIMI

VVILHELMI ERNESTI

CONSCRIPTA

ACCEDVNT

CLAVDI SALMASI

IN CHRONICVM HIERONYMI LATINVM

VARIAE LECTIONES ET EMENDATIONES

E IIII PALATINIS CODICIBVS OLIM ERVTAE

ET NVNC PRIMVM CVM ERVDITIS EX VINARIENSI BIBLIOTHECA COMMVNICATAE

TVM ET

AD CHRONICVM EVSEBI GRAECVM ET ALTERVM PASCHALE

CASTIGATIONES ET ANIMADVERSIONES

PASSIM E SCHEDIS B. FRATRIS AVCTAE

ET LOCVPLETATAE

CVM ADIECTIS INDICIBVS

VITEMBERGAE

FORMIS SCHROEDTERIANIS ANNO cIↃIↃCCXII

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO
DOMINO
VVILHELMO ERNESTO
DVCI SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGRIAE ET VVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE MARCHIONI MISNIAE COMITI DIGNITATE PRINCIPALI HENNEBERGICO COMITI MARCAE AC RAVENSBERGAE DYNASTAE RAVENSTEINII
ETC. ETC. ETC

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

SERENISSIME PRINCEPS

DOMINE CLEMENTISSIME

Vod dudum omnium populorum, qui literarum ſtudia profitentur, conſenſione declaratum

tum eſt, SERENISSIME DVX, *Te inter maximos aeui noſtri literarum Statores ac Vindices numerandum eſſe: id gentium praeconium multis quoque innumerabilibusque munificentiae exemplis in bonas artes, atque ſanctisſimas diſciplinas, earumque cultores, magno Reipublicae literariae commodo ornamentoque abunde huc uſque praeſtitiſti, atque magna auctoritate et ſtudio undiquaque adeo adſeruaſti, ut ultro, et iure Tuo, hanc laudem TIBI aſſerere potueris. Eandem inuſitatae libe-*

ralitatis in literas literatosque benignitatem etiamnum quotidie auges, et, quo fructus beneficiorum hoc magis conſtent, eo plura inſtrumenta, non uulgaria quidem illa, neque eiuſmodi, quae in parietum cultum, ſed in ſapientiae, diſciplinarumque decus, ſeruantur, et Regnorum ac Principatuum Ancilia ſunt, Regio plane ſumtu, apparatuque, conquiris atque comparas, ut iure TE, SERENISSIME PRINCEPS, *noſtrorum temporum Philadelphum appellare queamus. Inde factum eſt, ut de-*

cus

cus Maiorum perpetuum, ac constans, et Potentissimae Domui Saxonicae peculiare, ac proprium, insigni laudis accessione cumulaueris, expectationemque omnium aut uiceris, aut praeoccupaueris, unoque uerbo, elegantiores literas eo usque foueris, ac curaueris, ut, si eae toto orbe exularent, credam, apud Serenissimum Principem, VVILHELMVM ERNESTVM, perfugium esse habituras. Iure igitur ac merito IE doctorum natio hoc nomine ubique locorum suspicit,

ac

ac celebrat, et inuictissimae Saxonum genti soli, ac TIBI *inprimis,* SERENISSIME DVX, *hanc gloriam tribuit, et fastiditas passim in Germania sapientiae disciplinas uitam, et salutis tantum non conclamatae restitutionem, laudisque quasi intermortuae redintegrationem, debere, uno ore atque sententia praedicat. Hinc illud, quod olim Iuuenalis de Imperatore Domitiano, literarum patrocinium simulante, falso gloriatus est, idem nunc uerissime de* TVA SERENITATE *dicen-*

cendum, TEque ſpem ac literarum amorem uocandum eſſe, nemo eſt, qui inficias ſit iturus. Hac ſpe fiduciaque fretus nunc SERENISSIMVM NOMEN TVVM *appello, et, quo pietatem et grati animi ſignificationem pro ingentibus in me collatis beneficiis adumbratione quadam publice teſtatam faciam, Notitiam hanc Bibliothecae Principalis VVILHELMO-ERNESTINAE, quae abs* TE *ortum ſuum ſibi uendicat,* SERENITATI TVAE *offero demiſſe, et ſpecimen*

hoc primum e Bibliotheca TVA depromptum editumque a me, obedienter trado, morem ueterum, reiecta tamen omni ſuperſtitione, ſecutus, qui primitias ſemper conditoribus ſuis conſecrare, conſueuerunt. Quare ut ille Iupiter prima mella, ab apicula allata, non reſpuebat, ita neque ego dubito, quin SERENITAS TVA *has demandatae ſpartae primitias ſerena fronte ſit acceptura: quod ut facere ne grauetur, ſubiectiſſime peto, maioremque in modum contendo. Ad extremum*

tremum Deum immortalem, Celsissimarum Propaginum ac Familiarum Statorem, supplex rogabo, ueneraborque, ut SERENISSIMVM DVCEM, *VVILHELMVM ERNESTVM, diuinitus datum regendae Saxoniae Principem, una cum stirpe Serenissima, Genteque uniuersa Saxonica, seruet, atque in solatium communis Patriae, ac praesidium Imperii Romani, et literarum, saluum semper florentemque omni rerum statu praestet, quo eius consiliis hoc rerum motu Europa*

pa concors, Germania inuicta, Saxonia felix, reddatur, et, Carolo VI nunc rerum potiente, immensa gloriae felicitatisque accessione augeatur.

SERENITATIS TVAE

Scribebam Vitembergae Saxonum
III Nonas Nouembreis
A. O. R. cIↃ IↃ CCXI

DEVOTISSIMVS

HENR. LEONARDVS SCHVRZFLEISCHIVS
CONSILIARIVS VINARIENSIS ET BIBLIOTHECAE
PRINCIPALIS DIRECTOR

NOTITIA BIBLIOTHECAE PRINCIPALIS VINARIENSIS

VMma fuit omni tempore Germaniae liberalitas, neque in bello magis, quam pace, eluxit. Inprimis autem ingenuarum artium incrementa in lucro posuit, atque ingentibus sumtibus, ad fouendas literas omnino necessariis, large, liberaliterque, suppeditatis, sapientiae, doctrinarumque, studia auctoritate sua feliciter instaurauit. Reuera enim nec uni urbi, nec uni prouinciae, nec uni principatui, sed Imperio sanctissimo, Germaniaeque uniuersae, maxima iam inde olim laus enata est, adeo, ut, si, a rei militaris peritia,

cuius principatum plurimis abhinc saeculis consecuta est, discesseris, de literis etiam bene merita, ceteras nationes erudiisse potius, et ad capessenda accuratius humanitatis studia erexisse, quam industriam suam, fidemque, in tractandis disciplinis singularem, desiderari unquam uoluisse, uideatur. Longum foret, multis hoc loco circuitionibus uti, ac uetustissimorum Germaniae eruditorum mentionem iniicere, quaeque ipsorum instituta fuerint, operosius commemorare.

Enimuero me non praeterit, Guilelmum Postellum, uirum in omni quidem literarum et antiquitatis genere uersatissimum, sed in argumentis Historicis nimium saepe sibi indulgentem, et fabulas Annii sectantem, ad uetustissimorum Germanorum, Gallorumque, Druidas prouocare, eosdemque omnibus omnium gentium sapientibus, si aetatis rationem inieris, anteferre. Hos enim doctrina in orbe, qua solem occidentem spectat, ante floruisse, existimat, quam de Chaldaeorum, Aegyptiorum, Indorum, Graecorumque, eruditis quicquam auditum fuerit, aut memoriae mandatum. Hinc ipsum Pythagoram, qui regnante Tarquinio Superbo in Italiam uenit, ut in Tusculanis memorat Cicero, aut certe, quod parum discrepat, Seruio Tullo, si Liuium audire mauis, Philosophiam discendi causa ad eos profectum, atque inter VII Graeciae sapientes, uulgo percelebra-

bratos, Thaletem Milesium, in constituendo omnium rerum principio, aqua, illorum opinionem suam feciſſe, tradere non erubescit. Verum enim uero magnificentius haec, quam uerius, de Germanorum Druidibus iactantur, propterea, quod certum mihi, atque exploratum, sit, originem multo recentiorem apud Germanos iis esse adscribendam. Vetus enim Druidum patria fuit Britannia, ex qua sodales eorum, atque sacerdotes, in continentem egressi, Galliam primum institutis, moribusque, suis erudierunt. Neque inficior, literarum peritiam illis in laude positam fuisse, quippe, quas, et ad ingenii cultum, et ad uitae usum, peraptas, minime ignorabant.

Quando autem in Germaniam intrarint, non definiunt scriptores, nec aperte tradunt. Constat tamen, eos Galliae finibus se haud continuisse, nec solum in Germaniam, sed finitima etiam regna, speciatim V, a Christo nato, saeculo exeunte, quo Franci Merouingi in Gallia, armis subacta, praeeunte ipsorum Rege Clodouaeo, huius nominis I, Christi sacra amplectebantur, admonitique a Romanis Pontificibus, barbaros, impiosque, ritus ex ciuitate Christiana proscriptos, regno suo exterminabant. Franco-Galliam igitur relinquentes, profanae superstitionis latibula ad Mosellam, Rhenum, Danubiumque, fluuios, deligenda, et sub quernis frondibus, annoso

robore et altitudine prae ceteris se commendantibus, instituenda, atque instauranda rati, nouis ibi auspiciis et uaticinari, et philosophari, et sacris operari, coeperunt. Porro autem in regiones, trans Rhenum sitas, profecti, Boios, Hessos, Thuringos, Venedosque, adierunt, retentoque pristino religionis more, atque instituto, densas nemorum latebras, absconditosque lucorum recessus, quantum fieri poterat, quernae frondis, et uisci colligendi causa, conquisiuerunt. Quamobrem pro recentiore Druidum in Germaniam aduentu pronunciandum censeo, nec patior, ut auctoritas Caesaris, negantis, sub illud tempus, quo de Gallis scripsit, in Germania extitisse Druidas, cum Tacito imprudenter committatur. Ex hac enim male collegit Elias Schedius, eumque secuti, Germanorum sacerdotes ex eorum numero fuisse, qui Druides nominantur. Quum uero hi literarum, et Philosophiae, auctore Caesare, non imperiti fuerint, apud Germanos tamen uiri aeque, ac feminae, literarum secreta ignorarint, prout conceptis uerbis Tacitus testatur, non uideo causam, quamobrem sapientes, ac docti, Druides rudes inter, simplicesque, Germanorum ueterum sacerdotes quaerantur.

Idcirco fabulosas res consectari nolo, nec gentis nostrae gloriam artibus hisce, ac commentis, multum amplificari, contra, quam nonnulli sibi persua-

ſuadere uidentur, merito ſtatuo, atque aſſeuero. Suppetunt enim alia uirtutum Germanorum decora, ac praeclara laudum argumenta, quibus ceteris nationibus praeluxerunt, omnesque iisdem ſuperarunt. Demus itaque, antiquiſſimos maiores noſtros literarum cognitione deſtitutos fuiſſe, nec ſapientiae ſtudium magnopere curaſſe. Enimuero in aliis uirtutum generibus adeo excellebant, ut gentibus reliquis facile omnibus palmam praeripuiſſe uiderentur. Frugales enim, et laborum patientes, erant, atque a diſciplina, et uſu, potius, quam a literis, et libris, ſapientiam, ut ex Tacito abunde cognoſcimus, hauriebant. Inprimis autem fide, et peritia bellandi poſteris lumen praeferebant, imperia condebant, et prouincias in poteſtatem redigebant. De Deo etiam reuerenter ſentiebant, potiusque credere, quam ſcire, ſacra cupiebant, et plus apud eos boni mores, quam alibi bonae leges, ualebant. Diſciplina mores ſuos, bellique artes, formabant, fidem ſeruabant, pacta praeſtabant, nec otio relangueſcebant, ſed, bello continuo fere operantes, uirtute militari omnes ſuperabant.

Quibus conſtitutis, antiquiora tempora diligentius rimari ſuperſedeo, atque ad octauum a C. N. ſaeculum progredior, cui, ſi non initia Germaniae, literis eruditae, certe incrementa ſtudiorum, atque ingenuarum artium, longe maxima uindicanda eſſe,

puto. Etenim Carolus, re,ac nomine, Magnus, et ipſe literatus, et literis, literarumque doctoribus, inprimis fauens, externas etiam, Graecam Latinamque, linguas in Germaniam intulit, ſeuerioresque philoſophiae barbaricae diſciplinas feliciſſimis auſpiciis cum politiore literatura coniunxit, et commutauit. Hinc barbara illa, et antiquiſſima carmina, quibus, more gentis, res geſtae ueterum continebantur, ad poſteros propagari, ac literis conſignari, praecepit. Idem legatos per omnes imperii prouincias dimiſit, ut iuſtitiae, et aequitatis, curam ſuſciperent, Magiſtratus quoque idoneis hominibus mandauit, et, quod caput rei eſt, ſacerdotia ampliſſima conſtituit, quorum in Saxonia octo, Oſnabrugenſe, Halberſtadienſe, Paderbornenſe, Mindenſe, Verdenſe, Bremenſe, Monaſterienſe, Hildeſienſe, numerantur, et uulgo Epiſcopatuum nomine inſigniuntur. Nihil dicam de Laureacenſi, ac Sangallenſi, et compluribus aliis monaſteriis, quae, ab eodem inſtituta, olim non modo coetuum religioſorum ſeminaria erant, ſed ſcholas etiam priuatas repraeſentabant, in quibus, ut ipſi Monachi, et adoleſcentes Deo ſacrandi, religionis Chriſtianae myſteriis, liberalioribusque imbuerentur diſciplinis, omni animi contentione anniſus fuit. Neque in his acquieuit Carolus, ſed etiam de ſcholis publicis condendis cogitare, et conſilia inire, coepit, eoque nomine, prout Francorum annales ad annum

786,

786, uel ſecundum alios 787, commemorant, ex Vrbe Roma diſceſſurus, uiros, canendi, et ſupputandi, peritos, ac literarum gnaros, una ſecum in Franciam adduxit, ut rudem illius gentis populum excolerent magis, atque expolirent. Fuit hoc initium ſcholarum, in Gallia, et Germania, a Regibus Franco-Gallorum conditarum, praeſertim publicarum, ad quas etiam hominibus profani ordinis aditus patebat, quarum prima in palatio regio fuit, et Palatinae nomen habuit. Quod Caroli exemplum poſtea Praeſules, et Monaſteriis praefecti, ſecuti, ſcholas quoque publicas *Epiſcopalium*, et *monaſterialium*, nomine inſignitas, inſtituere coeperunt. Atque hae, ſi in ipſis monaſteriis habebantur, *clauſtrales*, ſin in loco, his proximo, exteriores appellari conſueuerunt. Tametſi uero antehac ſcholae maiores, et minores, in monaſteriis aeque, ac Praeſulum domiciliis, in Francia inſtitutae eſſent, priuatae tamen huc uſque, et ſacri duntaxat ordinis hominibus apertae, nec publici iuris factae, fuerunt. Neque hic ſermonem facio de Gallia, quamdiu Romanorum imperatoribus paruit, quo tempore celeberrimae in ea fuerunt ſcholae, ſed de illis temporibus, quibus Gallia in Francorum conceſſit poteſtatem.

Ceterum paulo ante haec tempora Fulda, benignitate Pipini, ac Carolomanni, conſilioque Bonifacii, Moguntini Praeſulis, A. C. 744 initium ſum-

sumsit, atque Abbatis fede ornata, praeitantissimisque deinde Doctoribus, e coenobio Picardiae Corbeiensi antiquo potissimum accersitis, adaucta, et locupletata, florere undiquaque coepit. Ibi Abbas Rabanus Maurus, Alcuini disciplinae quondam alumnus, postea Antistes Moguntinus, Vir, cui neque Italia tum temporis similem, neque Germania parem, habuit, primam cum Hildeberto in Germania Bibliothecam amplissimam, ueterumque scriptorum codicum multitudine instructissimam, ac breui post totius Germaniae celeberrimam, condidit, ipsamque adeo scholam eruditione sua non uulgari illustrauit, ut eo, tanquam ad communem bonarum artium officinam, non tam ab extremis finibus Germanos, quam Gallos, Scotos etiam, et Britannos, et Italos, magno numero confluxisse, edoceamur. Non minoris pretii librorum apparatu conspicuum paulo post factum est in Heluetia monasterium Sangallense, in quo uaria et multiplicia omnium disciplinarum ingenii monimenta, magno studio, atque impensis, conquisita, et in unum congesta, seruabantur. Ex isto processit Salomon quidam, Praesul postea Constantiensis, ab Isone in memorata schola liberaliter institutus, literarumque, et librorum, amore non parum inflammatus, quo acrius incitante, templum et multis ornamentis, et plurimis praesertim libris optimis, tam a se, quam ab aliis etiam auctoribus compositis, locupletauit. Ne-

Neque post Caroli Magni ex hac uita discessum sapientiae domicilia extrui desierunt, sed uirtus haec durauit in posteris, qui multis munificentiae exemplis hoc declararunt. Legimus enim, Ludouicum Pium, Caroli Magni filium, perliberalem fuisse, maxime erga ordinis sacri homines, multaque iis donasse, et donationes, a patre factas, confirmasse, et in uniuerso regno sanctum uitae institutum ab sacris sodalitatibus efflagitasse, literasque misisse, quibus Antistites admoneret, ut religionis Christianae incrementa diligenter curarent. Huius quoque testis est in Saxonia ad Visurgim noua Corbeia, quae auspiciis huius, atque Adelhardi imprimis opera, A. C. 822. coepta, et Abbatis dignitate est ornata. Percelebre hoc monasterium bibliothecam habuit, cuiusuis generis libris refertam, et monachos Germaniae doctissimos aluit, qui non modo ingenio floruerunt, sed etiam Patriam doctrinae monimentis illustrarunt. Quam pretiosa praeterea, Ludouico rerum potito, Hirsaugiensis Bibliotheca, fuerit, facile ex eo intelligere possumus, quod per ducentos ferme continuos annos multi, iique doctissimi, uiri, non interrupto ordine sibi inuicem succedentes, floruerint, atque eruditione sua non mediocri uniuersam Germaniam condecorarint, et in praecipua istius instrumenta, quae libros appellamus, inquisiuerint, eaque augeri, ac custodiri, cura-

uerint. Verum haec literis felicitas non diuturna fuit, et quemadmodum Respublicae uices suas, ac memorabiles conuersiones, habent, ut uix emergant e tenebris, et splendeant, quum subiti casus in eas incurrunt, et florentes inopinato deiiciunt, ac prosternunt: ita liberalium quoque artium studia suis iactantur fatis. Vix enim aeuo Carolingico literae caput extulerant, et se ab interitu uindicauerant, cum Ottonum imperio tenebris inuolutae situm non tantum et squalorem denuo induerunt, uerum etiam Monachi, uoluptatibus potius, quam studiis, dediti, nec memores, quod, quam late pateat literarum decus, tam acre studium ad augendum, ornandumque illud, adhiberi debeat, paucos intra annos instructissimarum etiam bibliothecarum thesauros, ut documento est Hirsaugiensis, adeo destruxerunt, ut uix unum alterumque alicuius pretii codicem inueniendum in plurimis earum reliquerint. Accedebant et saeculi mala, quae impendebant, irruptiones nimirum barbarorum, dissidia Procerum, multaque alia, quae barbariem in Germania mirum in modum augebant. Quas tamen difficultates Henricus Auceps, Rex Germaniae, et Ottones, Imperatores, Saxones, omnes superarunt, et durissimo hoc tempore fidem semper, atque constantiam, pacis iuxta, ac belli, tempore, domi, forisque, comprobarunt, nullamque rei bene geren-

gerendae occasionem praetermiserunt, atque tot uictoriis nomini immortalem gloriam et stirpi aeternitatem conciliarunt. Possem latius euagari in plures Germaniae nostrae antiquiorum temporum Bibliothecas easque copiosius commemorare; uerum quum plurimarum uel nulla omnino, uel pauciſſima hodieque restent uestigia, satius duxi, ad recentiora tempora properare, et quando, ac quomodo, hae tenebrae, ac nebulae, rursus literis obiectae, perauspicato, ac feliciter, dissipatae fuerint, non minori industriae contentione commonstrare.

Enimuero tum demum suus bibliothecis honos constitit, quum nobiliſſima illa arte, aeneis literis Scriptores excudendi, et plurima horum haud magno cum labore conficiendi exemplaria, excogitata, Aldi reperirentur extemplo, et Ascensii, et Bombergii, qui et Graecos, et Latinos, et Hebraicos etiam libros, non minori industria, quam felicitate, imprimendos curabant, indeque plura, quam antea factum erat, doctorum uirorum monimenta faciliori negotio et ab interitu uindicabant, et ad posteros transmittebant. Accedebant et illa laetiora tempora, quibus, uia ad comparandas, et gustandas, humaniorum literarum delicias iam aliquantum per Petrarchas, Vallas, Philelphos, Politianos, Chrysoloras, Bessariones, Apostolios, Lascares, Gazas, Musuros, Trapezuntios, Argyropilos, patefa-

cta duo inprimis Germaniae ornamenta, ac lumina, Eraſmus inferioris, et Melanchthon ſuperioris, praeeuntibus inprimis Rudolpho Agricola, Ioanne Reuchlino, aliter Capnione, Phorcenſi, et Alexandro Hegio effulſerunt, ſuaque doctrina Germanos non tantum ad Graecae, Latinaeque linguae ſtudium, uerum etiam ad omnia, et Theologiae, et Iurisprudentiae, et Medicinae, et Philoſophiae, arcana accuratius excutienda excitarunt. Sigillatim uero in Saxonia poſt Melanchthonem literas inprimis Graecas Camerarius inſtaurauit. Nec inficior, ei adiutorem in hoc ſtudiorum genere fuiſſe Moſellanum, qui laude ſua fraudari non debet. Quemadmodum uero cum elegantibus ingeniis ſic comparatum eſt, ut, niſi fautor iis, patronusque, obtingat liberalior, ac literarum Muſagetes, hebeſcant, eorumque uox ac ſpiritus torpere mox incipiant: ita, ſi absque Magnatum fuiſſet munificentia, ſenſim, paulatimque, in Germania etiam frigere coepiſſent eae, quae uix reuixerant, literae, neque longius ab interitu abfuiſſent.

Obuiam igitur huic periculo eundum putauit, Rudolphi praeſertim Agricolae ſuaſu, Ioannes Dalburgius, VVormacienſis Praeſul, qui, Heidelbergae in Palatinatu Electoris cancellarius, translatis eo multis egregiis monaſterii Lauriſhamenſis uoluminibus, Bibliothecam, bonis quibuscunque ſcriptoribus inſtru-

instructissimam, fundauit, ac posteritati consecrauit. Eo autem praemature demortuo, istud consilium Sereniſſimus OTTO HENRICVS, Elector Palatinus, singulari profecto, ac incredibili prope, erga diuinas, humanasque literas, amore et uoluntate ductus, bono omine executus est, et locum capiundae Bibliothecae destinauit, atque thesauros etiam aerarii non contemnendos, ad comparanda non apud Germanos tantum, sed etiam Gallos, atque Italos, cuiuscunque generis scriptorum monimenta large liberaliterque suppeditare haud dubitauit. Nec infeliciter processit hoc colligendae, et reponendae, Bibliothecae studium. Breue enim intra temporis interuallum tot uoluminum ornamentis, totque reconditae sapientiae fontibus, creuit Heidelbergae res libraria, inprimis sub Friderico IV, liberalitate Vlrici Fuggeri, ut uel hic Germania haberet, quam aut Vaticanae, aut Venetae, aut Mediceae, aut Oxonienſi, aut Regiae denique Pariſienſi, facile posset aequiparare Bibliothecam. Idem optimus reique literariae amantissimus, Vlricus Fuggerus, Raimundi filius, non tantum Palatinatui bibliothecam suam copioſiſſimam, selectissimamque, et mille aliquot Codicibus manu exaratis, tum Graecis, tum Latinis, tum Hebraicis, spectatissimam, sed etiam quindecim aureorum Rhenanorum summam legauit, ut quinque honesti, ingenuique iuuenes quotannis ex iis alerentur,

tur, pariterque, quae ad cultum pertinerent, una ſuppeditarentur.

Quare uenit in mentem mirari, cur Itali haud erubeſcant affirmare, Palatinam bibliothecam, ſi molem ſpectes, exiguam Vaticanae partem eſſe, cum tamen ipſos meminiſſe oporteret eorum, quae ante fatalia bibliothecae Palatinae tempora Vir omni laude mea maior, et eruditorum Princeps, Ioſephus Scaliger, de Indice bibliothecae Vaticanae ſcripſit. Nihil prorſus, ait, in eo reperi, niſi uulgaria omnia, praeter tres, quatuorue Mathematicos, quos tamen et ipſos tam in bibliotheca Palatina, quam in Regia, extare noui. Reliqua pergit, eiusmodi fuiſſe, quae ignorare praeſtet, quam unius iacturam horae in illis legendis facere. Cum his congruunt ea, quae in epiſtola quadam idem Scaliger commemorauit. Cuius etſi non uerba, tamen mens haec eſt: Palatinam facile praeſtare aliis, et bonitate Codicum Vaticanam non modo aequare, ſed etiam uincere, ac longe multumque ſuperare. At enim uero huic ſententiae haud obſcure ſuffragatur Caeſar Grolierius, ſed temporum rationes aliter ſubducit, et culpam huius rei omnem in Caeſarianum militem confert, eumque in expugnatione Vrbis Romae A. C. 1527. facta, bibliothecam Vaticanam diripuiſſe, multosque pariter ac egregios codices dilaceraſſe, aceruoque extructo, palam ſuccendiſſe, et deleuiſſe, atque adeo ingens damnum huic theſauro

ſauro intuliſſe, copioſe, ut teſtis oculatus, et qui direptioni urbis interfuit, et a praeſule Hiſpano ſeruatus eſt, aſſerit perinde, ac fatur. Quicquid huius ſit, ſi haec cum animo uoluo, reuoluoque, facile in eam ſententiam adducor, ut omnino affirmem, ſi ab eo tempore ſarta tectaque manſiſſet Heidelbergenſis, tantoque ſtudio, quo Vaticana, pacis temporibus a Principibus El. aucta fuiſſet, non modo praeſtantia ſua Vaticanae haud ceſſuram, ſed eandem magnitudine facile etiam ſuperaturam fuiſſe. Tanta uero haec olim in celebritate uerſabatur, ut omnes fere exteros ad ſe inuitaret, magnumque Germaniae decus conciliaret, nec puderet Viros eruditione ſummos, Salmaſium, Xylandrum, Sylburgium, Gruterum, Meurſium, Freherum, compluresque alios publicis confirmare teſtimoniis, ſe ex hac profeciſſe, et plurima doctrinae adiumenta habuiſſe, pleraque excerpſiſſe, ac libros editos cum Palatinis codicibus utili perinde, et haud illaudabili ſtudio contuliſſe. Hinc difficile creditu eſt, Romam deuehendam tanta, quanta ferebatur, librorum optimorum copia, inſtructam haud fuiſſe: quanquam ultro confiteor, maiorem eius partem Romam haud peruenisſe, ſchedis multis, ac reliquiis amiſſis, diplomatibusque diſtractis aut crematis, imo uel ab ipſo Leone Allatio, negotium curante, et incomparabilem theſaurum trans Alpes Romam usque deferente, ingentibus uoluminibus diuenditis, iuxta alienatisque. Pala-

Palatinam excepere innumerabiles in Germania tam inferiori, quam superiori, aliae, quibus omnibus palmam praeripit Vindobonensis, quae a Friderico III Imperatore inchoata, et Maximiliano I cura inprimis Conradi Celtis, maiorem in modum aucta et propagata, posterioribusque temporibus, priuatis Cuspiniani, Lazii, Sambuci, Busbequii, Blotii, Streinii, Tengnagelii, Lambecii, et praecipue Fuggerorum, Bibliothecis in eam translatis, ad id fastigium perducta, ut, quemadmodum Vaticana Italiae, ita Vindobonensis non Germaniae tantum, sed totius Europae nobilissima habeatur et celeberrima, neque adeo ulli Bibliothecarum, quae hodie in orbe terrarum praecipuo loco collocantur, uel copia librorum, uel dignitate, et innumerorum codicum manu exscriptorum praestantia, cedere uideatur. Quod uero de Augustana, et Ingolstadiensi, itemque Chemica Monachiensi alii produnt, easdemque mirum quantum praedicant, et admirantur, parum me commouet, ut a sententia mea discedam, et Vindobonensi anteferendas esse concedam. Tametsi enim singulae istae suas admirationis causas habeant, nihilominus tamen cum Vindobonensi, si Graecorum MSS. ex Oriente allatorum, aut etiam Chemicorum tantummodo copiam respicias, componi haud merentur. Horum enim in illa tantum inire poteris numerum, quantum in aliis librorum editorum

rum, uix inueneris. Auguſtam uero hanc Bibliothecam noſtra patrumque memoria ornauit, amplificauit, et quaſi inſtaurauit inuictiſſimus Heros Leopoldus, maximus doctiſſimuſque Imperator, nunc Diuus, et non de ſuis tantum temporibus, ſed et de praeteritis, et futuris glorioſiſſime promeritus. Is enim mutos antiquiſſimorum ſaeculorum magiſtros, e foediſſimis ſpurciſſimiſque barbarorum cataſtis in libertatem uindicauit, et ab interitu et tenebris in lucem produxit, pariterque reliquias Bibliothecae Matthiae Coruini, Hungariae Regis, cui ſimilem orbis Europaeus non uidit, ſi Ioannis Alexandri Braſſicani uerba fidem inueniunt, colligi, et una cum bibliotheca Lambeciana in auguſtiſſimam ſuam, immortali poſterorum bono, inferri iuſſit.

Neque Saxones in amplificandis literarum ſtudiis, ullam operam in ſe deſiderari paſſi ſunt, ſed his immortalitati laudum ſuarum cumulum addiderunt. Mature enim intelligebant, Reſpublicas illas diutiſſime ſemper floruiſſe, quae literarum diligentem habuiſſent curam, et in quibus liberalium artium, atque linguarum ſtudia florentia extitiſſent; contra uero, quae ea neglexiſſent, aut nefarie exterminaſſent, res ſuas parum feliciter adminiſtraſſe, imo prorſus tandem hoc tam ſalutari praeſidio nudatas, interiiſſe. Quo factum eſt,

ut Saxonia, nec literarum olim fuerit expers, neque minus, quam ceterae Germaniae regiones, cum ſtudia praeſertim reſurgerent, reliqua Europae regna eruditione ſua prouocaret, ſacraque pariter ac literas in priſtinam dignitatem uindicaret. Poſſem hic multis Lipſienſem Academiam, Pragenſis filiam, in teſtimonium euocare, recitareque, quantis ſumptibus, quantaque cura, labore, et diligentia hoc ſapientiae domicilium ibidem aperuerit laudatiſſimus Princeps Fridericus, cognomine Bellicoſus, primus Marchionum Miſnenſium Imperii Romani Septemuir Saxo, et quam benignum erga diſperſas et exulantes in Boiemia Muſas ſe declarauerit Patronum: quippe quas non ſolum cum optimo fratre VVilhelmo liberaliſſime tuendas, fouendaſque ſuſcepit, ſedemque iis conſtituit; ſed etiam praeſidiis neceſſariis, maximiſque reditibus ſuffulſit ac locupletauit, adeo, ut non ad perplura ſaecula, ſed ad perpetuitatem quandam omnia comparata uideri poſſent. Porro non alienum a meo inſtituto fore putarem, Mauritii, et Auguſti, conſequentiumque Principum El. benignitatis exempla in hanc ſapientiae ſedem collata, hoc loco commemorare. Verum cum de his et Bibliotheca iam multi harum laudum praecones ante me extent, ultro libenterque hoc labore ſuperſedendum exiſtimaui.

Quod

Quod si Vitembergam tantummodo nostram respicimus, non potest non memoriam illa recordatio refricare optimi piissimique Principis El. Friderici III, Sapientis nomine omni posteritati, literas amaturae commendatissimo, insigniti. Namque hic Princeps El. sine exemplo maximus, et Augustus, cum uacaret Augusto imperium, designatus, et quum honorem istum deprecaretur, a recens electo imperii capite pater Imperatoris appellatus, non tam praeclaro Maximiliani AVG. instituto, quod in omnibus omnium Septemuirorum imperii ditionibus Academiam condendam sanciebat, prudentissime obsecutus, quam ingenita naturali quadam animi in literas propensione inductus, eo unice allaborauit, ut munificentia sua reuiuiscentes literas, et nihilominus fugam iamiamque minantes, sisteret, foueretque benignissime, ac sustentaret. Recte igitur sapientissimus Septemuir secum reputabat, quod haec sint illa, in animis hominum mansura, monumenta, quae nulla temporum iniuria deleat, nullaque diuturnitas consumat. Moles, ~~Mausoela~~, sine sensu, et ratione stant, et fracta tandem prolabuntur: sola principum munificentia per se inuicta, et sempiterna est, et, Deo beneficium remunerante, fortunatur. Quamobrem Vitembergae non tantum ineunte saeculo XVI sedem literis constituit, domiciliumque eruditionis

Mausolea

collocauit, et Academiam hanc, quasi campum exercendae industriae, aperuit, ac artes et disciplinas humano generi necessarias, sed a barbarie foedatas instaurauit, priuilegiisque amplissimis exornauit; uerum etiam in Germania sapientiae instrumenta, libros uidelicet rariores, summa industria indagari iussit, ac inprimis Melanchthonis, instauratoris literarum ac uindicis, imo Germaniae praeceptoris, consilio, per Italiam, Galliasque habuit, qui maximis sumtibus codices in usum recens institutae Bibliothecae compararent.

Tametsi uero tanti Principis, et auctoritate potentis, prudentia admirabilis, morte, res libraria magnam iacturam fecerit: nihilominus tamen Deus statim excitauit Ioannem, Electoratus heredem, qui fratrem diuum exaequauit beneficiis et firmitate animi erexit Saxones, ut, a dolore ad laetitiam reuocati, spem in bonitate Principis reponerent, et metu, ac solicitudine leuarentur. Hic enim similem plane uoluntatem ad ornandam Academiam, amplificandasque fortunas attulit, neque in religione stabilienda, et in Bibliotheca instauranda, et locupletanda suum desiderari passus est studium, propterea, quod libris multis, et selectis eandem auxit, nec parum splendoris, atque ornamenti tot tantisque munificentiae exemplis Academiae suae adiecit. Verum enim uero Patrem, et patruum, tan-

tantum non ſuperauit Ioannes Fridericus, ob ſummam in emendata religione conſtantiam Magnanimi cognomine inſignis, uel dandis profecto cumulandisque beneficiis cum iis certauit, et plura, quam omnes ſperarunt, maiora, quam cogitarunt, perfecit. Cum igitur Magnanimus Princeps El. animaduerteret, quanta commoda, ornamentaque ex literarum ſtudiis, feliciter, et dextre excultis, in religionem, latius propagandam, Remquepublicam proficiſcerentur, nullis unquam ſumptibus pepercit, quibus hanc bibliothecam laudabili inſtituto non modo conſeruaret, ſed etiam ornaret magis, et amplificaret. Recte enim, ſapienterque iudicauit, religionem absque literis non tam commode tradi, neque literas absque religione florere, neutram autem feliciter conſeruari, et ad poſteros transmitti poſſe, ſi nulla bibliothecarum cura habeatur. Quo uero promptius hoc perficeret, non ſecus, ac alterum Philadelphum ſe praeſtitit, et ut ille Demetrii Phalerei opera, ſic optimus Princeps El. noſter uiri rarioris tum temporis doctrinae, et eruditionis, Georgii Spalatini induſtria uſus eſt, qui ultro libenterque iuſſui uoluntatique indulgentiſſimi Principis El. obtemperans, in conquirendis libris, et excutiendis bibliothecis nullum praetermiſit ſtudium, ſed, quanta potuit contentione, munere ſuo perfunctus eſt, totque libros

codicesque in bibliothecam intulit, ut non modo e uicinia, sed e longinquis quoque, et disiunctissimis locis, ad uisendam eam, uiri docti allicerentur.

Tametsi uero nunc Vitemberga optabat, ut rara maximaque huius thesauri possidendi felicitas ei perpetua esset, res tamen aliter cecidit, et casu subito non sine ingenti Academiae huius detrimento, mutata fuit. Tempora enim consecuta sunt, quae tranquillitatem literis eripuerunt, Saxoniamque contrariis Principum studiis, et uoluntatibus distractam, bello afflixerunt. Horret animus, uulnera et plagas, quas accepit, nec permittit, eas huc referre; sed tantum commemorare sufficit, quod post fatale ad Muhlbergam proelium, quo religiosissimus principum castris exuebatur, atque ita foedus Smalcaldicum, quo nullum Caesari inuisius, nullum formidabilius fuit, finiebatur, A. C. cIↃ IↃXL VII ex hoc sapientiae domicilio, atque ex Saxonia, in Turingiam migrarit. Auehendam enim Carolus V eam permisit, filiisque Ioannis Friderici illibatam intactamque ab Harpyiis Hispanicis conseruauit. Ita euenit, ut, temporibus deinde paulo pacatioribus, fortissimus Heros tam nouae Ienensis Academiae fundamenta iacere, quam maiores in Bibliothecam hanc, nouae sapientiae sedi consecratam, sumptus impendere, eamque omni rarissimorum librorum genere abundantem praestare non intermiserit.

Quod

Quod parentis optimi exemplum filii, paternarum uirtutum aemuli, pariter atque horum posteri, imitati sunt, ac rem Academiae suae librariam quotidie augendam amplificandamque susceperunt. Atque inter hos Principe loco commemorandus est ERNESTVS, cognomine Pius, Princeps diuina uirtute sua semper in oculis hominum exsplendescens, cuius laudes ipsae sibi monimenta et testes sunt, quae nulla temporis longinquitas conficiet, ac delebit, nulla uetustas obruet, neque obscurabit. Etenim Gothanam is instruxit bibliothecam, eandemque cum quibusdam aliis, Altenburgensi Pflugiana, Historicis refertissima, Gerhardina, copiam librorum maximam exhibente, locupletauit. Quodsi autem reliquos Sereniſſimae Domus Saxonicae Principes, ac Electores, qui literas fouerunt, eisque uelificati sunt, in praesenti fusius enarrare, debitisque laudum praeconiis ornare uellem, profecto pertexendae huic materiae liber suffecturus haud esset. Quis enim est, qui nesciat Mauritii amorem, quo Academiam Vitembergensem amplexus est? Filiae enim loco habendam iudicauit, et, constituta quasi de integro dote, locupletauit magis, et multo amplioribus praemiis ornauit. Quem fugiunt tanti Herois liberales in aperiendis tribus prouincialibus Saxoniae ludis, Portensi Grimmensi, et Misenensi, atque in adiiciendis eisdem per Fabricios, Siberos, Biblio-

bliothecis, ſumptus? Quis ignorat immortalia Auguſti, Academiae Vitembergenſis, prope bello euerſae, inſtauratoris, et ſacrorum, a maioribus emendatorum, conſeruatoris pariter, et Bibliothecae Dresdenſis fundatoris, merita?

Neque exteri haec ſilentio praetermiſerunt, ſed pro me ſuffragium tulerunt, atque una ſententia prolixiſſimum Septemuiri noſtratis erga literatos animum comprobarunt, atque ad coelum uſque pro eo, ac par eſt, ſummis laudibus, extulerunt. Vnum reliquorum nomine teſtem adducam locupletiſſimum, fama, meritisque illuſtrem, Henricum Stephanum, qui Principem El. Auguſtum literarum ſtatorem maximum fuiſſe, ſemper in magnae molis libro, quem theſaurum linguae Graecae compellauit, et Lutetiae Pariſiorum in lucem emiſit, publica inſcriptione teſtatus eſt, hocque nomine Saxoni aeque, ac reliquis ſtudiorum ſtatoribus, conſecrare opus ſuum, non poenitendo conſilio, animum induxit. Qui munificentiſſimus Princeps glorioſo etiam exemplo effecit, ut inſigniores Rhodomanni libri in Dreſdenſem bibliothecam inferrentur, quam conſequentium temporum Principes El. inſigni luculentaque Taubmannianae bibliothecae accesſione locupletarunt. Quid Ioannes Georgios commemorem? Quid denique, ut ad noſtra quoque accedamus tempora, Auguſtum noſtrum, uere Auguſtum? Sane qui neſcit eorum

maxi-

maximam in ſtudia fouenda, bibliothecaſque amplificandas, munificentiam, dignus eſſe uidetur, qui a Muſis omnibus, et omnibus eruditis hominibus neſciatur. Eorum enim cura factum eſt, et prouidentia, ut cum antea uix una uel altera, tantum Academia aliquo bibliothecae apparatu gauderent, iam non Academiae modo theſauros iſtos poſſideant, ſed et ſcholae, et collegia, et priuatae denique aedes cum publicis munificentia, in bibliothecas erogata, ſuſtententur clementiſſime, atque undique exornentur. Quamobrem non amplius habent exteri, quod Saxoniae noſtrae exprobrent, atque obiiciant, non poſſe uidelicet ſolide eruditos in his terris, quae bibliothecis careant, reperiri, odioſe olim criminando ingeminantes. Si enim quis Fabricios, Siberos, Rhodomannos, Neandros, Barthios, Buchneros, Reineſios, Boſios, Thomaſios, Daumios, alioſque complures eruditisſimos uiros, quos inter B. fratrem meum nominare modeſtiae leges uetant, ſolida eruditione caruiſſe, aut ſine optimis bibliothecarum ſubſidiis tantam ſibi comparaſſe doctrinam aſſeuerarit, hunc certe omni deſtitutum eſſe iudicio, iure meritoque pronuncio, propterea quod literatos hoſce Heroas non tantum a ſui amantiſſimis, ob doctrinae copiam ingentemque eruditionis apparatum, in coelum efferri, ſed etiam ab aemulis admiratione non

tralatitia coli, et obſeruari, quotidie edoceamur.

His itaque, pro eo ac decet, probe conſideratis, quantae gratiae, quantaque laudum praeconia in Serenisſimum Principem GVILELMVM ERNESTVM, Saxoniae, Iuliaci, Cliuiae, Montium, Angriae, et VVeſtphaliae Ducem et reliqua, redundent, eo quod inſtructisſimam cuiusuis generis libris in capite urbium ſuarum bibliothecam aperuerit, non eſt, ut paucis exprimamus. Merito ſane benigniſſimo Numini tantas gratias agere debemus, quantas mente humana concipere poſſumus, maxime, quod terris, quae Saxonum poteſtate continentur, tales diuinitus delectos concedere, et largiri dignetur Principes, Patreſque Patriae, quorum tutela, ac patrocinio, tum diuiniora ſacra, nitantur, tum res literaria ſarta tectaque perſeuerare, ac quam latisſime florere queat. Nos autem in praeſenti non ſtatuam uel aram, quo honore ſuperſtitioſi olim pagani Heroas ſuos, ac Principes, venerari ſolebant, ponendam Serenitati eius reputamus, quum apud noſtratium ſingulos maximus hic Princeps immortalis ſit, nemoque, Muſarum inprimis ſacris uel leuiter initiatus ad aram ſacram procumbat, quin ipſum ſaluum ac ſoſpitem eſſe diutisſime uelit, ac pro proſpera eius ualetudine apud praepotentem DEVM deprecetur.

Ipſe uero quantus pietate, quae in uirtutibus fami-

familiam ducit, quantuſue literis ab ineunte ſtatim aetate fuerit, neminem fugere arbitror. Quod enim magnis plerumque animis proprium eſt, ut uim ingenitam, et maiorum uirtutis imitatricem, exerant facile, et leges annorum anteuertant, idem optimo, et togati ordinis principi noſtro accidit, cuius animus ad ſumma erectus, confeſtim ſe a multis, aequalium ſuorum diſtinxit, et ubiuis maximam ſui excitavit admirationem. Itaque uix decem annos natus Orationes uarii argumenti, et rerum grauitate inſignes, et uerborum elegantia politas, non ſuopte tantum ingenio elaborauit, ſed et cum admiratione omnium, qui praeſentes erant, habuit, atque hoc ipſo diuinam indolem, quae ineuntibus quoque annis egregium aliquid, nec cum multis commune, ſpirabat, commonſtrauit. Enimuero non contentus auſpiciis domeſticae inſtitutionis, aliquando poſt foris etiam altioris doctrinae vias perquirendas cenſuit, atque Ienenſem Academiam, a maioribus ſuis conditam, capiendi maioris cultus cauſa, ſibi delegit, et ibidem ea potiſſimum conſectatus eſt, quae ſunt magna, inuſitata, illuſtria, ac cum laude et dignitate coniuncta, inprimis uero iis artibus ſedulam operam dedit, quas Reipublicae non minus, ac Rerumpublicarum moderatoribus, ſciebat profuturas. Adulta iam uirtus, et communi applauſu tribus annis comprobata, oſtendere ſe geſtiebat nationibus exteris, ut alios ad pares laudabileſque conatus in-

citaret, ipſeque uſu et experientia magis ſe confirmaret. Perluſtrabat ergo cura diligentiaque ſingulari nobiliſimas Europae regiones, non ut uitiis, prauiſque moribus antiquam uirtutem germanam obſcuraret, ſed ut perdiſceret mature, quae gentium ſint uoluntates, quæ ſtudia nationum, quae imitanda honeſta, quae turpia fugienda.

Tanta autem praeſtantiſſimarum rerum cognitione ſuffultus, quum non multo poſt ad Ducatus Vinarienſis gubernacula acceſſiſſet, clauuſque imperii tenendus ac moderandus traditus ipſi fuiſſet, ac Pater Patriae ſalutatus, non exprimi uerbis poteſt, quanta in eo adminiſtrando eluxerit eius prudentia, uel quanta perfecerit uigilantia, ut ditionum paternarum incrementa promoueret. Tam enim fines regionum ſuarum auxit, quam leges, ſalutem, tranquillitatemque publicam ſtabilientes, partim renouauit, partim de integro ſanciuit, eoque ipſo docuit, quantum a Dracone aliquo Solon diſtet, et quantum iuſtitia, literis imbuta, ab altera illa, elegantiora ſtudia uel neſciente, uel parum curante, ſeiungi, ac ſeparari mereatur. Neque in his benignitatis ac clementiae exemplis acquieuit, ſed urbes quoque condidit, et oppida nouis ornauit priuilegiis, atque magna diligentia res praeſentes conſtituit, et ueluti in quadam altiori ſpecula conſtitutus praecepit animo,

et

et prouidit remotisſima, quaeque periculo patriae futura uidebantur, tam ſapienter et mature auertit, ut hinc facile conſtare poſsit, quam uerum ſit, quod, auctore in epiſtola ad Quintum fratrem Cicerone, Plato exiſtimauit, tum denique beatas fore Reſpublicas, ſi aut docti et ſapientes imperarent, aut qui ſummae, rerum praeeſſent, omne ſuum ſtudium in doctrina et ſapientia penitus cognoſcenda, collocarent.

Hoc ipſum igitur in cauſa fuit, cur pro ſua in Deum uera illa, ac minime fucata, pietate declaranda, quae omnis felicitatis, uirtutumque origo eſt, atque conſeruatrix, tot gloriae ornamenta in gentem ſuam intulerit, et pretioſiſſima religioſi cultus pignora poſteris ſtatuerit, et non tantum ſacerdotium Vinarienſe nouis muneribus ſuis auxerit, impendiis ſpeciatim ac Diacono, quem uocant, recens a ſe conſtituto, in mandatis dederit, ut priſco Eccleſiae more *Catecheten* ageret, ac rudiorem et tenellam aetatem ſummis Chriſtianae Religionis capitibus imbueret, puroque illo, ac ſimplici Catecheſeos lacte inſtillato, eos ad myſteria ſacra altius indaganda, percipiendaque, praepararet: uerum etiam pium, benignum, munificum prudentemque Lyceo Vinarienſi ſeſe praebuerit, ut ſemper in eo ſumptibus ſuis aliquot iuuenes ingenui, qui uirtutem ament, doctrinamque expetant, in ſpem patriae formentur,

atque erigantur. Quum uero ipſe, indiciis minime fallentibus, deprehenderet, atque obſeruaret, ſororem plerumque bonae mentis eſſe paupertatem, eosque, qui premerentur illa, quibusque res domi anguſta obſtaret, haud facile poſſe emergere, Principe dignum beneficium ratus eſt ſe facturum, ſi non tantum de uictu liberali alumnis duodecim proſpiceret, ſed etiam moderatorem, et Ephorum, qui ad pietatem illos, ſtudiaque excitaret, et ſerio adhortaretur, adiungeret, ne uaga iuuentus, in deuia deflectens, beneficii iſtius rationem habere negligeret, tempusque, ac ſumptus, in ipſam factos, male collocaret. Quodſi igitur haec demum uera ſunt beneficia, quae non precibus efflagitata, aut pretio extorta, ſed et uoluntaria benignitate, et natiuo in benefaciendos amore, proficiſcuntur, ac citra ullam petendi moleſtiam eadem optantibus largiuntur, quis tam perfrictae frontis ſit, et tam temerarius, qui negare auſit, commemoratis iam non minus, quam compluribus aliis ueriſſimis munificentiae tanti Principis documentis, et monimentis, a ſera olim, et grata, ſi quae futura eſt, poſteritate, iuſtiſſimum ſemper pretium ſtatutum iri? Interea tamen hic minime ſubſtitit Princeps feliciſſimus, neque de ſubditis ſuis, aliisque optime merendi finem fecit. Inſitum enim eſſe coeleſtibus uidetur animis, ut, quae copioſe ab aliis optent adipiſci, ea ipſimet large effuſe-

ſeque deferant, ac patrocinio ſuo non indignis impertiantur. Quum proinde Reipublicae literariae utique intereſſe cerneret, Bibliotheca Vinariam, caput ditionum ſuarum, urbemque elegantia moris, et tanti Herois ſede, domicilioque, clariſſimam, augere quam inſtructiſſima, non prius deſtitit, quam ea et copioſiſſima et ſelectiſſima potiretur. Tanta eam adornandi cupiditate flagrabat, ut cum Ptolomaeo Philadelpho, aut cum Pergamenis Regibus certamen initurus uideretur. Vellem hic, ut facundia pro uoluntate ſuppeteret, ampliſſimumque ſcribendi argumentum, quod rerum magnitudo ex animi ſententia facile ſuggerit, ſermonis elegantia, ac copia, iuuaret, quo tanti Principis, publico mortalium conſenſu bonarum artium Praeſtitis, ac ſeculi noſtri Muſagetae, uirtute, pro eo ac par eſt, praedicare, et meritis laudibus ad coelum extollere, resque omnes, ab ineunte aetate ad noſtra usque tempora glorioſiſſime geſtas, digne ſatis memoriae prodere, ac poſteris commendare, poſſem. Licet autem facile intelligam, uotis meis non omnino reſponſurum eſſe euentum, nihilominus tamen partibus meis non ero defuturus, atque ante omnia Principalis Bibliothecae incrementa, ac praeſentem eius faciem, breuiter ſtrictimque, ſum commemoraturus.

Prius uero, quam ad rem ipſam accedam, non poſſum non mentionem iniicere tam admirandae curio-

curioſiſſimarum rerum ſupellectilis, quam theſauri numarii, et pretioſiſſimarum gemmarum, in arce VVilhelmina aſſeruatarum, in quibus comparandis, ac redimendis nulli labori, nullisque ſumptibus laudatiſſimus, et in gloriam gentis ſuae natus, atque educatus, Princeps pepercit. Neque hucdum hos minuit, et remittit, ſed infinitos quotidie in has gazas impendit, multisque Muſarum ſcriniis, pro ſummo in literas amore, et ſtudio, inſigniter locupletat. Nominatim igitur in principali Cimeliarchio quam plurimae, eaedemque tum longiſſimam antiquitatem, tum tempora paullo recentiora referentes, uel ſimulacra Deorum, uel effigies hominum, tam Graecorum, quam Romanorum, uel utrorumque, res geſtas repraeſentantes gemmae, neque unius magnitudinis, neque unius pretii ſumma, artificum cura exciſae, aut inciſae, conſpiciendae, curioſis harum rerum indagatoribus praebentur. Habes hic lapides Lazuli, habes Onyches, habes Sardonyches, habes Iaſpides, habes Achates, habes Smaragdos, habes Carneolas, habes margaritiferos, habes multos alios, quos iam praetereo, lapides pretioſiſſimos uel harum rerum peritisſimos in admirationem rapientes. Ad numiſmata autem quod attinet, tanta illorum iam copia inuenitur, ut nec ueteres, tam Graecorum, quam Romanorum, nec recentiores, quae quidem care aeſtimari merentur, monetas iure meritoque

que desiderare possis. Nihil dicam hic de incomparabili Saxonicorum numorum thesauro, a Principe nostro non parua pecuniae summa comparato, cum libri Tenzeliani hoc nomine pleni sint, iustissimisque laudibus, pro eo ac par est, illum extollant, et pro me loquantur. Praetereo lubens naturae curiosa, ac speciatim Museum, in quo insignem rerum naturalium, fossilium, plantarum exoticarum, animalium peregrinorum, et concharum rariorum, elegantissimisque coloribus distinctarum, et si quid est, quod ab arte, et uetustate, aliquam meretur laudem, congeriem, spectare licet, ut in stuporem det spectatores.

Omnibus uero palmam praeripit sola, quae ibi asseruatur, Bibliotheca. Enim uero hanc uariis in itineribus, per Belgium, Angliam, Italiam, Galliasque, multos per annos susceptis, maximis collegit impensis Vir perquam Illustris, ac singulari eruditione praeditus, BALTHASAR FRIDERICVS A LOGAV, Baro Silesius, atque Vratislauiam, urbem fere regiam, quae decus ornamentumque totius Silesiae est, omniumque rerum ac ingeniorum copiam habet, ut ibi reconderentur, libros, magno numero coemptos, perferri curauit, ac uirum, haud uulgaris doctrinae copia instructum, Christianum Gryphium, in consilium adhibuit, atque ab ea bibliotheca esse uoluit. Vratislauiam ergo ad D. Mariae

Magdalenae aedem, duo inter conclauia seruata, nec solum possessori suo, Silesiorum Peirescio, atque Pinello, uiroque non doctrina minus, quam generis nobilitate insigni, sed omnibus quoque literarum cultoribus, patuit pariter, atque ab his frequentata fuit. Quanta autem pecunia, quantisque impendiis comparata fuerit, uel inde constat, quod laudatus Gryphius trigesies mille, et plures, numos unciales, non aestimatis librorum integumentis, eae instruendae uix sufficisse confirmarit. Quum igitur post illustrissimi Baronis obitum in eo iam res esset, ut tam selecta, tamque excellens, bibliotheca auctionis lege diuendenda statueretur, perauspicato interceſſit apud Principem suum sereniſſimum, VVILHELMVM ERNESTVM, perquam Illustris atque Excellentissimus Dominus, Georgius VVilhelmus a Reinbaben, iam Aulae Ducalis Saxo-Vinariensis Marescallus splendidissimus, cuius uel hoc nomine, donec pretium erit huic bibliothecae, omnes, literas amantes, non sine debita honoris praefatione, recordabuntur, ipsique bibliothecam hanc, summa cura maximisque sumtibus collectam, de meliori commendauit, eamque ampliſſimo, aequissimo tamen, pretio comparari posse, mature submonuit, atque emendam recte prudenterque suasit. Quod saluberrimum consilium non negligendum putauit Princeps optimus, sed peropportune oblatam, ac uelut in manus traditam,

de

de re literaria immortaliter merendi, nomenque suum uniuerso, qua literis cultior est, eritque, orbi aeternum consecrandi occasionem auidissime arripuit, atque ante annos hos VIII eandem, ab heredibus numerata pecunia redemtam, Vratislauia, Secretarii sui cura, per Viadrum, Albim, et Salam, Halam usque Magdeburgicam nauibus transportandam, indeque Vinariam auehendam, et in arce splendidissima VVilhelmina reponendam curauit. Inde perspicere licet, non ex spoliis, et praedis gentium hostiumque, ex quibus Aemilii Pauli, Luculli Syllae, Augusti Caesaris, aliorumque Romanorum Heroum, et Imperatorum, bibliothecae coaluerunt, hanc fuisse conflatam, sed Principis sui aere paratam, iustissimoque emtionis titulo ad ipsum, Serenissimamque Domum, delatam. Coniuncta autem fuit cum Lilienheimiana, et principali Ienensi, quae iam aderat, bibliotheca non contemnenda, caputque in tantum prae Saxoniae reliquis extulit, ut merito dubitari possit, an hac splendidior ulla, et selectiori librorum copia instructior, in terris Saxonicarum ditionum reperiatur. Quare hic opportune mihi in mentem uenit, recordari eorum, quae Illustriss. Generosissimusque S. R. I. Comes Nicolaus a Lyncker, in prima facie excellentissimi operis sui, iuris Responsorum nomine insigniti, et principali huic bibliothecae oblati, publica inscriptione testatus

eſt, quum eam ſingulari praeconio exornauit, et Reginam Saxonicarum bibliothecarum merito appellandam eſſe iudicauit. Locum ſi ſpecto, quem ei tribuit prudentiſſimus Princeps, nullus profecto potuit deligi auguſtior, commodiorue, nullus tutior aduerſus incendiorum pericula, quibus Alexandrina dudum, et Byzantina, et Romanae aliquot, conflagrarunt: uno uerbo: ſitus, amoenitas, capacitas, ſi quid ad ſplendorem conferunt, nihil hoc loco elegantius. Ita enim ille ſublimis eſt, ut ſcandentibus moleſtus non ſit, ita matutino lumini, cuius uſum ex praecepto Sapientiſſimi Quiritium populi inprimis poſtulare uidentur bibliothecae, expoſitus, ut hoc magis a tinearum morſu, et humorum periculo, quibus plerumque uitiantur, libri immunes ſint, ita ſoli obiectus, ut radii lectorem non laedant, ita patens, ut uenti, pro anni tempore, admitti, aut excludi, poſſint. Neque imaginibus, aut effigiebus Heroum, et Magnorum Virorum, quae bibliothecarum ornamenta ſunt, et ad gloriam, atque uirtutem praeclaras mentes incitant, deſtituitur, ſed illas ſolerti excellentium artificum opera delineatas, depictasque magno numero poſſidet, adeo, ut integri conclauis intermedii ſpatium compleant, nitoreque ſuo micent ac fulgeant, omnibusque, in eas intuentibus maximam, moueant admirationem. Accedit interim illud in ea adornanda memoratu inprimis dignum, quod, cum reliquae

liquae fere bibliothecae maiores, prout de antiquis Liuius, Seneca, Strabo, Gellius, et Ammianus Marcellinus teſtantur, longa per temporum interualla, et ſuccedentium ſibi inuicem poſſeſſorum induſtriam creſcant, augeantur, atque ad faſtigium ſuum aſcendant, haec tamen unius tantummodo Principis cura, et nata, et per paucisſima luſtra in hanc, quam admiramur, magnitudinem fuerit producta. Quum enim pro inſigni ſua, qua pollet, ſagacitate, ac mentis perſpicacia, facile intelligeret religioſisſimus Princeps, optimorum librorum et raritatem, et caritatem, permagnam eſſe, ac uix eorum copiam haberi, niſi ex integris bibliothecarum, olim extructarum, compagibus repetantur, eo ſtatim adiecit animum, ut priuatas, a ſe coemtas, ſuae illi inſtructiſſimae adderet, et non priuato homine, ſed Principe, eoque Muſarum Fautore, ac Statore, dignam bibliothecam poſſideret: bene memor, ſe ex ea gente natum eſſe, in qua ſemper honos, et ſplendor uirtutis, ac literarum enituit, quaeque in his planam pariter, atque apertam, ad aeternam gloriam eſſe uiam, recte ſapienterque iudicauit.

Hinc factum eſt, ut; cum a tanto Principe nihil, niſi excelſum, illuſtre, plenum dignitatis, et gloriae, expectandum ſit, bibliotheca etiam noſtra hoc magis caput extollat, nouisque largitionibus, et nunquam deſituris acceſſionibus confirmata, ſplendi-

dior indies, celebriorque, ſempiternam nominis ſui famam in alias plurimas regiones, tranſmarinaſque terras, diſpergat iuxta, transmittatque. Etenim introeuntibus in eam quid eſt, quod deſiderantibus non ſponte ſeſe offerat, ac ueluti in manus tradat? Siue igitur linguarum ſpectes peritiam, quam Philologiam uocamus, ſiue naturae cognitionem, quae Philoſophiae, Mathematicarum artium, et ſalutaris ſcientiae nominibus uenit, ſiue priſci noſtrique temporis memoriam, quae Hiſtoriam, Chronologiam, Geographiam, et quaslibet antiquitates, complectitur, ſiue denique diuini pariter humanique iuris ſcientiam animo comprehendamus, praeſtantisſimos in ſingulis ſcriptores, optimosque de ſingulis conſcriptos libros, euoluere hic quis non promte poteſt? Taceo innumerabiles, quae ibi habentur, ſiue Regnorum, ſiue Prouinciarum, ſiue Vrbium, hiſtorias. Praetereo maximi pretii itineraria quamplurima, quibus et globi terreſtris aeque atque aquoſi facies luculenter exponitur, et uiae ad gentes, a nobis maximo diſtantes locorum interuallo, nouae deteguntur. Neque mitto denique tot eruditorum acta, tot diaria, tot Ephemerides, tot memorias, tot bibliothecas eruditorum, tot cenſuras, aliaque huius generis ſcripta, quibus qui in rei literariae hiſtoria accuratius paulo ac diligentius operam ponere cupiunt, aeque minus carere poſſunt, quam legibus iuſtitiae ſacerdotes. At

uete-

ueteres ſcriptores, ſua quisque lingua utentes, eorundemque ſcholiaſtae, interpretes, enarratores, commentatores, cenſores, interpolatores, epitomatores, quot ibi ſunt et quam ſelecti? Quamobrem cum res ipſa tot claris ornamentis ſignisque luceat, omnino affirmari par eſt, bibliothecae huic ab omnibus idoneis literarum exiſtimatoribus maximum ſtatui pretium deberi. Ordo quoque librariae huius ſupellectilis tam elegans eſt, tamque concinne compoſitus, ut eius fructum demetere ſtatim, et percipere queamus.

Neque, quod caput rei eſt, codices diplomatici, inſtrumentorumque publicorum tabulae, quibus non ex ueſano ſcribentium impetu, non ex odio, non ex amore, ſed e certiſſimis rerum documentis, ueritas adſtruitur, deſiderantur : ſed inſignis horum in arce VVilhelmina numerus aſſeruatur. Quibus ultimo tantum loco addiderim, Sereniſſimum laudatiſſimae bibliothecae conditorem, ac, literatorum omnium conſenſione, amorem et delicias, in augendo, amplificandoque apparatu ſuo librario fratris mei, τῦ μακαρίτᾳ, Viri harum rerum, dum uiueret, abſit uerbis inuidia, multo peritiſſimi, quem ante me Conſiliarii titulo ac honore bibliothecae ſuae praefecerat, opera uſum fuiſſe, ac ſigillatim, huius ſuaſu et conſilio, rariſſimos codices, formis expreſſos, et cum MSS. collatos diligenter, et comparatos, undi-

dique conquirere pariter, et coemere bene ſapienterque curaſſe. Quorum ingentem copiam Gudiana, Hamburgi nuper auctionis lege publice diuendita, Bibliotheca ipſi ſubminiſtrauit. Etenim Sereniſſimi Principis, ſumptus large liberaliterque ſuppeditantis, iuſſu Hamburgum profectus eſt, ac lectiſſimos quosque libros ex ea redemit. Qua ratione effectum eſt, ut omni ex parte ſplendidiſſima et inſtructiſſima haec fieret, qualis nunc eſt, bibliotheca. Poſſem uero copioſius iam tot Codices cum uirorum eruditiſſimorum notis, manu exſcriptis, nec in lucem emiſſis, auctos, et cum multis pretioſiſſimis MSS. collatos, qui in ea aſſeruantur, commemorare, ac commendare, ſaliuamque earum potiundarum uiris doctis non mediocrem mouere. Verum enim uero, quum de iis pariter ac reliquis eiusdem bibliothecae Codicibus MSS. alio tempore, quo Principalis Bibliothecae Catalogus propediem, ut ſpero, lucem aſpiciet, fuſius agere apud animum meum conſtitui, negotium hoc in iſtud tempus differre haud dubitaui. Quamobrem ſpecimen tantum in praeſentiexhibere, ac Claudii Salmaſii, Viri in erudito orbe ſummi, ſelectiſſimas in Euſebii Chronicum cum ſcriptis libris collationes, atque obſeruationes, quas, nondum publici iuris factas, ipſe prioris Scaligeranae editionis margini alleuit, cum Viris eruditis, Optimi Principis mei conſenſu, communicare ſequentibus paginis, atque expolitas emittere in publicum, conſultum putaui.

ΠΡΟΠΑ-

ΠΡΟΠΑΡΑΣΚΕΥΗ

EMendationes in EVsebii Chronicum, ad Palatinos codices, a Salmasio olim inspectos, recensitum, publici iuris facturi, ne plane ἄνευ προοιμίου res agatur, aliquot in pagellis tum de EVsebio ipso, tum de locis, ex eius historia Chronica a Ioanne Antiocheno, cognomento Malala, laudatis, εἰσαγωγῆς loco, acturi sumus. Fuit EVsebius noster ὁ τοῦ Παμφίλου, non *Pamphilus*, sicuti eum cum Paullo Diacono recentiores multi contra omnium Graecorum morem uocare consueuerunt, natione Palaestinus, patria, ut erudita est coniectura, Caesareensis, qua in urbe altus postea, et educatus, litterisque institutus, et bibliotheca Pamphili, quae ipsi in natali urbe patuit, adiutus, magisque in studiis et doctrina confirmatus, ab eo quidem Martyre propter amicitiam, et necessitudinem, atque studiorum, qua illi iunctus erat, societatem, cognomen Pamphili, Caesareensis uero a loco, ubi natus, et sacro munere perfunctus est, appellatus fuit. Noster igitur tum a ceteris EVsebiis, tum inprimis ab EVsebio, Caesareae illo in Cappadocia antistite, cuius in martyrologiis ad d. XXI Iunii inter sanctos incidit memoria, probe omnino, et cautius, quam Dupinius, Vsuardi errorem sequutus, fecerat, cum Pagio distinguendus est. Floruit EVsebius saeculo a Christo nato quarto, et ante, et post Nicaenam Synodum, quo tempore Ariani quoque dicti sunt *EVsebiani*, non a Caesareensi illo episcopo, sed, ut ex ipso Athanasio patet, ab EVsebio Nicomediensi, praecipuo, et constante, atque acerrimo Arianorum patrono. Caesareensis enim ante concilium quidem Nicaenum Arianis fuit addictior, sed

in concilio Arii cauſſam non temere, et inconſulto, ſed accurato omnium Symboli catholici uerborum examine inſtituto, deſeruit, et poſt concilium hoc aperte Arianiſmum non defendit, quod Theodoritus, ab eo alienior, diffiteri non potuit, lib. I H. E. cap. XXII. Nam ex EVſebii libris, poſt concilium Nicaenum ſcriptis, ut ſunt de uita Conſtantini, et aduerſus Marcellum, quibus duriores quaedam, minusque commodae, ſed excuſandae tamen, mitiusque accipiendae, ac lectorem aequum poſtulantes, locutiones inſunt, nullus probari aperte poteſt Arianiſmus, etſi plerique ſcriptores ſequiores in praedictis libris multa ab eo, propter ſtudium in Arianos, omiſſa fuiſſe iudicant, perinde, ut alii nihilo firmius colligunt, eum ideo fuiſſe Arianum poſt concilium Nicaeae habitum, quod uocabulum ὁμοούσιον ab eo tempore nec approbaſſet, nec uſurpaſſet. Nam quia uocabulum hoc tunc nouum erat, litesque indies augebantur, quae eccleſiam maximo cum damno diſtrahebant, praeſertim imperante Conſtantio, ſub quo de uita Conſtantini ſcripſit EVſebius, dogma retinuit, uocabulo autem abſtinuit, ſine quo ſenſus dogmatis ſibi conſtabat, doctrinaque, per uocabulum intellecta, ſeruabatur, exemplo priorum ſaeculorum, quae Trinitatis myſterium ſine uocabulo hoc et docuerunt, et crediderunt. Et quid multum tergiuerſamur? Conſtat enim ex Hilario, et Facundo Hermianenſi, orthodoxos quoque a uocabulo ὁμοούσιον abſtinuiſſe, qua de re conferendus eſt Dorſchaeus ad conc. Sirm. p. CXXXV, neque tamen ex hoc capite Arianiſmi a quoquam fuiſſe poſtulatos. Quare uehementer errant Io. Henricus Hottingerus, et Sethus Caluiſius, quando ille, H. E. cap. IV. p. CLXIV, affirmat, EVſebianos a noſtrate EVſebio dictos; hic autem, in Chronologia ſua p. DIIX, exiſtimat, eum fidem hiſtoricam uiolaſſe, ſententiasque orthodoxorum depreſſiſſe, et Arianorum partibus ſtuduiſſe, multaque ex affectu, et, non integra ueritate, ſcripſiſſe; quod poſterius

rius e Gelasio quoque, qui, more fere Patrum Latinorum, a Graeco paullo est alienior, probare porro studuit Petrus VVastelius, in uindiciis Ioannis Hierosolymitani lib. I p. XXXIX. Vterque, et Caluisius, et VVastelius, sequuti sunt scriptores in EVsebium iniquiores, cuiusmodi sunt EVstathius episcopus Antiochenus, Theodoritus episcopus Cyrensis, Theodorus episcopus Mopsuestenus, Epiphanius, Photius etiam, et ipse Hieronymus, quem in libro de ecclesiasticis scriptoribus plura ex EVsebio hausisse Fr. Combefisius ad Maximum notis, Tom. II p. DCCXIIX, docet: indeque haud mihi constat, quare EVsebii studiosissimum, nisi quando eum aut Latine reddidit, aut exscripsit, uocare potuerit in praefatione ad Chronicum Scaliger. Ille enim pariter Origeni, et EVsebio, eius defensori, infensior fuit, putauitque Arii haeresin ex Origenis fontibus dimanasse, quod tamen nec ipsum sufficit ad probandum EVsebii Arianismum post Nicaenum concilium. Neque maior eorum ueritas est, qui EVsebium affirmant post Nicaenum concilium fuisse Semiarianum. Ego certe existimo, neutrum probari posse de EVsebio, nec, quod Arianus, nec, quod Semiarianus fuerit post concilium Nicaenum, perinde, ut non certo probari potest, eum post illud orthodoxum fuisse, quod tamen multi, neque uulgares uiri, affirmant, inprimis e ueteribus Socrates histor. eccles. lib. II cap. XVII, Gelasius Cyzicenus lib. II cap. I, Pelagius II, P. M. epistola III ad Eliam Aquileiensem, aliosque Istriae episcopos, Malala denique, qui eum, p. CCXCV χρονογραφίας, θεοφιλέσταλον χρονογράφον uocat, e recentioribus uero, centuriatores Magdeburgici, horumque epitomator Lucas Osiander, Gul. Cauius etiam, et, post Ioannem Gerhardum, plerique Theologi nostrates: quanquam a Danhauero suo abit Bebelius, qui putat eum post Synodum Nicaenam ad minimum Semiarianum fuisse. Georgius Calixtus, Christianus Dreierus, et Ioannes Andreas Bosius, nihil definiunt, nec aiunt, nec negant,

atque adeo in incerto relinquunt, orthodoxus, an Arianus, post Nicaenum concilium fuerit. Ioſephus ſane Scaliger, in ἐκδόσει EVſebiana Graeca, hancce ultimam lib. II periocham, numer. ∞ ∞ CCCXL, de concilio Nicaeno, ſub EVſebii nomine publicans, Ἡ ἐν Νικαίᾳ πρώτη ἁγία, καὶ οἰκουμενικὴ, σύνοδος τῶν τριακοσίων δεκαοκτὼ ἁγίων πατέρων ἐγένετο, orthodoxum eum poſt hoc concilium fuiſſe, non dubitauit. At enim uero hic obſeruari par eſt, quod Scaliger, cum arbitratur, Georgios illos duos, Cedrenum, et Syncellum, integrum in ſua Chronica EVſebii Chronicum retuliſſe, εὐγενές τι ἁμάρτημα commiſerit. Nam et multa, quae in Chronico EVſebii inuenienda erant, praetermiſſa ab iis eſſe, Malalae quaedam loca, ab iſtis non allata, infraque ideo examinanda, demonſtrabunt, et multa a Scaligero publicata, inter quae illud, quod iam retulimus, fragmentum eius merito recenſendum eſt, ſuppoſita eſſe, aut ſaltem νοθείας ſuſpecta, nulloque modo ad EVſebium, tanquam auctorem, referenda, nemo negabit, ultroque confitebitur, qui ipſum EVſebium lib. III de Conſtantini uita, cap. IIX, epiſcoporum Nicaeae congregatorum multitudinem CCL numero maiorem quidem, ſed non ſtatim tamen ideo LXIIX alios includentem, conceptis uerbis tradidiſſe, recordatus fuerit. Interim praeteritio concilii Nicaeni nondum infert, quod aliqui uolunt, eum iccireo Arianum poſtea fuiſſe; multumque inter ſe diſtant, ſilere de aliqua re, et illam improbare. Nec mirum eſſe debet, in De uita Conſtantini libris, obiter quaſi, et aliud agentem, iſtius meminiſſe, cum, etſi uel maxime fuſius pertractare hoc argumentum potuiſſet, prae pudore tamen, ob factum a concilio contra defenſam olim a ſe opinionem decretum, atque, ne ὁμοουσίῳ uocem palam denuo improbare uideretur, clandeſtinasque in orientis epiſcopos occidentalium machinas, quas adſtruere ſe poſſe rebatur, ediſſerere cogeretur, atque adeo nouas in eccleſia, easque e priuatis publicas, turbas excitare inſimula-

mularetur, maluit odiosa ista omnia intacta relinquere, quam cicatricem, quae callum nondum obduxerat, imprudenter et importuno tempore refricare. Accedit et istud, maluisse eum tam Chronicum, quam ecclesiasticam historiam, ubi utrinque concilii Nicaeni non meminit, pace illa, quae post uexationem Diocletiani diuinitus ecclesiae affulsit, claudere, quomodo suas alii, auctore Halicarnassensi Dionysio, illustri et glorioso aliquo exitu finire consuerunt, quam seditiones ac tumultus episcoporum, inter se rixantium, procaces exponere, et utramque fortasse partem, praecipue, quum cum episcopis, Arii olim fautoribus, ob generis necessitudinem semper eum arctius fuisse coniunctum, quam cum illis, qui de apostasia eius, Diocletiani tempore commissa, calumniam, ut Dupinius Cauiusque probarunt, machinati in ipsum fuerant, negari non plane possit, liberius iudicando offendere, satis officio suo feciſſe arbitratus, si ecclesiae suae Caesareensi, per epistolam, quae in historia Socratis lib. I cap. IIX plane orthodoxa affertur, consensum suum cum sententia concilii Nicaeni in doctrina, tunc temporis controuersa, publice exponeret, quam confessionem uel improbasse unquam, uel repudiasse, non memini apud ullum ueterum scriptorum me legere. Quemadmodum autem haec non temere, ita etiam iudicium de Ario, eiusque doctrina, rectane nempe, an falsa, fuerit, consulto praeteriit, ne, praeter illas rationes, de fide etiam historica aliquid detraheretur, ipseque, rem, pueris etiam tunc notissimam, inculcando studiosius, περιεργίας uitium incurreret. Nam, ut compendio rem expediam, praeterire sane quaedam licet historico, ut recte iudicat Polybius, quorum propterea silentium auctori non est exprobandum, neque adeo hac in parte historiae Gothanae auctores sequi uelim, qui ideo EVsebium lapsorum in persecutionibus non meminisse iudicant, quod ipse aliquando inter lapsos fuerit. Haec si quis perpendet, EVse-

biumque praeterea in Tyrio et Antiocheno conciliabulis non tam orthodoxorum excidio, quam concordiae potius, inter utramque partem ineundae, bono animo, etsi non bono successu, studuisse, nouarumque fidei formularum non amantem ualde fuisse, nec multum libenterue contentionibus istius tempestatis episcoporum se admiscuisse, neque tamen concilium Nicaenum, quod semel approbauerat, speciatimque canonem eius xv, quo episcoporum ex una ad alteram ecclesiam translatio prohibetur, quum uacantem per EVstathii depositionem sedem Antiochenam, communi populi, et concilii Antiocheni, atque Imperatoris etiam consensu adeundam, constanti, qua erat, modestia recusaret, ullo modo infregisse, sed suo potius exemplo confirmasse, probe animaduertet, facile, ut puto, colligere inde poterit, tam, quod Arii partes, quam, quod doctrinam eius post Nicaenum concilium EVsebius sit secutus, fabulam esse, quam tamen Dionysius Petauius, Petrus Lambecius, Io. Clericus, et Natalis Alexander, qui de eo non sincere iudicant, denuo ante aliquot annos recoxerunt, et tuendam quidem susceperunt, nondum tamen diligentioribus antiquitatis aestimatoribus approbauerunt, sequuti ea in re e recentioribus, praeter alios, Baronium, et, qui κατὰ πόδα uestigia eius legunt, Godellum, atque Binium, qui omnes in EVsebium iniqui sunt, dicamque eidem Arianismi scribunt. Caussantur sane sine caussa, illum consulto in gratiam Arianorum confessionem synodi Antiochenae, qua Ariana haeresis penitus ruerit, silentio inuoluisse, quum hoc opus ad concilium Nicaenum pertinuerit, ut, praeter Valesium, Matth. Larroquanus libro capiteque 1 Aduers. sacr. satis docuit. Nempe, quia uere et ingenue EVsebius scripserat, hinc ei infensus est annalium conditor, et, quod in Constantini laudem effusior est. Et quidem eo in genere modum excessit, ac Panegyrista potius est Constantini, quam historicus, uerax tamen in rebus,

rebus, quas tractat. Sed haec hactenus. Origenem, quod supra tetigimus, inter patres magno numero locoque EVsebius habuit, atque adeo, ut Suidas retulit, et aliunde quoque constat, sex libris defensionem eius complexus est, quos Rufinus deinde, ut uoluit Hieronymus, Pamphili, Martyris, nomine falso praenotauit. Fecit id ob Platonis, quem sedulo legit, amorem, more et opinione illius saeculi, quo Platonica uiguit Philosophia, de qua recte pronunciauit AVgustinus, *plurimis errandi causſam praebuisse*. Grauis enim fuit, maximeque disertus Plato, atque hoc magis a ueteribus Christianis, et Origene inprimis, lectus, quamuis EVsebii dictio non sit Platonica, nec ueneres Atticas consectetur, stilusque multiplici eius doctrinae, qua humanam pene litteraturam exhausit, non respondeat, quo uincitur, ut Photii iudicio stemus, a Theodorito. Theodorus Metochita in miscellaneis, ab Henrico Valesio citatis, durum EVsebii loquendi genus diutinae eius in AEgypto commorationi acceptum ferendum esse uoluit, in quo quidem eum sequi nolim, tum, quod Caesareae institutus, et urgente demum persecutione, ἀκμὴν aetatis iam fere emensus, AEgyptum ingressus fuit, tum etiam, quod AEgyptus non adeo durae dictionis habuit homines, quod tot, qui de Museo Alexandrino fuerunt, eruditi, ex AEgypto, si non omnes, plurimi tamen, oriundi, satis comprobant. Maximus ceteroquin EVsebius librorum ueterum scrutator fuit, et rei librariae, quod nec aduersarii negare potuerunt, peritissimus, ac Constantino, cuius tamen fauore nunquam erga inimicos abusus est, charus, et perfamiliaris, eiusque Bibliothecae, et tabularii, curator diligens, omnemque orientis codicum supellectilem excussit, et immensas uarii generis doctrinas congessit, usque adeo, ut sine ullo erroris periculo Dupinius dicere se posse confidat, nullum unquam fuisse, inter nostros, Graecum scriptorem, qui tantae lectionis et eruditionis fuerit, quanquam ego Clementem

tem τὸν τρωμαῖα, qui Varro fuit inter Graecos Patres, EVsebio, si non parem, certe non minorem, fuisse, affirmare ausim. De scriptis EVsebii, in quibus, longissima laboriosissimaque inquisitione, multa collegit delitescentia in scriniis doctorum hominum antiquitatis monimenta, ac, quae alioqui deperdita fuissent, conseruauit, multi multa, et inprimis de scriptoribus Byzantinis Martinus Hankius, dixerunt. Nos ea inprimis, quae ad praesentem laborem spectant, paucis iam persequemur. Chronicum igitur, quod prae manibus habemus, inde ab ultimo historiae Mosaicae initio EVsebius simplici stilo pertexuit, suamque in Chronologiae studio diligentiam hoc labore probauit, et, Iulii Africani exemplo, cuius tamen κεφὰς ἐν βιβλίοις κδ΄ γεγραμμένας fideliter fere nimis sequutus est, neglectam a Christianis, temporum doctrinam, excoluit ualde, et suscitauit, ductaque ab Abrahami anno natali epocha, cuiusque gentis historias ex uetustissimis auctoribus, quos tamen, in quo iudicium eius, quemadmodum etiam in aliis, uiri eruditi desiderant, non assequitur saepe, saepius, ubi non assequitur, malo exemplo interpolat, ad suum quamque annum, retulit. Constat illud, quod nemo nescit, duabus, ut quidem hodie eruditi uolunt, partibus, quarum prior, χρονικοὶ κανόνες παντοδαπῆς ἱστορίας inscriptus, καθ' ὁμάδα, posterior, κανὼν χρονικὸς puta, κατὰ πλάτος, ut loquuntur, ἐστοιχείωται, qua de re si post Scaligerum plura dicerem, operam omnino, et oleum, perderem. Diodorus, Tarsi olim episcopus, diuique Io. Chrysostomi magister, Chronicum scripsit, ut Suidas e Theodorito auctor est, in quo errorem EVsebii Pamphili circa canones temporum rite ordinandos correxit: quod, si superesset nobis, multum fortasse lucis circa explanationem EVsebii dare potuisset, quanquam, quia, ut inquit Hieronymus, *ignorantiam saecularium litterarum*, quarum EVsebius callentissimus erat, Diodorus a se declinare non potuit, aliquid illud de

de praestantia deperditi illius operis apud me minuat. Epitomen canonum Chronicorum, seu libri Chronicorum posterioris, composuisse EVsebium, credidit Hieronymus, et persuasit etiam Scaligero, qui de errore illo in praefatione ad EVsebii Chronicum multis se uerbis doctis excusauit. Ego uero, si recte explicetur haec sententia, non adeo erratum fuisse puto, modo non dicatur, praeter duas Chronici partes, epitomen earum EVsebium scripsisse. Equidem arbitror, librum EVsebii Chronicorum canonum, qui posterior uulgo uocatur, in quo amplo ordine, et distincte, atque iuxta temporum seriem, res chronographicas tractauerat, iam κανόνα, iam χρονικὸν κανόνα, iam χρονικὰς κανόνας πανϛοδαπῆς ἱϛορίας, iam χρονογραφίαν, iam χρονικὸν, inscriptum fuisse, quomodo eundem Hieronymus *Chronicam historiam*, Isidorusque, et Ado Viennensis, *Chronicorum canonum multiplicem historiam* uocitarunt. At liber Chronicorum, qui prioris hodie nomine uenit, in quo, ut Hieronymus ait in posterioris libri praefatione, *quasi quandam materiam futuro operi praenotarat*, quod ἐπιϛομὴ χρονικῶν κανόνων potius olim dictus fuerit, non sinunt me dubitare Suidae uerba, quando, sub recensendo EVsebii opera, non duarum Chronici partium meminit, sed refert, EVsebium χρονικῶν κανόνων πανϛοδαπὴν ἱϛορίαν, καὶ ϛάτων ἐπιϛομὴν, edidisse. Haec porro temporum digestio, postquam electus iam fuit episcopus Caesareensis, edita est ab eo, opus immensi laboris, et consummatae eruditionis, quodque nihil uetat, quia in tam longo, tamque arduo, historiae uniuersalis opere auctor aliquando errauit, quod AVgustinus etiam lib. XIIX de C. D. cap. XXXI fassus est, quo minus inter utilissimos totius antiquitatis libros recenseri debeat. Lucem illud uidisse, antequam historia eius ecclesiastica, et praeparatio EVangelica, ederentur, tam illa, quae statim ab initio eius historiae, quam, quae libro προπαρασκευῆς ϛ leguntur, dilucide euincere possunt. Dolendum tamen est,

Chronici istius Graeci, integri quidem, iam dudum, praeter desiderium, nihil fuisse reliquum. Ille enim, quem e fastis Siculis, Georgio Cedreno, et Georgio Syncello denique, paucisque aliis, Iosephus Scaliger ante saeculum, et, quod excurrit, consarcinauit, cento, etsi eum cum Matthaeo Radero, uel Henrico Norisio, Chimaericum mendarum thesaurum compellare nolim, nec totus tamen, ut supra notauimus, EVsebii esse putandus est, nec a doctis hodie uiris ab EVsebio omnino esse, existimatur. Deperditum illud EVsebii Chronicum utrumque, quod Dupinius demonstrauit, diuus Hieronymus non tam μεταφραστὴν, etiamsi puram Graeci textus translationem ab Abrahamo usque ad Troiam afferre se in praefatione dicat, deindeque demum, e Tranquillo, plurima se Romana immiscere asserat, quam παραφραστὴν, passimque, etiam, ubi EVsebium non assequebatur, quum dictauerit, non multum de cura sollicitus, interpretationem suam notariis, interpolatum, in publicum edidit. Factum inde est, ut Hieronymus non minus, quam EVsebius, in Chronico, obseruante Pagio, annum a kal. Octobribus, Syrorum more, et maxime Caesareensium, qui menses Iulianos usu communi adhibebant, inchoarit, unde, quum dignoscere non posset Baronius, et, qui passim eum insecuti sunt, quo Christi anno res, ab Hieronymo narratae, contigerint, nisi ad annum Abrahami, quem usurpat, respicerent, nihil certi in chronologia ex eo deducere solent, quia scilicet, praeterquam, quod annum ab autumno incipere non animaduertunt, ad solos annos Imperatorum, non uero ad epocham Abrahamiticam, Chronologiam suam disposuerunt. Hoc postea Chronicum, uersum, ut diximus, ab Hieronymo, qui alios etiam EVsebii libros transtulit, ex eoque EVsebii, et EVsebiani nomen, uti quidem ad Laertium AEgidius Menagius docuit, et non a Patre EVsebio, in praefatione prioris libri fortitus est, olim iam seperatim quarto, quem uocant, ordine, si Dupinio

fides

fides est, anno Christiano ∞ccccLxx typis exscriptum fuit. Idem deinde hoc Chronicum, a Scaligero procuratum, Salmasius ὁ πάνυ, intra bibliothecam Palatinam, cum IV eius exemplaribus mss., quorum primum uenerandae inprimis uetustatis codicem ad historiae AVgustae scriptores uocauit, itemque interdum cum uno mutilo codice suo, a medio fere praefationis ad librum II incipiente, ad Scaligeranam quidem editionem comparauit, comparationis uero fructum, emendationes uidelicet, earundemque rationes, rarissime adiecit. Deuenit postea codex ille e Salmasiana, nescio, quo fato, in bibliothecam Marquardi Gudii, V. C., e qua in istam, cuius conspectum hactenus dedimus, curante Fratre meo, τῷ μακαρίτῃ, cum multis ex eadem aliis, nec minoris precii codicibus, sumtus Sereniſſimo Duce, VVILHELMO ERNESTO, liberaliſſime suppeditante, relatus est. Cepit tum Frater meus elaborandi huius laboris consilium, multaque etiam iam confecta in aduersariis suis reliquit. Haec, quum iam olim ea aggressus fuerit, operique immortuus absoluere non potuerit, e schedis eius paululum dispositа, atque, ubi opus fuerat, aucta, atque ad umbilicum perducta, una cum illis, quae de EVsebii doctrina superius disseruimus, si non splendide satis, satis tamen fideliter, praefixis etiam perpaucis notis, quibus Graeci textus, a Scaligero publicati, marginem Salmasius aspersérat, cum doctis communicamus, et ueniam, si qua hoc saeculo speranda est, a candidis nobis, aequisque, lectoribus eo facilius pollicemur, quo plura, a nobis quoque praetermissa, in EVsebio Latino emendanda restare meminerint. Supereſt iam, ut promissis nostris stemus, illaque, quae restant in Ioanne Malala, nullius quidem iudicii scriptore, sed interdum tamen non malo compilatore, EVsebii τεμμάχια, quae, quoniam hic scriptor in manibus eius non fuit, Scaliger praetermisit, brevibus recensеamus. Primum de Serucho agit, uiro ex Iapheti posteris oriundo, qui, EVsebii testimonio,

cultum idololatricum inueniſſe, a Malala p. LXIII χρονογρ. perhibetur. Verba Malalae haec ſunt, Εν δὲ τοῖς ἀνωτέρω προγεγραμμένοις (χρόνοις) ἐκ τῆς Φυλῆς τῶ Ιάφεθ ἐγεννήθη ὁ Σερὲχ, ὅς τις ἐνήρξατο πρῶτος τὸ τῶ Ελληνισμῶ δόγματος διὰ τῆς εἰδωλολατρείας, καθὼς ΕΥσέβιος ὁ Παμφίλε συνεγράψατο. Eadem in Cedreno habentur iisdem paene uerbis. Atqui nec Seruchus e Iapheti fuit familia, ſed e Semi, nec fortaſſe idololatriae unquam auctor extitit, cum alii ſcriptores referant tantummodo, ipſius tempore, cultum idololatricum coepiſſe. Epiphanius, ex eo que Chronicum Paſchale, p. CXII ed. Rad., Ελληνισμὸς, inquit, ἀπὸ τῶν χρόνων τῶ Σερὲχ ἐναρξάμενος διά τοι τῆς εἰδωλολατρίας, ἧ τὰ ἑξῆς. E Cedreno hauſit ſua, ita tamen, ut ineptias illas, de Serucho Iaphetida, reiiciat, Scaliger, qui χρονικῶν λόγῳ ά, p. IX, ita EVſebium ſcripſiſſe ſuſpicatur, Σερὲχ γενόμενος ἐτῶν ρλ΄ γεννᾷ τὸν Ναχὼρ, ἧ ἐπέζησεν ἔτη σ΄, μέχρι νά ἔτους Αβραάμ. ΟΥτος πρῶτος ἦρξατο τῶ ἑλληνισμῶ, ἧ τῶ δόγματος τῆς εἰδωλολατρείας. Et ſane EVſebium ita ſcripſiſſe dubium mihi nullum eſt, quanquam, unde alterius lectionis portentum enatum ſit, non facile coniecerim. Nam Suidas quoque in uoce Σερὲχ ita apud EVſebium legiſſe uidetur, et Scaliger, mutata deinde ſententia, locum Cedreni integrum, p. XIII, EVſebio ſuo Graeco indidit. Ex EVſebio eodem idem Malala, p. LXXX, commemorat, Ahrahamum idola Patris confregiſſe. Sic enim ille, Καὶ λαβὼν (Αβραὰμ) ἔκλασε τὰ ἀγάλματα πάντα, ἧ ἀνεχώρησεν ἐξ αὐτῶ, ἧ ἀπῆλθεν ἐς τὴν Μεσοποταμίαν, καθὼς ΕΥσέβιος ὁ Παμφίλε, ὁ σοφὸς χρονογράφος, ἐξέθετο. Ego tamen apud Malalam, pro ἔκλασε mallem reponere, ἔκαυσε. Georgius Syncellus p. XCIX χρονογρ. Ενεπύρισεν, inquit, Αβραὰμ τὰ εἴδωλα τῶ πατρὸς αὐτῶ, κ.τ.λ. Etiam Cedrenus, Αβραὰμ δὲ, ait, λανθάνει νυκτὸς τῶν εἰδώλων ἐμπρήσας τὸν οἶκον. Scaliger, quia ab EVſebio haec habuiſſe Cedrenum Syncellumue non diuinauerat, hoc fragmentum praetermiſit. Idem Malala, p. LXXXV, ex Euſebio attulit, ὅτι Δευκαλίων τὰ τῶ κατακλυσμῶ τῶ μερικῶ ἐξέθετο. Cedrenus eandem fabulam his uerbis recoxit, Ετιμηθεὺς δὲ

δὲ Μουσικὴν ἐξεῦρε, καὶ Δευκαλίων τὰ περὶ τοῦ κατακλυσμοῦ τῆς Αττικῆς ἀνετάξατο. Non tamen addit Cedrenus, se ex EVsebio hoc hausisse: quanquam nihilominus in EVsebii Graeci p. XXVI haec Scaliger e Cedreno collocarit. At ego puto, neque EVsebium illam, neque Malalam, Deucalionis historiam cataclysmi uidisse unquam litteris consignatam, immo nec Solem, qui πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει. Fortasse Graeca uerba non tam de libro aliquo, quam παραδόσει Deucalionea, sunt accipienda, nisi tamen EVsebius uideatur potius dixisse, ὅτι τὸν Δευκαλίωνα, qui obscurus, si absque cataclysmo fuisset, ignotusque posteris, fatis suis functus esset, τὰ τοῦ κατακλυσμοῦ ἐξέθετο, hoc est, illustrem reddiderint. De Nabuchodonosore, quae ex EVsebio Malala tradidit, ad num. ∞ CCCCXLII excussa inferius inuenies. Porro idem Malala p. CCXLIII χρονογρ. de regni Macedonici duratione affert, ὅτι κατέσχεν ἡ βασιλεία, ἤτοι τοπαρχία Μακεδόνων, ἔτη χβ', ἕως τοῦ αὐτοῦ Φιλίππου, καθὼς ὁ σοφώτατος Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου χρονογραφεῖ. Intelligit Philippum, Alexandri Patrem, auctor. Atqui constat, secundum rationes EVsebii, a primo anno Carani, usque ad annum primum Philippi, si quidem eum excluseris, non plures, quam CCCCL, annos numerari. Nam Chilmeadus in notis ad Malalam, qui CCCCLI annos numerat, auspicatur regnum Macedonicum a numero Abrahami ∞ CCIII, quum Carani tamen annus primus in num. ∞ CCIV incidat. In laterculo regum Macedoniae Syncelliano, p. CCLXII χρονογρ. inserto, a Carano ad hunc Philippum anni numerantur adhuc etiam pauciores, CCCCI uidelicet. Anni enim imperii a Syncello alio plane, quam EVsebius fecerat, modo ibi referuntur. Constat ergo ex his, in Malala siue librarii, siue ipsius scriptoris, quod potius credo, oscitantiam deprehendi, et uitium; quale quid in numeris non solum, sed in ipsa etiam historia, eidem excidit, quum p. CCLI scripsit, ὅτι ἐβασίλευσαν οἱ ιγ' Πτολεμαῖοι, οἱ Μακεδόνες, τῆς Αἰγυπτιακῆς ἁπάσης ἀπὸ τοῦ Πτολεμαίου τοῦ Λάγου ἕως Κλεοπάτρας τῆς Διονυσίου θυγατρὸς, ἔτη τ', ἕως τοῦ ιέ ἔτους τῆς βασιλείας Αυ-

γȣ́ςȣ Καίσαρος, τȣ̃ Φονεύσαντος ἀυτὴν, ϗ ὑποτάξαντος τὴν ΑΙγυπτον πᾶσαν, καθὼς ΕΥσέβιος ὁ Παμφίλȣ, ϗ Παυσανίας, οἱ χρονογράφοι, συνεγράψαντο. Primo enim EVſebius, uel ſane Hieronymus, num. ∞DCCCCLXXXVIII, Lagidarum imperium per annos CCXCV tantummodo duraſſe aſſeuerauit, quanquam ex eccleſiaſticis ſcriptoribus alii aliter, ut ad eum locum Scaliger docuit, cenſuerint. Deinde idem quidem EVſebius ad annum AVguſti XV triumfum eius de AEgypto collocauit; ſed necem Cleopatrae ad num. ∞DCCCCLXXXVII, qui AVguſti XIV, reſpondet, in Chronico retulit, niſi tamen id librariorum omnium apud EVſebium uitio factum putare uelis. Denique Cleopatram ex EVſebio, ſi Diis placet, Dionyſii Ptolemaei filiam uocare, ἀνιςορησία non toleranda eſt, quam tamen e Malala Cedrenus etiam admiſit. Ptolemaeus enim Dionyſius Cleopatrae erat frater, puerque XIII annorum periit, tantum abeſt, ut liberos, uel Cleopatram filiam, habuerit, id quod nemo neſcit, qui hiſtorias uel leuiter attigerit, quemadmodum etiam illud, Cleopatram ab AVguſto non eſſe necatam, qui triumfo eam reſeruare malebat, ſed ipſam ſibimet, admota aſpide, uitam eripuiſſe. Iam ad reliqua properandum. Apud eundem Malalam p. CCLXXV χρονογρ. hoc EVſebii ἀποσπασμάτιον legitur, ΑΥτὴ β' ἦν τῆς Ιερȣσαλὴμ ἡ ἅλωσις, καθὼς ΕΥσέβιος ὁ Παμφίλȣ ἐχρονογράφησε. Fecit id, ut ſuſpicor, num. ∞DCCCXLIX, prima periocha, quanquam in Latino Chronico praetermiſerit ea uerba diuus Hieronymus. Cedrenus, nomine EVſebii praetermiſſo, eadem ſequentibus uerbis exponit, ΕΙτα ἐβασίλευσεν Αντίοχος ὁ ἐπιφανὴς, ὑφ' ȣ̃ γέγονεν ἡ δευτέρα ἅλωσις Ιερȣσαλὴμ, ϗ ἑξῆς. De Malalano loco hoc praeterea admonendum eſt, non ſuo loco recitata uerba legi. Quum enim ea ſubiungantur ibi hiſtoriae de Demetriano, repurgationem templi Iudae gratificato, coecum eſſe eum oporteat, qui τὸ ἀπροςδιόνυσον clare non queat perſpicere. Librarii ergo hic uitium eſt, qui iſtam pericopam cum alia,

cuius

cuius finis p. CCLXIV, lin. XIII, habetur, debebat connectere. Porro, ubi ad aetatem Seruatoris, noſtri Malala deuenit, ex EVſebio p. CCXCV χρονογρ. haec adduxit uerba, Περὶ δὲ τοῦτο πληροῦσθαι τὸ ἑξακισχίλιοστὸν ἔτος εἶπεν (ὁ ΕΥσέβιος), ὅτι ἐφάνη ἐπὶ τῆς γῆς ὁ Κύριος ἡμῶν, καὶ Θεὸς, Ιησοῦς Χριστὸς, ῥύσασθαι τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων, καὶ ἐγεννήθη, καὶ ἐνηνθρώπησε τῷ ἑφ' ἔτει, ἔπαθε δὲ, καὶ ἀνέστη ὁ Κύριος ἡμῶν, Ιησοῦς ὁ Χριστος, καὶ ἀνελήφθη, τῷ ἑφλγ' ἔτει. Miratur, unde haec EVſebii habeat Malala, atque adeo νοθείας tantum non arguit, interpres Anglus: Ego tamen non dubito, Malalam ipſum EVſebii Chronicum inſpexiſſe. Nam et alibi, ut uidimus, ex eo quaedam protulit, quae et Hieronymus et Syncellus praetermiſerunt, Cedrenus uero, eo multo iunior, ex eodem deſcripſit. Syncello tamen eo quidem modo, quo Malala uult EVſebium ſcripſiſſe, cum EVſebio conuenit. Quod ſi enim eum pp. CCCXV et CCCXX χρονογρ. conſules, eosdem et natiuitatis et paſſionis Domini tempus in annos mundi coniectum eſſe uidebis. Ipſe Syncellus priore in loco addit, Ταῦτα οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ συντεταχέναι, ἀλλ' ἐκ τῶν παραδόσεων Ιακώβου, καὶ ἐξῆς. Hinc uero ualde ſimile quidem eſſet, EVſebium etiam eas fuiſſe ſequtum, quas tot alii approbarunt: Sed conſtat tamen illum aliter ſubduxiſſe rationes. Ipſe enim ab Adamo ad natalem Abrahami annum, uti e Syncelli p. LXXXVII χρονογρ. probari poteſt, ∞∞∞CLXXXIV annos numerauit. His adde ad natalem usque Chriſti annum alios ∞∞XV Abrahamiticos: Sic uidebis, quod EVſebius ſtatuat, anno mundi IↃↃCXCIX Seruatorem eſſe natum. Id igitur equidem puto, EVſebium ipſum ita, ut iam retuli, ſecundum ſua ratiocinia ſenſiſſe, attuliſſe tamen in Chronico ſuo etiam alteram Hippolyti et aliorum chronologiam, quam pro EVſebiana, loco fugitiuo oculo inſpecto, Malala nobis propinauit. Καὶ τάδε μὲν ἐν τῇδε ἐχέτω. Porro Malala p. CCCXXX χρονογρ. de ſucceſſore Petri Lino, Καὶ ἐγένετο, inquit, μετὰ τὸν ἅγιον Πέτρον, τὸν ἐπίσκοπον, ἤτοι πατριάρχην Ρώμης, ὀνόματι Λῖνος, καθὼς ὁ σοφὸς ΕΥσέβιος ὁ Παμφίλε ἐχρονογράφησεν. Habetur

tur hoc gestum in Latino EVsebii Chronico num. ∞ ∞ LXXXIV, periocha VII, et apud Syncellum p. CCCXLI χρονογρ., nec non Nicephor. p. CCCCXI συνῳδὰ χρονογρ. In EVsebii tamen Graeci λειψάνοις, a Scaligero editis, paullo, quam in Syncello, aliter legitur. Ceterum Chronicum etiam Damasi, et, qui EVsebianum sequuntur, Chronographi, Linum fere post Petrum in Pontificum catalogis locant. De tertia Hierosolymorum halosi idem Malala p. CCCXXXVIII χρονογρ. ita scripsit, Ο δὲ σοφὸς ΕΥσέβιος ὁ Παμφίλου συνεγράψατο οὕτως, Ὅτι ἐν τῇ ἑορτῇ αὐτῶν τὸν χριστὸν ἐσταύρωσαν οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ ἐν τῇ αὐτῇ ἑορτῇ πάντες ἀπώλοντο, τῶ Σωτῆρος ἐκδωκότος αὐτούς· τρὶς δὲ μετὰ ταύτης πορθηθείσης τῆς Ἱερουσαλήμ, καθὼς ὁ σοφώτατος ΕΥσέβιος κατεγράψατο. Loci huius priora uerba paullo aliter leguntur ad num. ∞ ∞ LXXXVI, periocha altera, ultima uero uerba et ibi plane desiderantur, et in Syncelli χρονογρ. p. CCCXLII. Corrupta ea in Malala ita legenda sunt, Τρεῖς δὲ μετὰ ταύτης πορθήσεις εἰσὶ τῆς Ἱερουσαλήμ, καὶ τὰ λοιπά. Restat iam ultimus, sed satis itidem uexatus locus, a Malala ex EVsebio λόγῳ ιή χρονογρ. p. CLV in uita Iustiniani Imp. laudatus. Ille ita se habet, Εν δὲ τοῖς χρόνοις ΕΥσεβίου τοῦ Παμφίλου εὗρον τὸν ἀριθμὸν τῶν ἐτῶν ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως τῆς ὑπατείας Ἰουστινιανοῦ βασιλέως, τῆς ἑβδόμης ἰνδικτιῶνος, ἔτη ςύλβ΄. Multa hic monenda sunt. Primum μέγα δὴ λίαν ἄτημα est, quum uiri eruditi demonstrarint, EVsebium Chronicum suum usque ad annum Christi CCCXXV, cum exceptione Vicennalium, quae Hieronymi esse uidentur, perduxisse, quomodo Malala haec in eo, quae annum Christi DXXIX spectant, potuerit reperire. Chilmeadus putat, Malalam intelligendum esse de calculo, ab EVsebio ad Christi tantum natalitia instituto, ad quem residuus annorum numerus nullo negocio possit adiici. Equidem omnino existimo, Malalam codicem EVsebianorum Chronicorum possediisse, qui ab alio, fortasse ad ipsa usque Malalae tempora, erat continuatus. Ex eo, tanquam si continuatio quoque ab EVsebio esset, citauit, ut solet, oscitabundus, et alia omnia agens scriptor.

Ali-

Aliam sane interpretationem uix admittunt uerba, Εν τοῖς χρόνοις ΕΥσεβίᾳ εὗρον. In his Chilmeadus emendat, Εν τοῖς χρονικοῖς. Quaeritur ergo altero loco, an uulgata lectio damnanda sit? Noui equidem, quod τεχνογράφος dicatur, ὁ τὰ τεχνικὰ γράψας, et ἐθνογράφος, ὁ τὰ ἐθνικὰ συνθέμενος, et μυθογράφος, ὁ τὰ μυθικὰ ἐξηγησάμενος, et, ad eorum similiumque normam, χρονογράφος, ὁ τὰ χρονικὰ ἐκδόμενος. Non tamen sequitur, quia χρονογράφον et χρονογραφῶντα dico, posse etiam χρόνους ἀντὶ χρονικῶν poni. Interim, quia Graece dicitur τὰς χρόνους συνλάξασθαι, ἢ διορθώσασθαι, ἢ περὶ τῶν χρόνων σφάλλεσθαι, nollem omnino, in Malala inprimis, communem lectionem inducere. Malalam enim qui ad Graecanicae elegantiae filum attemperare uolet, ne hilum quidem profecerit, nisi fortasse ista Medeae pharmaca, senes ad iuuentutem recoquentia, possideat. Tertium ζήτημα circa ipsam, quae tractatur, rei ueritatem occupatum est. Putat nimirum Malala secundum EVsebii computum annum Christi DXXIX, in quem secundus Iustiniani consulatus incidit, annum mundi esse IↃↃIↃCCCCXXXII, quod falsissimum. Manifestum enim est, ut supra uidimus, EVsebium ab Adamo ad natiuitatem Christi collegisse annos uel IↃↃCXCIX, uel, si Malalam sequimur, IↃↃD. Si priores rationes inimus, erit annus ille Christi, secundum computationem EVsebianam, annus mundi IↃↃDCCXXIIX; sin posteriores, ad quas ob praecedentem Malalae locum accommodari haec scriptio potius debuisset, erit ille annus mundi IↃↃIↃXXIX, qui numerus plane ab illo edito diuersus. Adde, si annus Christi DXXIX esset annus mundi IↃↃIↃCCCCXXXII, consequi, Christum secundum EVsebium natum esse anno mundi IↃↃDCCCCIII, quod EVsebio ne quidem in mentem uenit. Sed nos nugas istius Graeculi chronologicas satis hactenus excussisse nobis uidemur. Redimus ergo, ne προτρεπτικὸς ἐτοσὶ λόγος in uolumen tandem excrescat, ad EVsebium, pluribusque commemorandis supersedemus, magnam, cum Pagio testati a litte-

teratis uirum aliquem litteratum gratiam esse initurum, qui nouam accuratioremque, quam quidem uel Pontacena est, uel Scaligerana, quarum utraque castigatione seria iudicioque Critico adhuc eget, editionem adornaret, ipsumque Chronicum, tam cum omnibus, si quidem haberi possint, qui ex EVsebio sua ediderunt excerpseruntue, Graecis non minus, quam Latinis Chronographis, quam inprimis cum mss. codd., qui in Galliis adhuc, et Italiis, uel etiam Hispaniis, quali olim ibi peruetusto usus est Garcia a Loaisa ad emendandum Isidori Hispalensis Chronicum, delitescunt, adhibita cura, limaque Critica, conferret, utilitatique communi, additis, si ita uideretur, in margine quoque periodi uel Pagianae, uel Iulianae, uel alius cuiuscunque accuratissimae annis, consuleret. Possit etiam hoc in negocio non parum iuuare editorem, si quis sperandus est, AVberti Miraei labor, qui partem Hieronymiani Chronici, a Christo nato exorsam, atque e codice monasterii Sodalium Benedictinorum S. Amandi, in Pabula, apud Neruios, Dioecesis Tornacensis, uetustissimo, ac litteris, quas uocant, capitalibus scripto, aliis que Belgii mss. libris, emendatam inter *Rerum toto orbe gestarum Chronica* Antuerpiae anno ∞ IↃCVIII in lucem publicam emisit. Interea, dum aliquid fiat, nos ad eam rem, si quidem uiri eruditi excitari possent, hoc iam σύμβολον, quod uides, lector, daturi sumus, maiora uero illa, et Hercule aliquo digna, felicioribus ingeniis, quorum, quae DEI gratia est, haec quoque tempora satis sunt feracia, lubentes meritoque relinquemus.

AD

AD LIBRVM I XPONIKΩN EVSEBI

A IOSEPHO SCALIGERO GRAECE EDITI STRICTVRARVM FASCICVLVS

AD PAG. VI EDITIONIS AMSTELOD.

QVaenam sint τὰ θηρία, τὰ δυνάμενα τὸν ἀέρα φύρειν, quorum mentio in Berosi uerbis, lin. xxxv, iniicitur, nemo, nisi emendatio accedat, percipere poterit. Praestitit eam ad oram codicis sui Salmasius, dum legit, θηρία τὰ δυνάμενα τὸν ἀέρα φέρειν, quia nempe, Cicerone teste, *animantes aspiratione aeris sustinentur*. Hanc lectionem plane confirmat Georgius Syncellus p. xxx χρονογρ., ubi eodem, quo Salmasius emendauit, modo Berosi istum locum retulit. Haut ita multo post e Manethone Sebennyta stelarum Mercurii prioris ἐν τῇ Συριακῇ γῇ κειμένων memoriam EVsebius conseruauit, uel Syncellus potius, e quo haec hausit Scaliger, qui eandem χρῆσιν in p. xl χρονογρ. coniecit. Graeca, quae attuli, uerba deprauata esse uiri docti queruntur. Equidem nihil mutauit Salmasius; Sed Henr. Valesius ad Ammian. Marc. lib. xxii, c. xv, p. cccxxxix, ἐν τῇ συριγγικῇ γῇ emendauit, quam lectionem, non tam Ammiani loco, quam Pausaniae, qui Attic. cap. xlii τὰς πρὸς Θήβας Αἰγυπτίας καλουμένας σύριγγας commemorat, auctoritate permotus, haut difficulter approbauerim, etsi Taciti locum, a Valesio adductum, aliter omnino, cum Th. Ryckio p. li animadu. ad istum scriptorem, exponendum esse censeam. Manethonis priorem Mercurium Sethum esse, posteriorem Ar-

phaxadum, Ioſephus etiam uidetur ſtatuiſſe, qui ſtelarum Sethanarum, ante cataclyſmum erectarum, lib. I ἀρχαιολ. cap. III meminit. At Ioſephus eas κατὰ τὴν Cυριάδα ſe uidiſſe ſua adhuc aetate, commemorat. Iacobus Goarus, p. XIII emendat. ad Syncellum, Ioſephi locum corruptum eſſe putat, reponendumque, ut uidetur, κατὰ τὴν Cηριαδικὴν iudicat, ut Seres intelligantur. Eduardus Bernardus, e Nicephori eclogis nondum editis κατὰ τὴν Cιριάδα γῆν ſcribere maluit in Ioſepho, quae tamen lectio tam incerta eſt, quam altera uulgata. Nam quod Cίριδα ſcribant excerpta Chronologica apud Malalam, Glycas, Cedrenus, credant illi, qui auctores iſtos non euoluerunt. Excerpta illa p. V χρονογρ. de hac re ita tradunt, Η δὲ τῦ Cηθ cήλη μετὰ τὸν κατακλυσμὸν εἰς τὸ Cίριδ῟ ὄρ῟ ἔμεινε, ϗ ἔστιν ἕως ἄρτι, ὥς φησιν Ιώσηπ῟. Haec uerba e Ioanne citat Hiſtorico, fortaſſe Malala, EVſtathius in Hexaemero, ubi tamen εἰς τὸ Cηριδὸς ὄρ῟ habetur. At Cedrenus, p. VIII ed. Reg., et Glycas, τὸ Cίριδον ὄρ῟ uocant. Ioſephum ergo, ante multa iam ſaecula corruptum, hi auctores ſunt inſequuti, montemque etiam pro regione nobis obtruſerunt, ut adeo in procliui non ſit, ueterem lectionem e tam diuerſis ſcripturis eruere, multoque minus, Valeſianam emendationem exinde refutare. Io. Marshamus, Canon. chron. p. XXXIX, in Syncello e Ioſepho ἐν τῇ Cυριαδικῇ γῇ legit, eamque terram τὰ γλυπτὰ κατὰ Cεειρωθὰ, locum in tribu Ephraimitica Iud. III com. XXVI memoratum, ingenioſius, quam uerius, fuiſſe ſuſpicatus eſt. Sane nos in deplorato tantumnon loco ἐπέχειν malumus, quam cum nonnullis, ut Tertullianus loquitur, pro certo ſcire, quod nos neſcire pro certo ſcimus. Aliquot poſt lineis Tat, filius Mercurii, uocatur. Hunc Δαὸδ uocari ab aliis obſeruat Salmaſius. Alii fortaſſe Θωὼθ mallent legere. Suidas, ΘΩΥΘ ϗ ΘΩΘ, ὁ Ερμῆς. Sed nihil mutandum. Illuſtris enim EVſebii lib. I προπαρασκ. εὐαγγ. locus eſt, e quo liquet, Phoenices Mercurium, ſiue Ερμῆν, Ταὰτ ϗ Τάαυτον, Αιγυπτίοις δὲ Θωὼθ, Αλεξανδρεῖς δὲ Θωὺθ, uocaſſe. Eodem

dem modo Teutatem et Tautatem eum nominarunt Celtae. Sed et uulgatam lectionem Syncellus p. XL χρονογρ. tuetur.

AD PAG. VII

Periocham, quae lin. XXX, et sequentibus, de Vulcano habetur, totidem pene uerbis apud Georgium Cedrenum, p. XIX, ed. Reg., Suidam in uoce ΗΦΑΙΣΤΟΣ, Chronicum Paschale, p. CVI, et excerpta apud Io. Malalam p. XXIII χρονογρ. recitatam inuenies.

AD PAG. XI

Pro, Καὶ ἡ Φυσικὴ Περσὶς, lege, inquit ad lin. XXIIX Salmasius, Καὶ ἡ Φοινίκη, et tolle nomen Περσὶς e medio. Φονίκη enim pro Φοινίκη, et inde Φυσικὴ, scriptum est. *Funice* in Latino uocatur. Vide excerpta Latinobarbara p. LXI. Eadem tamen cum uulgata lectio in Syncello p. XLVII χρονογρ. extat, et Goarus non tantum editam lectionem retinet, sed etiam interpretatur, *Et Persis proprie dicta*, quae sane interpretatio adeo uiolenta est, ut recipi nequeat. Quis enim unquam uoce Φυσικὸς uel e neograecis usus est, ut ὁ κατ' ἐξοχὴν λεγόμενος significaretur? Deinde quis apud ueteres binas commemorari Persias probauit? Sed uerbis non opus est. Salmasii enim emendationem confirmat Chronicum Paschale, in quo p. LXXII Semo data XII prouincia Φοινικία uocatur. Excerpta apud Malalam p. XV χρονογρ. etiam inter regiones, quae forte Semo obuenerunt, XIV nominant Φοινίκην πᾶσαν. Neque aliter in mss. eclogis, a Dufresnio ad Chron. Pasch. p. CCCCXCIV laudatis, habetur. Ex his ergo excerptis, quae cum illis eclogis fortasse eadem plane, legendum esse constat, Φοινίκη πᾶσα. Nec obstat, quod in excerptis Graecobarbaris a Chanaane, Chami filio, deducatur Phoenice, uel, quod Syncellus, et forte apud eum EVsebius, a Iudadane, Chami nepote, Phoenices deriuat. Excerpta enim illa p. XVI χρονογρ. huic iam obiectioni his uerbis occurrunt, Τούτων δὲ τῶν κληροδοτηθέντων ὁ τοῦ Χαμ υἱὸς Χαναὰν, ἰδὼν τὴν πρὸς τῷ Λιβάνῳ γῆν, ὡς ἀγαθήν τε καὶ εὔφορον, καὶ κατὰ πολὺ τῆς ἑαυτοῦ διαλλαττούσης γῆς, τυραννικῶς

ἀνήρασεν αὐτὴν, καὶ τὰς ἐκ τῆ Χὰμ κλήρας ἐξήλασε. Phoenices ergo ante Chamum a Iobabo Semida ducebant originem suam, quod Chronic. Pasch. p. LXX docet, postea uero, expulsa inde Iobabi familia, Chanaanis Chamidae posteri, ut idem p. LXV. testatur, ea in regione habitauerunt.

AD PAG. XII

Populorum a Chamo oriundorum nomina adeo corrupta hic occurrunt, ut OEdipum esse oporteat, qui haec aenigmata omnia dissoluat. Insigne inprimis mendum est, quod Μάκωνες bis terue inter eos nominentur. Patet enim exinde, altero saltim in loco hoc uocabulum deprauatum uideri, uel, ut Goarus uult, eiiciendum esse. Atqui nec primo in loco satis sanum est, quamuis non multo post tertia quoque uice Μάκωνες scribatur. Quidam legunt Μακεδόνες, non recte, ut puto. Illos enim a Χετταίμ, Iaphetida, deducet mox EVsebius. Salmasius Μαίονες scribit, quod sane priori in loco rectum esse censeo. Excerpta enim apud Malalam p. XV χρονογρ. inter Chami regiones *Lydiam* quoque, quae cum *Maeonia* eadem est, reposuerunt. Excerpta Barbarolatina *Macae* habent. Sane inde uel Μάκαι, uel Μακαῖοι, posterioribus in locis reponendum est. Dicitur enim EVsebio Syrtis habere tria ἔθνη, Νασάμωνας, Μάκωνας, καὶ Ταυρομαίους. At non Μάκωνες Syrtitae, sed Μακαῖοι Ptolemaeo lib. IV cap. III memorantur. In Chronico Paschali etiam, quod p. LXVI Νασάμωνας καὶ Μάκρης coniungit, uel Μάκας uel Μακαίρης legendum est. Meminit eorum quoque Silius lib. III, uocatque *Cyniphios*. Possit tamen priori in loco Μάκρωνες etiam legi, unica tantum littera adiecta. Meminit Macronum, uel Magronum, (utroque enim modo scribuntur) Plin. H. N. lib. VI capp. IV et X, Strabo lib. XII, Stephanus in ΜΑΚΡΩΝΕC, Valerius Flaccus Argonaut. libb. I et V, Suidas, Dionysius Periegeta u. DCCLXVI, ibique EVstathius p. CXLII, et Scholiasta Apollonii denique ad lib. I, u. ∞ XXIV. Macrones illi aliquan-

quando et Κάννοι, Τζάνοι, et Τζάννοι dicti sunt, notante EVstathio. De his uide, quae afferat Ez. Spanhemius in Orbe Romano, exercit. II cap. XVII, p. CCCCXLVIII. Paullo post mentio fit *Mossynorum*. Eorum nomen occurrit etiam apud Scylacem, Nicol. Damascenum in Excerptis, et Pompon. Melam, lib. I cap. XIX. Scaliger ergo, ad Tibulli Panegyr. uers. CXLVI, lectionem uulgatam in Tibullo ob minus notos sibi hos populos solicitare non debebat. Porro pro Πασυνοὶ Salmasius legit Πισίδαι. *Pisidae* populi sunt Pisidiae. Claud. lib. II in EVtrop.

Pamphylios Pisidasque. - - -

Adde Suidam in ΠΙΣΙΔΙΑ, et Stephanum, eiusque interpretes. Chamo sane obtigisse inter alias regiones Πισιδίαν καὶ Παμφυλίαν, excerpta tradunt Malalae praefixa p. XV χρονογρ., et Chron. Pasch. p. LXIIX. Syncellus p. XLIIX χρονογρ. legit, Ποασυνοὶ, ΑΥγαλαῖοι. Tamen Goarus ad oram editionis Regiae obseruauit, legi etiam Πισίδαι ΑΙωλεῖς. Hinc quis non uidet corrigi debere, Πισίδαι, ΑΙολεῖς. Nam et ΑΙωλίαν [γρ. ΑΙολίαν] Chron. Pasch. l. d., et ΑΙολίδα excerpta, Chami posteris obueniisse forte, scripserunt. Inferius paullo pro uoce Νίσυρον corrupta, quam tamen etiam mss. Cedreni apud Dufresn. ad Chron. Pasch. p. CCCCXCIV not. ita legunt, scribendum esse asserit Salmasius, Stephani auctoritate, Νίσυρον, uel, Νίσυρον. Νήσυρον, quod et Scaliger in ueteri codice, itemque Goarus apud Cedr. p. XIII b. inuenit, habetur in Syncello p. XLIIX χρονογρ., nec Goarus mendum subesse monuit, quod tamen facile e Chronico Paschali, ubi Νίσυρ recte legitur, corrigere poterat. In Malalae annexis excerptis quoque nomen hoc corruptum est, ubi p. XV χρον. male Μασυρὴς pro Νίσυρ exaratur. Epiphanius eodem errore Νίσυρ scripsit. Coniungit autem EVsebius *Co et Nisyrum*, quia, ut auctor est Plinius, *haec a Co insula abrupta est*. Idem tradit Strabo lib. X extremo. Adde Hom. Iliad. B. uers. DCLXXVI, eiusque, et Stephani, Scholiastas. Linea XXXVI memoran-

rantur EVsebio Κίτιοι. Notat tamen ὁ πάνυ, quosdam Κήτειοι legere. Etiam Goarus ad Syncelli χρονογρ. p. XLIX oram annotauit, alibi Κήτιοι legi: et sic habetur ἐν τοῖς ὁ Genes. X, com. IV, in editione quidem secundum Vaticanum exemplar procurata, quae tamen, mutata scriptura, Paral. I, tm. VII, Κίτιοι rursus praefert. Χέθιμ uocatur hic tertius Iauanis filius Iosepho lib. I, cap. VII, ἀρχαιολ. Nec hoc denique praetereundum est, Salmasium docere, quod linea XLVII uel legendum sit, Καὶ οἱ Βρεττανικοὶ, οἱ κ᾽ ἐν τοῖς νήσοις οἰκοῦντες, qua ratione emendauit ad oram Syncellianam p. L χρονογρ. Goarus, uel etiam, Καὶ οἱ Βρεττανικοὶ, οἱ ἐν τοῖς νήσοις οἰκοῦντες, tumque apponendam esse τελείαν στιγμήν.

AD PAG. XXIX

Pro Διωδᾶν, uocabulo sine dubio corrupto, legendum e Salmasii mente, Διωνᾶν. *Desonaus* enim, et *Desonas*, in Latino est. Vide Chron. Lat. lib. I, p. XIV, et adde, quae de multiplici uocis huius scriptura ad num. CCCCXCII obseruamus. Georgius Syncellus p. CLIII χρονογρ. scribit, Διβδᾶν. Emendant quidam Βοδοίναν, quo inclinat etiam Goarus p. XLIV notarum. Tamen ego, quia historia incomperta, nullisque aliis ueterum scriptorum prodita est, somnia potius Criticorum proponi coniicio, quam satisfacientem eruditis lectionem spero. Pro Ιλίων in Latino ibidem est, *Elienſibus*. Veteres tamen codd. *Deliis* legunt, quasi scriptum fuerit in Graeco, Δηλίων. Sed omnino *Ilienſes*, non, *Elienſes*, scribendum est, quanquam Goarus quoque in aliis codd. apud Syncellum Ηλιαίων legi animaduertat. Neque enim Ηλιᾶοι quoque et Ηλεῖοι iidem sunt.

AD PAG. XXXI

Linea XXXIII Salmasius legendum esse censuit, Διὰ τὸ ἐπισήμονα εἶναι τῶν λεγομένων παρὰ τοῖς παλαισταῖς τρόπων χαμαὶ, polliceturque, alibi de hoc se plura dicturum esse. Nihil de cor-

corrupta lectione monet Goarus ad Syncell. p. CLXIII χρονογρ., ubi eadem χρῆσις ex EVsebio habetur. De Antaei morte e Didymo Io. Malala p. CXI χρονογρ. ita scribit, Ἀπελθὼν δὲ [ὁ Ηρακλῆς] ἐν τῇ Λιβύῃ χώρᾳ, συνέβαλε τῷ Ανταίωνι [γρ. τῷ Ανταίῳ τινι,] καὶ αὐτῷ ὄντι μυσικῷ, ποιοῦντι δὲ γηΐνά τινα. Vltima uerba Anglus interpres uertit, *Terrestresque quasdam artes exercuit*, nullo sane idoneo sensu. Cedrenus eadem de re p. CXXII agens, Antaeum uocat δαιμονιώδη τινὰ καὶ μυσαρὰ φάσματα τελοῦντα, e quo apparet, plane legendum esse, ποιοῦντι δὲ γητείας τινάς. Γητεῖαι enim recentioribus Graecis sunt γοητεῖαι, quod notasse iam Car. Dufresnium in Glossar. Graecobarb. p. CCXLIX meminimus.

AD PAG. XXXVI

Quae linea XXIII huius paginae Μυρίνα uocatur, Syncello p. CLXXXI χρονογρ. dicitur Μυρῖνα. EVstathius ad Dionys. uers. DXXIIX, p. CLV, Μύρρινα scribit. Rectius Μύρινα appellatur Straboni et Stephano. Inprimis autem notandum est, Μυρίναν πάρα τισι Σμύρναν εἰλέχθαι. Hinc enim est, uerba sunt Salmasii, quod Agathias Μυριναῖον in ueteribus libris dicatur, quem Smyrnaeum fuisse constat. Suidas, ΑΓΑΘΙΑΣ, σχολαστικὸς Σμυρναῖος, καὶ ἐξῆς.

AD PAG. XXXIX

Duo haec Pythiae oracula negligenter plane a Goaro et emendata sunt, et uersa. Primus uersus apud Syncell. p. CXCVI hoc modo legitur,

Ω Πελοποννήσου ναέται, περιβώμι' ἰόντες.

Vertit Goarus, *Qui Deorum simulachra aditis*, male, si quid iudicamus. Scaliger legit, παρὰ βωμὸν ἰόντες. Sed plane legendum erat, quomodo emendauit e Phlegontis Tralliani fragmento περὶ Ολυμπίων, inter eius opuscula p. CXLII a Meursio edito, Salmasius, περὶ βωμὸν ἰόντες. In mss. Goari tachygraphica nota

perſcriptum erat, βωμ῾, unde περιβώμια illa Goari. Altero in uerſu, pro πεύθεσθε Scaligeri, πείθεσθε iterum non ſatis bene ſcribitur. Ceterum triſtichum hoc prius Latino metro ita exprimerem,

Vos, Peloponneſi ciues, altaria propter
Ferte ſacra, et fatis uatum auſcultate lubentes,
Eleos ritusque, paternaque iura, regentum.

Alterius triſtichi ultimus uerſus in Syncello ſcribitur, ΕΥτ' ἂν ἐνὶ τριόδοις Φιλόφρων ἔλθῃ ἐνιαυτός. Scaligerana tamen lectio habetur in Phlegonte quoque Tralliano Meurſii. Syncellianam uertit Goarus, *Donec, annuis tribus periodis lapſis, iucundior et concors altera redeat.* Nihil hac in uerſione eſt, quod probem. Neque enim ἡ ε̅ν̅ ἀντὶ τῆς με̅τ̅α̅ ponitur, neque περίοδον τρίτην notat ἡ τρίοδος. Malim totum locum ἐμμέτρως ita interpretari,

Patria ſit uobis curae, non bella, nec arma,
Graecisque auctores communis foederis eſte,
Quando exoptatus triuiis proceſſerit annus.

PAG. XL

Multa hoc in catalogo Olympionicarum emendanda reſtant, quae tamen praeoccupauit fere V. C. Henricus Doduuellus in eruditiſſimo de Cyclis opere. Linea XXXV monuit Salmaſius pro corrupta uoce συκαρίτης reponendum eſſe συβαρίτης, quod omnino uerum eſt. Pauſaniae enim Eliac. I cap. VIII Φιλήτας συβαρίτης ὁ τὴν παίδων πυγμὴν τοπρῶτον νικήσας uocatus eſt.

PAG. XLII

Dicitur lin. XVII Αντήνωρ περιοδονίκης, ἄληπτος ἐν τοῖς τρισὶν ἡλικίαις. Salmaſius tamen ἄλειπτος legere mauult. Doduuellus, quum Olymp. CLIV Λεωνίδας Ρόδιος τριαστὴς uocatur, p. DCCLVI monuit, τριαστὴν fortaſſe eſſe ἄληπτον ἐν τρισὶν ἡλικίαις, uel τριταγωνιστήν. Ego tamen τριαστὴν malim explicari ex illa, quae de Olymp.

Olymp. LXVII habetur, periocha, Πρῶτος ἐτρίαστευσε (Salmasius recte emendat, ἐτριάστευστε) δίαυλον, ὅπλον, στάδιον. Τριαστὴς ergo est, qui una in Olympiade tres uictorias refert. Sane talis fuit Leonidas hic. Paullo enim post de eo Africanus, Μόνος δὲ, καὶ πρῶτος, ἐπὶ δ' Ολυμπιάδας στεφάνους Ολυμπιακὰς ἔσχε δώδεκα. Adde et hic Pausan. lib. II Eliac. cap. XIII. Paullo post, linea XXVI huius paginae, corrupte legitur, Λάδας Αἰγεύς. Scribendum est, Λάδας Αἰγιεύς. Pausaniae enim Lacon. cap. XXI Λάδας, Ἀχαιὸς, ἐξ Αἰγίου, uocatur. Stephanus, ΑΙΓΙΟΝ, πόλις Ἀχαΐας, ὡς ΕΤΔοξος ἐν ἕκτῃ. Ο πολίτης Αἰγιεὺς, ὡς ὁ χρησμὸς,

Τμεῖς δ' Αἰγιέες, ἅτε τρίτοι, ἅτε τέταρτοι.

Meminerunt eius urbis et alii, a Stephani interpretibus obseruati. Porro, linea XXXVII, Olympiadis CXXXIIX στάδιεὺς uocatur Μενεσθεὺς Βαρκελίτης, corrupte. Legendum enim est, Βαργυλιάτης. Iterum Stephanus, ΒΑΡΓΥΛΙΑ, ὀδέρως, πόλις Καρίας. -- Ἐξ αὐτῆς ὁ πολίτης, Βαργυλιάτης. Vide, quae addat ibi Abr. Berkelius, p. CCXI, in notis.

AD PAG. XLIV

Salmasius ad Scaligeranam ἱστοριῶν συναγωγὴν, p. CCCXLVII, in exhibita ibi Olympionicarum ἀναγραφῇ desiderari notauit Nicostratum, cuius robur memoratur Pausan. Eliac. lib. II cap. XXI p. CCCCXXXII, et Quinctiliano lib. II cap. XI Instit., atque de caussis corruptae eloquentiae dialogo, cap. X. In paginae igitur huius uersu V, ubi nescio qui στράτος, pro quo corrupto nomine Scaliger legit στράτις, memoratur, noli dubitare, in mss. Africani schedis fuisse, ... στρα]τος pro Νικόστρα]τος. AEtas sane conuenit. Quinctilianus enim se adolescentem Nicostratum senem uidisse affirmauit. Porro Nicostratus nondum senex, olympiade CCIV, quae conuenit anno Christiano, secundum Dionysii τὰ μικρὰ rationes, XXXIIX, uicit. Quinctilianus contra, uirilem aetatem iam ingressus, anno secundum EVsebium LXXXIX Romae

docere coepit. Ergo circa ultimos Neronis, uel priores Vespasiani, annos Nicostratus a Quinctiliano senex conspectus est. Deinde Νικόστρατος Αργεάτης fuisse dicitur, haud castigate. Nam Αργεώτης scribendum est. Stephanus in ΑΡΓΕΟΤ ΝΗCOC, ΟΙ οἰκήτορες Αργεῶται, ὡς τῆς Νικίᾳ Νικιῶται. In eadem συναγωγῇ, quod obiter hic inserere libuit, p. cccxiix, b. lin. xiix, Salmasius legendum statuit, Εξαίνετος, Εμπεδοκλέους Ακραγαντίνου υἱὸς, κάλπη, additque haec uerba, *Quis sit hic* δρόμος κάλπης, *nos alibi dicturi sumus.*

AD PAG. XLIX

In Berosi uerbis, quae eodem, quo Scaliger edidit, modo apud Syncell. p. ccxxvi χρονογρ. leguntur, lin. xx Salmasius emendat, Καὶ δὸς ἡγητήριον αὐτῷ Καρμανίαν, quia uidelicet infra in Abydeni uerbis legitur, τῷ δὲ Κῦρος, ἑλὼν Βαβυλῶνα, Καρμανίης ἡγεμονίην δωρέεται. *Carmania* regio Indica est, non *Caramania*, quomodo tamen in uersione Syncelli male scribitur. Paullo inferius in ipsis Abydeni uerbis lin. xxxiii Salmasius legendum censet, τελέως ἀμείνονος κυρῆσαι.

AD PAG. L

Verba illa lineae xxxvi, φθάνειν ἀπείπασθαι, καὶ ἑξῆς, optime explicat Salmasius sequentibus Suidae in uoce ΛΕΟΝΤΙCKOC uerbis, Λαμβανόμενος δὲ ἄκρων τῶν χειρῶν τῆς ἀνταγωνιστοῦ, κατέκλα, καὶ ὁ πρότερον ἠφίει, πρὶν αἷθοιτο ἀπαγορεύοντος. Adde huc Pausaniam, et, qui eum hac in re explicauit, P. Fabrum in Agonistico, ac Salmasium ipsum ad Solinum.

AD PAG. LVII

Male legitur etiam in correctissima alioqui, et ab Alexandro Moro procurata, editione, (quae etiam, ut obiter hoc moneam, si per apostrophum ultima in praepositione uocalis amittitur, accentum in penultimam, quomodo in priori quoque

ἐνδό-

ἐκδόσει factum erat, reiicere non satis καὶ τὸν τεχνικὸν κανόνα consueuit) Εν Αρβήλαις. Recte enim Salmasius emendauit, Εν Αρβήλοις, quomodo in Syncello quoque p. CCLXI χρονογρ. editum est. Αρβηλα nempe, non Αρβηλαι, Stephano urbs dicitur esse Persiae, Ptolemaeo Assyriae, Chronico Paschali p. LXXXII Arabiae, EVsebio denique Mediae. Meminit eius, praeter alios, Strabo lib. XVI, Curtius lib. III cap. IX, Arrianus lib. VI, Plinius saepius, et Plutarchus in Alexandro, ubi deprauate olim Αρβιλα scribebatur. Suidas, ΑΡΒΗΛΑ, ὄνομα τόπου, ΑΡΒΥΛΗ δὲ, τὸ ὑπόδημα. Deinde ad lin. XVI notat Salmasius, legi etiam posse, Τὴν ἡμίσειαν ἔλαβε χώρας, quae lectio non minus, quam uulgata recte se habet, immo etiam Ατικωτέρα est. Εν τῷ μεταξὺ δὲ τὸ ΜΟΙΡΑΝ ὑπανεγέον. Interim uulgata tamen se auctoritate Syncelli tuetur, in cuius p. CCLXII χρονογρ. itidem legitur, Τὴν ἡμίσειαν ἔλαβε χώραν.

AD PAG. LIIX

Rectissime locum, lin. XIII et sequentibus inueniendum, emendauit et interstinxit Salmasius, Καθ' ἣν ἀρχομένην, πρινὴ ἄρξασθαι, Αριδαῖον κτείνεται ἡ Αλεξάνδρου μήτηρ, ἡ παρὰ Αιακοῦ σταλεῖσα, τοῦ βασιλέως Ηπείρου, ἡ τοῦτον φυγοῦσα, καὶ πρὸς Μακεδόνας ἐλθοῦσα. Κτείνεται pro κτείνει hoc in loco μέσως dicitur, quemadmodum ὁ παρακείμενος quoque, ἀπέκτονα. De Aridaeo Diodorus Siculus legatur. Goarus locum eundem, apud Syncell. p. CCLXV χρονογρ. reperiundum, ita uertit, *Sub cuius* (Olymp. CXIV) *exordium, uel etiam prius, Olympias, Alexandri mater, ab AEaco, Epiri Rege, simulata ab eo fuga, dimittitur, et, ad Macedones profecta, Aridaeum interficit.* Scilicet ille in Graeco ita legit, Καθ' ἣν ἀρχομένην, ἢ πρὶν ἄρξασθαι, τὸν Αριδαῖον Ολυμπιὰς κτείνεται, ἡ Αλεξάνδρου μήτης, ἡ παρὰ Αιακοῦ σταλεῖσα, τοῦ βασιλέως Ηπείρου, ὡς τοῦτον φυγοῦσα, καὶ πρὸς Μακεδόνας ἐλθοῦσα. Porro ad lin. XX bene obseruauit Salmasius, Ελατρον, si uera sit uulgata lectio, eam esse, quam alii Ελάτρειαν uocent. Suidas, ΕΛΑΤΕΙΑ, πόλις μεγίστη τῶν ἐν Φωκεῦσιν. Ενιοι δὲ διὰ τοῦ Ρ προφέρουσιν, ΕΛΑΤΡΕΙΑΝ δοκοῦντες ἄμεινον γράφειν. Adde Ste-

phanum quoque in ΕΛΑΤΕΙΑ. At Goarana Syncelli editio, si ea potuisset a Salmasio inspici, omne dubium summouisset. In ea enim p. CCLXV χρονογρ. legitur expresse, Εν Ελατείᾳ. In eadem paullo post, linea uidelicet XXV, pro Φοβερωτάτȣ plane uere rescribitur Φοβερώτατος, quomodo ad marginem codicis sui notarat iam olim ὁ πάνυ, quum uidelicet ad Δημήτριος haec uox referenda sit.

AD PAG. LIX

Operae omnino precium est, illustrem plane, nec satis ab ullo hactenus interpretum eius excussum, Liuii e lib. XLV cap. XXXIX locum, quem Graecus auctor ante oculos habuit, cum ipso hoc Dexippi, quantiuis precii fragmento, componere, et hunc ex eo, simulque ex Plutarcho, si quando Graeca corrupta sunt, uno labore emendare:

ΕΚ ΤΩΝ ΔΕΞΙΠΠΟΥ

Τὴν δὲ χώραν ὅλην διεῖλον εἰς τέσσαρα μέρη,

Ων τὸ πρῶτον τὰ μεταξὺ Νέστȣ ποταμȣ̃, καὶ Στρύμωνος (ita Syncellus, qui totum hunc locum p. CCLXIIX χρονογρ. attulit. Scaliger recte legit Στρυμόνος. Στρυμῶνος itidem haud emendate legitur in Scylace, pp. XXVII, et XXIX περίπλȣ, Tom. I Geograph. minor. Hudsonii. In excerptis Strabonis, lib. VII p. CCCXXXI, ed. Casaub. Στρυμμόνος male editum est. Nec satis recte in Chronico Alex. p. LXXX fluuius idem Στύρμων uocatur. In

LIVI VERBA

Deinde in quatuor regiones diuidi Macedoniam:

Vnam fore, et primam, partem, quod agri inter Strymonem et Nessum (Νέσος Ptolemaeo lib. III cap. XI, Νέστος Thucydidi et Stephano, Νεστὸς Scymno Chio u. DCLXXIII, Scylaci p. XXVII περίπλ., aliisque, Νεσσὸς excerptis Strabon. lib. VII, nisi tamen mss. lectio, qui Νεστὸς habent, uerior est, nec non Aristoteli lib. VI hist. anim. cap. XXXI, et Μεστὸς denique Zonarae, atque Numis, fluuius hic uocatur. Neque enim Μεστικὸν, ur-

In Notitia ecclesiastica p. XXI Στρυμνὸς tamen nuncupatus est, et Ηράκλεια Στρύμνȣ memoratur Constantino Porphyrogennetae, lib. II θεμ. p. LXXXIII) ϗ τὰ πρὸς ἀνατολην τȣ̃ Νέστȣ Ερύμην (ita locum mutilum e Syncelli schedis suppleo. Vocem ΕΡΥΜΗΝ redundare ait Goarus; ego potius corruptam maxime agnosco, cuius loco e Liuio, περατικὰ μέρη, uel simile quid, rescribere malim. Περατικὰ μέρη τȣ̃ Νέστȣ sunt *transmarinae Nesti partes*, territorium uidelicet Bistonum, et Ciconum, ad Rhodopen usque montem, in quantum Perseus tenuerat. Vide de uocis περατικὸς usu Car. Dufresn. Glossar. Graecobarb. p. ∞CXLIIX. Salmasius in suis sibi coniecturis non constat. Nec tamen expostulari cum eo iure possis, si Dexippi mentem non assequitur, quum locus in Scaligeri edd. non sit integer. Ille pro ΕΡΥΜΗΝ legit ΟΙϹΥΜΗΝ, quam in ora inter Strymonem et Nessum ponit Plinius, et Ptolemaeus. Vide Stephanum, et Harpocrationem. Adde hic Maussacum, ibi Th. de Pineurbem Constantino Imp. περὶ θεμάτων p. LXXXIII nominatam, in Νεστικὸν cum Fed. Morello actutum mutauerim) *amnem sit: accessurum huic parti trans Nessum, ad orientem uersum*, (malint alii, deleta praepositione, *orientem uersus*, quia uidelicet Nessus ad occidentem potius, quam orientem uergit. Equidem nihil mutandum censeo. *Ad orientem uersum* notat τὴν πρὸς ἀνατολὴν χώραν) *qua Perseus tenuisset uicos, castella, oppida, praeter* (in Graeco est ϗ τὰ πρὸς Αβδηραν, ϗ Μαρώνειαν, ϗ Αἶνον πόλεις. Verte, *territorium circa Abderam*, etc. Ipsae enim tres urbes illae excludebantur, nec Macedoniae annumerabantur: Sed et liberae erant, et αὐτόνομοι. Abdera, libera ciuitas, Liu. lib. XXIII cap. IV, et Plinio lib. IV H. N. cap. XI, Maronea, quae Macedoniae a Constantino Porphyrog. de them. II, Them. II, ascribitur, atque AEnos etiam, eidem Liuio lib. XXXIX, cap. XXVII, liberae uocantur) *AEnum, et Maroneam, et Abdera: trans Strymonem autem, uergentia ad occa-*

nedo. Suidas, ΟΙϹΥΜΗ, πόλις τῆς Θρᾴκης. Admitti haec coniectura nequit, quia trans Nessum regiones innuuntur, non urbs aliqua, quae cis Nessum sita fuit. Haec ratio alteram quoque eius suspicionem, quum ait, ueram lectionem esse ΕΛΥΜΗΝ, labefactat. Etsi enim uel maxime Ελύμη illa sit aliorum Ελίμεια, uel Ελύμεια, uel Ptolemaei etiam Ελυμα, notum tamen esse debet e Liuio, lib. XLV, cap. XXX, eam ad quartam Macedoniae regionem, non ad primam, pertinuisse, neque procul ab Epiro, longissime uero a Nesso, abfuisse) ϗ τὰ πρὸς Αβδηραν (ita Syncelli editio. Scaliger, Αβδηρα, quod magis Graecum,) ϗ Μαρώνειαν, ϗ ΑΙνον, πόλεις, πρὸς δυσμὰς δὲ τȣ̃ Cτρύμωνος (γρ. Cτρυμόνος) Βισαλτία πᾶσα μετὰ τῆς ἐν τῇ Cιντικῇ Ηρακλείας.

Δεύτερον μέρος, ὅπερ ἀπὸ μὲν ἀνατολῆς ὁρίζει ὁ Cτρυμὼν ποταμὸς, ἀπὸ δὲ δυσμῶν ὁ καλȣ́μενος Αξιος (Sic Homerus, excerpta Strab. lib. VII, Scylax p. XXVI, Suidas, Stephanus in ΑΜΦ ΑΞΙΟΝ, Plut. in Demetrio, P. I OO. p. DCCCCIX, Nicephorus Gregoras lib. IIX Ρωμ.

occasum, Bisalticam omnem, cum Heraclea, quam Sinticem (unde hoc nominis acceperit, Stephanus in CINTIA docet. *Sentica* uocatur, si lectio non corrupta est, Caesari lib. III de B. C. cap. LXXIX. *Sinticem* enim Plinius lib. IV, cap. X, etiam nominauit. Facilis tamen unius litterae lapsus est, et fortasse Graeci, quomodo in numis interdum uisitur, Cειντικὴν aliquando scripserunt. Tres porro sunt, Plinio memoratae, Macedoniae Heracleae. Vna ad OEtae radices, quam Ηράκλειον, πρώτην πόλιν Μακεδονίας, uocat Scylax, περίπλῳ, p. XXVI. In Scylace nihil uidetur mutandum. Nam Ηράκλειον uocat et Plutarch. in AEmilio, Tom. I OO. p. CCLXIX. Haec ab Hercule, si qua alia, congrue nomen accepit. Nam Lucanus lib. III uers. CLXXIIX OEten *Herculeam* dixit, et fabula nota est. Tertiae haec regionis erat, ut mappae facile edocent. Secunda Sintica, de qua iam sermo fuit, primae regionis. Tertia Chalcidica in altera regione, quam cum Sintica male confudit Io. Harduinus

ρωμ. ἴσος. aliiq;. Cedrenus p. DCCV συνόψ. ἴσος. ΑΞΙΟΝ uocat. Strabo lib. VII p. CCCXXVII, Ptolemaeus lib. III cap. XIII, paucique alii, ΑΞΙΟΝ scribunt) ἢ οἱ παρακείμενοι αὐτῷ (uidetur, ut e sequenti commate patebit, et Liuii testimonio probari potest, uox ΠΑΙΟΝΙΑΣ esse addenda) τόποι.

Τρίτον, ὃ περιέχει κατὰ δυσμὰς μὲν ὁ Πηνειὸς ποταμὸς, κατὰ τὸν ἄρκτον (ita ed. Syncelli. Scaliger rectius legit, κατὰ δὲ ἄρκτον) τὸ λεγόμενον Βέρνον ὄρος, (montem *Boram* Liuius uocat. Ego non dubito, Βέρμιον ὄρος, prout Salmasius uoluit, legendum esse, quamuis Βέρμιον ὄρος et Boram distinguat in tabula Macedoniae Geographica Chr. Cellarius. Βερμίου ὄρους meminit Ptolem. lib. III cap. XIII. Excerpta Strabon. lib. VII, Ὅτι ἡ Βέροια πόλις ἐν τοῖς ὑπωρείοις κεῖται τῶ Βερμίου ὄρους. Io. Douiatius ad Liuium, p. DCCIX, Orbelum esse Liuii Boram opinatur. Male omnino. Quia enim Orbelus in limite Thracico cum Haemo connectitur, et Moesiam a Macedonia dirimit, ut Ph. Brietius notat, et patet e Strab. lib. VII epitoma, Ptolem. nus not. ad Plin. p. CCCCXXXVI. His Ptolemaeus quartam Lynceſtidos, in tertia regione, lib. III cap. XII γεωγρ. addit) *appellant.*

Secundam fore regionem, quam ab ortu Strymo amplecteretur amnis, praeter Sinticen Heracleam, et Bisaltas, qua Axius terminaret fluuius, additis Paeonibus, qui prope Axium flumen (ΑΜΦΑΞΙΤΑΣ uocat Stephanus. Axium Hesychius Paeoniae fluuium dixit. Hunc male Abr. Ortelius in Thes. Geographico alium a Macedonico Axio esse iudicauit. In Chronico Paschali p. LXXX ΕΞΙΟΝ corrupte inter ποταμὸς ἐπισήμους refertur, qui ΑΞΙΟΝ uocandus erat, quomodo emendat Dufresnius p. CCCCXCVI notarum, quem de hoc fluuio ad Alexiadem addas) *ad regionem orientis colerent.*

Tertia pars facta, quam Axius ab oriente, Peneus amnis ab occasu, cingunt: ad septentrionem Bora mons obiicitur. Adiecta huic parti regio Paeoniae, qua ab occasu praeter Axium a-

 nem

lem. lib. III cap. IX, et Io. Tzetza Chiliad. XI, u. DCCCCV, ad primam potius regionem, non sane ad tertiam, est referendus) προστεθέντων καὶ τινων τόπων τῆς Παιονίας, (male uertit Goarus, *Pannoniae loca*. Distinguendi enim omnino sunt, licet multi eos confundant, Paeones et Pannones, quod docuit Dio lib. XLIX, p. CCCCXIII,) ἐν οἷς καὶ πόλεις ἀξιολόγοι, Εδεσα, καὶ Βέροια.

Τέταρτον, καὶ τελευταῖον, ὅπερ τὸ Βέρνον ὄρος (γρ. Βέρμιον ὄρος) συνάπτει τῇ Ηπείρῳ, καὶ τοῖς κατὰ τὴν Ιλλυρίδα τόποις.

Ηγεῖτο δὲ καὶ τέσσαρες πόλεις τῶν αὐτῶν τεσσάρων μερῶν. Τὸ μὲν πρώτον (regio haec Macedoniae prima ἡ πρώτη Μακεδονία in numis uocatur. Plutarcho *in Pyrrho* Tom. I OO. p. CCCLXXXIIX ἡ ἄνω Μακεδονία audit. Stephanus in ΑΜΦΙΠΟΛΙC Μακεδονίαν κατὰ Θρᾴκην nuncupauit) ΑΜΦΙΠΟΛΙC, (liberum oppidum Plinio lib. IV cap. X) τὸ δεύτερον (haec pars in numis δευτέρα Μακεδονία appellatur. Vid. Ez. Spanh. orbis Romanus, exerc. II, cap. IX, p. CC XXXIX. Αλία etiam, quia ad mare AEgaeum plane uergebat integra, aliquando nominata est. *mnem porrigitur. Edessa* (Ptolemaeus lib. III cap. XIII corrupte, ut puto, ΑΙδεσαν uocat, quomodo legitur tamen etiam apud Dionem in excerptis Valef. p. DCCXI. Τὸ μοναδικὸν γράμμα non duplicant, praeter Syncellum, Polybius, Chron. Pasch. p. LXXXIII, Cedrenus p. CLXVI, alibique, Malala in Iustino p. CXL part. poster., Suidas in ΕΔΕCHNOC, ut recentiores plures praeteream) *quoque, et Beroea* (ita etiam in Graeco est Βέροια. Βερόη, Thraciae urbs, memoratur Constantino Imp. περὶ θεμάτων, lib. II. p. LXXXIII. Βέρροια tamen in Syncello emendabat Goarus: qua correctione non opus. Βέροια enim, littera canina non duplicata, uocatur etiam a Luca πραξαπόστ. cap. XVII, tmem. XII, Polybio, Plinio lib. IV cap. X, excerptis Strab. lib. VII, ipso Strab. lib. XVI p. DCCLI, Procopio, Stephano, Iornande, aliisque multis, ut numos praeteream. Βερύα tamen, quod in notit. eccles. p. XXI occurrit, et Βερροία apud Constant. Porphyrog. περὶ θεμ. lib. II p. LXXXVII, in Βέρροια, uel Bé-

eſt. Stephanus, ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΗ, πόλις Μακεδονίας, ἥτις ἄρα ἐκαλεῖτο ἁλία. Non enim Αλια, ut uolunt Stephani interpretes, Theſſalonica unquam dicta, ſed ἡ δευτέρα Μακεδονία, ὅπερ δὴ ἔδει δεῖξαι) ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΗ, (liberae conditionis Plinio lib. IV cap. X H.N.) τȣ̃ τρίτȣ ΠΕΛΛΑ, τȣ̃ τετάρτȣ ΠΕΛΑΓΩΝΙΑ. (ſcribendum eſt ΠΕΛΑΓΟΝΙΑ per ō breue. Vide Scymnum Chium, uerss. CCCCII et DCCX. Stephanus, ΠΗΛΑΓΟΝΙΑ, μοῖρα Μακεδονίας. Excerpta Strab. lib. VII, ΟΙ γὰρ Παίονες ΠΗΛΕΓΟΝΕC ἐκαλȣ̃ντο. Potius ſcribendum eſt, ΠΗΛΑΓΟΝΕC. Iterum Stephanus, Εοικε δὲ γράφεσθαι τὸ μεν τῆς χώρας ὄνομα, μετὰ τȣ̃ ἐθνικȣ̃, κατὰ δευτέραν συλλαβὴν, διὰ τȣ̃ α, τὸ δὲ τȣ̃ ἥρωος μόνον, δια τȣ̃ ε. Strabo ipſe tamen lib. VII, p. CCCXXVI, ΠΕΛΑΓΟΝΙΑΝ ſcribit. Paeones, teſte Tzetza, Bulgari medio aeuo uocabantur. Sed Pelagones tamen uidentur tum fuiſſe diuerſi a Paeonibus populi. Vide Niceph. Gregor. lib. IX ἱστορ. Ρωμ. cap. XXXIV. Corruptiſſime ea regio Marciano Capellae *Paphlagonia* uocatur. Sed et *Pelagoniae*, ciuitatis, quisnam praeter Liuium, Deβέροια omnino debet reformari) *eodem conceſſerunt.*

Quarta regio trans Boram montem, una parte confinis Illyrico, altera Epiro.

Capita regionum, ubi concilia fierent, primae regionis AMPHIPOLIN, ſecundae (de ſecunda regione Io. Malala p. CCCXXXIIX χρονογρ. ita ſcribit, Εποίησε δὲ ϗ (ΟΥεσπατιανὸς) ἐπαρχίαν ΜΑΚΕΔΟΝΙΑΝ ΔΕΥΤΕΡΑΝ, ἀπὸ τῆς ΠΡΩΤΗC αὐτὴν διαμερίσας. AEmilii nempe tempore libera erat unaque χώρα quadripartita Macedonia. Hinc in Biſaltarum, primae regionis Macedonicae populi, numis, apud H. Golzium numiſm. Graec. tab. XXIV inueniendis, quatuor in auerſa numi parte quadrata, uni quadrato, inque alio, a L. Begero theſ. Brandenb. p. CCCCLXXXI producto, quatuor uni circulo quadrata incluſa, quum conſpiciuntur, figura χώρας Macedonicae, unius quidem, ſed quatuor tamen partibus conſtantis, adumbratur. Poſtea, Caeſaris circiter tempora, pars tantum huius χώρας *libera* dicebatur, regiones, ut puto, prima et ſecunda, uel certe aliquae ea-

Dexippum, et Constantinum Imp. p. LXXXVII lib. II περὶ θεμάτων, meminerit, non memini) Εν ταύταις ἀρχηγοὶ τέσσαρες καθεσάθησαν, καὶ οἱ φόροι ἠθροίζοντο.

ΚΑΙ ΠΑΛΙΝ

Επὶ τούτοις ὁ Αιμίλιος ἀγῶνας καὶ ποτὲ μεγαλοπρεπεῖς τῷ πλήθει συνάξας (*congiarium populo sanxit*, uertit Goarus. E Dexippi mente recte. *Congiarium* enim populo, militi *donatiuum* dabatur. Sed Liuium uide. Suidas in ΑΙΜΙΛΙΟΣ, Τοὺς δὲ παρὸς αὐτὸν ἀφικομένους τῶν Ευρωπαίων πρέσβεις, εἰσία πολυτελῶς, τῇ λαμπρότητι τὰ συμποσίᾳ φιλοτιμούμενος) τὰ εὐαθέντα χρήματα εἰς τὴν Ρώμην ἀπέστειλεν.

ΚΑΙ ΠΑΛΙΝ

Ο δὲ σοφώτατος Αιμίλιος (Suidae enim est ἀνὴρ σώφρων, καὶ φέρειν εὐπαραγίας εἰδὼς, καὶ ἱκανὸς, id est, *strenuus*. Hinc Cicero eum lib. II de N. D. segm. CLXV inter uiros Deo charos retulit) ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας ἐθριάμβευσεν.

Καὶ τῇ μὲν πρώτῃ ἅμαξαι χίλιαι διακόσιαι παρῆλθον, φέρουσαι λευκὰς καὶ τραχείας [Salmasius, Θρακίας, earundem urbes. Vide Caesar. de B. C. lib. III cap. XXXIV. Sane enim Amphipolis, et Thessalonica, ut uidimus, Plinii adhuc aetate liberae iudicabantur. Sequenti tempore, quia αὐτονομία reliquis partibus adempta erat, plane uerosimile est, Macedoniam in duas tantum partes, τὴν ἄνω, liberam, et τὴν κάτω, quae libertate exciderat, diuisam esse. Liberam ergo iterum Vespasianus, qui libertatem, a Nerone restitutam, aliis etiam Graeciae urbibus ademerat, in duas partes, a se diuersas plane, distinxit. Primam, ut uidetur, liberam reliquit, alteram in prouinciae formam redegit; ita uidelicet, ut non proprios amplius creare ei liceret magistratus, suisque legibus uti, sed praesidio Romano teneretur, et δικαιοδότας, ex Vrbe eo mittendos, expectaret) *THESSALONICEN, tertiae PELLAM*, (Πέλλη dicitur Suidae, Constantino Porphyrogennetae περὶ θεμάτων lib. II p. LXXXVII, et Cedreno. Inde *Pelle* est Pomp. Malae lib. II, cap. III. Πέλα male *scribitur* in Chron. Pasch. p. LXXXII. Nomen hodie non retinet, ut ad Ptolemaeum P. Bertius uoluit, sed τὰ παλαίσια, uel τὰ παλατίτζια, ut e Critopulo constat, uocatur) *quartae PELAGONIAM*

κίας, ait, forte legendum. Sed uulgatam tamen se alibi astructurum promittit. Scaliger etiam Θρακίας suspicatur in notis. Ego eorum coniecturas firmo e Plutarcho, qui die secundo, quem cum primo uel Plutarchus, uel Dexippus, confundit, Θράκια γέρρα producta esse asserit) ἀσπίδας, καὶ ἄλλας χιλίας διακοσίας ἅμαξας πλήρεις ἀσπίδων χαλκῶν, καὶ ἑτέρας τριακοσίας λόγχας, καὶ σαρίσας, καὶ τόξα, καὶ ἀκόντια γέμουσας. Προηγοῦντο δὲ αὐτῶν, ὡς ἐν πολέμῳ, σαλπιγκταί. (hoc Plutarchus tertio die factum esse prodit) Ησαν δὲ καὶ ἄλλαι πολλαὶ ποικίλα εἴδη φέρουσαι, (καὶ) κάμακες (uide Dufresn. Gloss. Graecobarb. p. DLIX) ὀκτακοσίας καθωπλισμένας.

Τῇ δὲ δευτέρᾳ προεκομίσθη νομισμάτων τάλαντα χίλια, ἀργύρου δὲ (ἀτήμου puta) τάλαντα δισχίλια, διακόσια (ita Syncelli editio. Scaliger legit, Τάλαντα δισχίλια διακόσια, ἐκπωμάτων πλῆθος, ἀγαλμάτων καὶ ἐξῆς. Goarus in uersione locum inuertit, et poculorum quidem D, statuas uero et tabulas curruum uehentium ec tantum meminit) ἐκπωμάτων, πλῆθος ἀγαλμάτων καὶ *NIAM fecit. Eo concilia sua cuiusque regionis indici, pecuniam conferri,* (non sequitur enim, quia αὐτόνομος erat, Macedoniam ideo etiam fuisse ἀφορολόγητον, etsi στρατηγὸς Ρωμαῖος tributa non exigeret) *ibi magistratus creari iussit.*

EX EODEM

(capp. XXXII et XXXIII)

Ab seriis rebus ludicrum .... magno apparatu Amphipoli fecit.... Epulae quoque legationibus paratae (quae *lautia* uocabantur. Vide Festum) *et opulentia et cura eadem. .... Dein praeda Macedonica, in classem imposita, deuehenda Romam Cneio Octauio data.*

Sequitur ingens lacuna in Liuio, quam e Plutarcho, etsi dissimulet, suppleuit Io. Douiatius. Plutarchi ergo ἀποσπασμάτιον e L. Paullo AEmilio, p. CCLXXII ed. Paris. inueniendum, subiiciemus loco uerborum Liuii:

Τῆς δὲ πομπῆς εἰς ἡμέρας τρεῖς νενεμημένης,

Ἡ μὲν πρώτη, μόλις ἐξαρκέσασα τοῖς αἰχμαλώτοις ἀνδριάσι, καὶ γραφαῖς, καὶ κολοσσοῖς (*signa tabulasque* uocat Florus lib. II, cap. XII,) ἐπὶ ζευγῶν πεντήκοντα καὶ διακοσίων κομιζομένοις, τούτων ἦχε (ita legendum) θέαν.

Τῇ δ' ὑστεραίᾳ τὰ κάλλιστα καὶ πολυτελέστατα τῶν Μακεδονικῶν ὅπλων ἐπέμπετο πολλαῖς ἁμάξαις, (*arma pecu-*

καὶ ἀνδριάντων ποικίλων ἅμαξαι πεντακόσιαι, (Plutarchus diei primo adscripsit, et ἁμάξας πεντήκοντα καὶ διακοσίας numerauit) ἀσπίδες δὲ χρυσαῖ*** (lacunam non notat Scaliger) καὶ πίνακες ἀναθεματικοὶ πάμπολλοι.

Τῇ τρίτῃ προηγοῦντο λευκαὶ βόες, εὐπρεπεῖς, ἑκατὸν εἴκοσι, χρυσοῦ τάλαντα ἐν φορήμασι διακοσίοις εἴκοσι, (Plutarchus uasa LXXVII tantummodo numerat. Numerus talentorum deesse uidetur) φιάλη δέκα ταλάντων χρυσοῦ διάλιθος, (Plutarchus διὰ λίθων. Veteres tamen codices et ibi διάλιθον habent, quod sane, quia minus obuium, non statim mutandum erant. Ad formam τοῦ διάχρυσος fit διάλιθος. Videndus de hoc uocabulo C. Dufresn. Gloss. Graecobarb p. CCXCVII. Ego tamen, etsi in aliis etiam uocabulis id fecerit, hanc uocem Graecobarbaram esse, nollem uirum doctum minus recte statuisse) χρυσωμάτων παντοῖαι κατασκευαὶ ταλάντων δέκα, ἐλεφάντων ὀδόντες δισχίλιαι

pecuniasque transuecta esse altero die Florus l.d. docet,) αὐτά τε μαρμαίροντα χαλκῷ νεοσμήκτῳ καὶ σιδήρῳ, ... κράνη τε πρὸς ἀσπίσι, καὶ θώρηκες ἐπὶ κνημῖσι, καὶ Κρητικαὶ πέλται, καὶ Θράκια γέῤῥα, καὶ Φαρέτραι, ... καὶ ξίφη γυμνὰ, ... καὶ σάρισαι (γρ. σάρισσαι. Vtraque scriptura in antiquis libris legitur. Dufresnius p. ∞ CCCXXXV Gloss. Graecob. inter neograeca uocabula etiam illud praeter meritum retulit) παραπεπηγυῖαι. .... Μετὰ δὲ τὰς ὁπλοφόρους ἁμάξας ἄνδρες ἐπορεύοντο τρισχίλιοι, νόμισμα φέροντες ἀργυροῦν ἐν ἀγγείοις ἑπτακοσίοις πεντήκοντα τριταλάντοις, (mallem, ut infra habetur, τριταλαντιαίοις scribere. Numerus hic argenteorum numismatum Dexippeum excedit. Ille enim ∞ talenta tantum recensuit. Quodsi uero quodlibet uasorum tria numorum talenta comprehendit, summa omnium numismatum erunt ∞ ∞ CCL talenta) ὧν ἕκαστον ἀνὰ τέσσαρες ἐκόμιζον. ἄλλοι δὲ κρατῆρας ἀργυροῦς, καὶ φιάλας, καὶ κύλικας, εὖ διακεκοσμημένα πρὸς θέαν ἕκαστα, καὶ περιττὰ τῷ μεγέθει, καὶ τῇ παχύτητι τῆς τορείας.

Τῆς δὲ τρίτης ἡμέρας, ἕωθεν μὲν εὐθὺς ἐπορεύοντο σαλπιγκταὶ, μέλος οὐ προσόδιον, (interpres, *non quales solent in supplicationibus*, quasi προσῴδιον legerit. Vide et hic Dufresn. Gloss. Graecob. p. ∞ CCLVII] καὶ πομπικὸν, ἀλλ'

χίλιαι τριπήχεις, ἅρμα ἐλεφάντινον ἐκ χρυσοῦ καὶ λίθων, ἵππος φαλάραις διάλιθος, καὶ τῇ λοιπῇ διασκευῇ διαχρύσῳ πολεμικῶς κεκοσμημένος, κλίνη χρυσῆ, στρωμναῖς πολυανθέσι κάτεστρωμένη, φορεῖον χρυσοῦν περιπεπετασμένον πορφύραν, ἐφ' οἷς Περσεὺς, (secundum Florum lib. II cap. XII *tertio die captiui, ipseque Rex attonitus adhuc, tanquam subito malo stupens, pompam triumfalem finierunt*) ὁ δυστυχὴς βασιλεὺς Μακεδόνων, ἅμα (uxorem addit Constantinus Imp. lib. II περὶ θεμάτ. p. LXXXVII) δυσὶν υἱοῖς καὶ θυγατρὶ μιᾷ, καὶ τοῖς ἡγεμόσι διακοσίοις πεντήκοντα, [μετὰ τούτους δὲ] στέφανοι τετρακόσιοι, δοθέντες ἐκ τῶν πόλεων, καὶ τῶν βασιλέων, καὶ ἐπὶ πᾶσιν Αἰμίλιος (uide Propert. lib. IV Eleg. ult. uers. XXXIX, et Virgil. lib. I uers. CCLXXXIIX AEn. Locum enim Virgilii de AEmilio capiendum esse, docuit A. Turneb. lib. X cap. XI Aduers. Adde his Diod. Sicul. lib XXXI, ex eoque Photium cod. CCXLIV p. ∞CLVI) ἐφ' ἅρματος ἐλεφαντίνου καταπλήκτου.

ἀλλ' οἵῳ μαχομένους αὐτοῦς ἐποτρύνουσιν οἱ Ρωμαῖοι προσεγκελευόμενοι. Μετὰ δὲ τούτους ἤγοντο χρυσοκερωτροφίαι βοῦς ρκ', μίτραις ἠσκημένοι καὶ στέμμασιν, ... εἶτα μετὰ τούτους οἱ τὸ χρυσοῦν νόμισμα φέροντες, εἰς ἀγγεῖα τριταλαντιαῖα μεμερισμένον, ὁμοίως τῷ ἀργυρίῳ, τὸ δὲ πλῆθος ἦν ἀγγείων π', τριῶν δέοντα. [ergo iuxta Plutarchum CCXXXI auri talenta in triumfo illo Romam deuecta sunt] Τούτους ἐπέβαλλεν οἵτε τὴν ἱερὰν φιάλην ἀνέχοντες, ἣν ὁ Αἰμίλιος ἐκ χρυσοῦ δέκα ταλάντων διὰ λίθων [γρ. διάλιθον] κατεσκεύασεν, οἵτε τὰς Αντιγονίδας, καὶ Σελευκίδας, [u. Stephanum in ΣΕΛΕΥΚΕΙΑ] καὶ Θηρικλείους, καὶ ὅσα παρὰ δεῖπνον χρυσώματα τοῦ Περσέως, ἐπιδεικνύμενοι, τούτοις ὑπέβαλλε τὸ ἅρμα τοῦ Περσέως, καὶ τὰ ὅπλα, καὶ τὸ διάδημα, τοῖς ὅπλοις ἐπικείμενον, εἶτα, μικροῦ διαλείμματος ὄντος ἤδη, τὰ τέκνα τοῦ βασιλέως ἤγοντο δοῦλα, ... ἦν δ' ἄῤῥενα μὲν δύο, θῆλυ δὲ ἓν, ... αὐτὸς δὲ τῶν τέκνων Περσεὺς, καὶ τῆς περὶ αὐτὰ θεραπείας, κατόπιν ἐπορεύετο, ... ὑπὸ δὲ μεγέθους τῶν κακῶν πάντα θαμβοῦντι καὶ παραπεπληγμένῳ μάλιστα τὸν λογισμὸν ἐοικὼς, καὶ τούτῳ δ' εἵπετο χορὸς φίλων, καὶ συνηθῶν, ... ἐφεξῆς δὲ τούτοις ἐκομίζοντο χρυσοῖ στέφανοι τετρακόσιοι τὸ πλῆθος, οὓς αἱ πόλεις ἀριστεῖα [uide Suidam in ΑΡΙΣΤΕΙΟΝ] τῆς νίκης τῷ Αἰμιλίῳ μετὰ πρεσβειῶν ἔπεμψαν, εἶτ' αὐτὸς ἐπέβαλεν ἅρματι κεκοσμημένῳ διαπρεπῶς ἐπιβεβηκώς.

Huc

Huc usque e Liuio et Plutarcho Dexippi locum satius fortasse illustrauimus, quam, si τριπήχεις nescio quas commentationes ad Syncellum, negligenter satis a Goaro tractatum, dedissemus, speciminaque eiusdem modi dare possemus plura, nisi alia negocia obstarent, aut loca, a Salmasio plane praeterita, excutere animus esset.

AD PAG. LXIV

σημείωσαι, lin. L huius paginae uerbum ΒΑCΙΛΕΥΕΙΝ ἀντὶ τοῦ βασιλέα ἀποδεικνύεσθαι usurpari, quomodo itidem etiam οἱ ὁ 1 Reg. IIX com. XXII usurparunt. Antiquior enim hic τοῦ βασιλεύειν significatus est, quam, ut inter neograecos idiotismos a Car. Dufresn. p. CLXXXI Gloss. Graecobarb. referri fuerit meritus. Sic Chronicum Pasch. p. DCCL, Ο δὲ Βασιλίσκος, inquit, ἅμα ἐβασίλευσε καὶ ἔστεψε τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν Μάρκον εἰς βασιλέα. Ita recte ibi Scaliger legit. Raderus enim locum illum plane inuertit. Paullo post pro, Εν γόνασι, quomodo etiam Syncellus p. CCIXX χρονογρ. legit, Salmasius emendauit, Εν Γόνοισι. Malim, Εν Γόνοις, quomodo paullo ante in Syncello p. CCLXVII χρονογρ. legitur. Γόνον, simplici liquida, uocat Lycophron, uers. DCCCCXI. Stephanus, ΓΟΝΝΟΙ, πόλις Περραιβική. Frustra sollicitat hunc locum Abr. Berkelius. Neque enim uerum est, quod asserit, neminem hoc urbis nomen multitudinis numero protulisse, cum et ex hoc loco aliud constet, et aliud quoque e Polybii, et Liuii, aliis, a Christ. Cellario lib. II, cap. XIII, p. ∞ LXIII Geogr. antiq. allatis, probari queat.

AD PAG. LXVII

Salmasius lin. IIX legit, Ρωμαῖοι Καλαύρειαν ἔλαβον, καὶ ὑπέταξαν. Mihi enim, addit ille, non fit uerisimile, Καυταβρίαν hic legendum. Vide et, quae de hoc loco infra ad num. ∞ DCCXLII dicentur. Idem mox obseruat, χρόνος apud EVsebium dici τὰ ἔτη, quod alibi quoque se notasse pluribus, adiicit. Tu uide Dufresn. Gloss. Graecobarb. p. ∞ DCCLXIV, quod sufficere potest.

AD

AD PAG. LXXII

Nomina propria, lin. xxx et ſequentibus occurrentia, tam hic, quam apud Syncell. p. ccxcv χρονογρ., ualde deprauata leguntur. Syncellus ita ſcribit, Αμμανίτην τε, καὶ Μωαβίτην ἐπελθὼν, Δῶῤῥαν τε καὶ πρὸς τοῖς Αραψιν Πέλλαν, Γάδαρα τὴν πρὸς θερμοῖς ὕδασιν, Αβιλλαν, ἵππον Λίαν, Φιλοταιρίαν, καὶ ἑξῆς. Primo corrigit Goarus, Αμμωνῖτιν καὶ Μωαβῖτιν. Poſſit etiam retineri τὸ ΑΜΜΑΝΙΤΙΝ. Vide Stephanum in ΑΜΑΝΟΝ. Deinde Scaliger legit Δῶράν τε. Αδωρα corrupte uocatur Ioſeph. ἀρχαιολ. Ιȣδ. lib. XIII cap. XXIII. Verba eius ſunt, Εν δὲ τῇ μεσογαίᾳ κατὰ τὴν Ιδȣμαίαν, Αδωρα, καὶ Μάρισσαν, καὶ Σαμάρειαν, καὶ Καρμήλιον ὄρος, καὶ τὸ Ιθαβύριον ὄρος, Σκυθόπολιν, Γάδαρα, Γαυλανίτιδα, Σελεύκειαν, Γάβαλα, καὶ τὰ λοιπά. Etiam in Ioſepho reſcribendum eſt, ΔΩΡΑΝ. Confirmo hoc ex ipſo Ioſepho, qui lib. II. κατ' Απίονος, p. ∞ LXVII ita ait, Ιδȣμαίας μέντοι ΔΩΡΑ ȣ̓δεμία ἐστὶ πόλις, τῆς δὲ Φοινίκης παρὰ τὸ Καρμήλιον ὄρος ΔΩΡΑ ὀνομάζεται. Idem in Stephani fragmento Artemidorus ἐν ἐπιτομῇ τῶν ιά his uerbis tradidit, ΕΙτα ἔνι ΔΩΡΑ, ἐπὶ χερσονησοειδȣ̃ς τόπȣ κείμενον πολισμάτιον, ἀρχομένȣ τȣ̃ ὄρȣς τȣ̃ Καρμήλȣ. Adde Ptolem. γεωγρ. lib. v cap. xv. Gadaram a Seleucia diuerſam Ioſephus facit. At Stephanus, ΓΑΔΑΡΑ, inquit, πόλις κοίλης Συρίας, ἥτις καὶ Αντιόχεια, καὶ Σελέυκεια, ἐκλήθη. Sed altero in loco Σελεύκεια Πιερίας potius intelligenda eſt. Γάδωρα Ptolemaeo l. d. dicitur. Eidem ibidem Αβιλλα una tantum liquida, ΑΒΙΛΑ, ἐπικληθεῖσα Λυσανίȣ, hoc eſt, *Lyſaniae*, uid. Ioſeph. περὶ ἁλώσ. cap. XI, lib. II, non *Lyſanii*, ut Ptolemaei interpres, eumque ſequutus ad Stephanum Th. de Pinedo uolunt, ſcribitur, interque coeles Syriae urbes reponitur, ut adeo male e Ioſepho Goarus Απολλωνίαν reſtituendum eſſe maluerit. Pro ἵππον Λίαν plane legendum eſt, ut Salmaſius quoque cenſuit, Ιππον, Δῖον, quae duo cauae Syriae urbes eidem Ptolemaeo memorantur, et coniunguntur quoque a Plinio. Male etiam apud Ioſephum lib. XIII cap. XXIII ἀρχ. Ιȣδ. legitur, ἐπὶ Δίαν πόλιν. ΔΙΟΝ enim, auctore Stephano, κόιλης

 Συρί-

cυρίας, κτίσμα Αλεξάνδρε, ἡ καὶ Πέλλα. Tamen Dium et Pella, ut in Syncello, ita et apud Ptolemaeum, diuersa sunt oppida. Adde Plin. H. N. lib. v cap. XVIII. Pro Φιλεταιρίαν tandem idem Salmasius Φιλαδέλφειαν legendum esse censuit. Recte omnino. Stephanus in Φιλαδέλφεια, Τρίτη, inquit, ἐστὶ τῆς cυρίας ἐπιφανὴς πόλις, ἡ πρότερον Αμμανα, εἶτ' Ασάρη, εἶτα Φιλαδέλφεια ἀπὸ Πτολεμαίδος τῆς Φιλαδέλφε. Adde Io. Harduin. ad Plin. lib. v, cap. XIIX, p. DLXXI. Mox uerba illa, Καὶ Βασὰν, τὴν νῦν Cκυθόπολιν, mallem mutare in, Καὶ Βηθσὰν, τὴν νῦν Cκυθόπολιν. Iosephi mea lectio auctoritate se tuetur, quem consule lib. et cap. XII ἀρχ. Ιουδ. Vulgatae Cedrenus fauet, qui, p. LXXIIX συνόψ. ἱστοριῶν, Η Cκυθόπολις, inquit, BACAN ἐλέγετο πρότερον. Adde Th. de Pinedo ad Stephanum in uoce CKYΘOΠOΛIC, et Abrah. Berkelium uel maxime. Vide et Malalam, si lubet, p. CLXXIX χρονογρ. Sane Basanis Rex fuisse dicitur in sacris litteris Ogus. Illum Iosephus lib. IV, cap. V, ἀρχαιολ. τὸν τῆς Γαλαδινῆς καὶ Γαυλανίτιδος βασιλέα uocat Cum ergo loco superius laudato Γαυλανίτιδα καὶ Cκυθόπολιν a se distinxerit, Βασὰν καὶ Cκυθόπολις τὸ αὐτὸ esse nequeunt. Mox lin. XLVI Salmasius legit, ΑΥτη τὸ Φαρισαϊκὸν ἠγάπα σύστημα, ... ἐγχειρεῖ διοίκησιν, ὡς θεοφίλοις. Vide tamen, quomodo alteram lectionem Goarus p. CCXCV χρονογρ. Syncellianae enarrauerit.

AD PAG. LXXIII

Corrupte lin. XXX legitur, Εν τῷ Μαισαιολείῳ. Syncelli codd. p. CCCIIX χρονογρ. praeferunt, Εν τῶ Μεσαιολίῳ. Goarus ad oram libri emendat Μαυσωλαίῳ. Adde et eius ad Syncellum animaduers. p. LXXIV. Rectius legitur, ut Salmasius emendauit, Εν τῷ Μαυσωλείῳ. Glossae: ΜΑΥCΩΛΕΙΟΝ, βασιλικὸν μνῆμα. Martialis:

Aere nec uacuo pendentia Mausolea.

Paullo post lin. XXXVII Γαβινίων mentio iniicitur. Salmasius malit e Plinio Γαβηνῶν legere. Vide eum H. N. lib. v, c. XXIII, adde

addeque Harduinum p. DLXXIIX. Ego enim, ea, quae Goarus p. LXXIV anim. ad Syncellum protulit, expendens, Γαβινίαν πόλιν, legendum esse e Iosephi lib. XIV, cap. X, ἀρχαιολ. ιβδ., plane statuo.

AD PAG. LXXXIII

Foedum lin. XXXIIX obsidet mendum, ubi πρὸς Καρίαις, utraque in editione, et in Syncello quoque, p. CCCLVI χρονογρ., haut emendate scribitur, quum pateat, omnino Salmasii iudicio standum, legendumque esse, πρὸς Κάρρας. Vide Plin. lib. V cap. XXIV, ibique Io. Harduin. p. DLXXXI. Stephanus, ΚΑΡΡΑΙ, πόλις Μεσοποταμίας, ἀπὸ Καρρᾶ, ποταμοῦ Συρίας. Πόλιν Μεσοποταμίας uocat et Ptolem. γεωγρ. lib. V cap. XIIX. Adde de re ipsa, et loco, Spartianum in uita Caracalli. Chronicum Paschale, p. DCXXIV, Ἀντωνῖνος Καρακάλλος, καὶ Περσῶν ἀπελθὼν εἰς τὸν πόλεμον, ἐσφάγη μέσον Αἰδέσσης (γρ. Ἐδέσσης) ἢ Κάρρων [γρ. Καρρῶν,] ὢν ἐτῶν ξ'. Anni aetatis corrupti sunt; locus parricidii satis emendatus. Nam Malala quidem nugatur, qui p. CCCXC. χρονογρ. scribit, οἱ ἐσφάγη ἐν τῷ παλατίῳ, ὡς ἐξήρχετο εἰς τὸ ἱερόν. ΚΑΡΑC hanc urbem, media littera non geminata, uocat Theodoret. lib. III cap. XXVI H.E., et Cedrenus, qui pag. CCCI, de Iuliano agens, ΚΑΡΑC uocauit τὴν παρὰ τῇ Κάρᾳ τῇ βασιλέως κληθεῖσαν πόλιν, ἣν, πρὸς Πέρσας ποιούμενος πορείαν, εἰσῆλθε. Instaurata fortasse est a Caro, condita uero nequaquam; tantum abest, ut nomen ab eodem sortita sit, cum memoretur iam Genes. cap. XI. *Orfa* hodie, si Critopulo fides, uel *Heren*, ut Bertius et Harduinus uolunt, appellatur.

ΤΕΛΟC

LECTORI

ENarrauimus praecedentibus pagellis, quas adiecerat ad EVſebium Scaligeri Graecum Salmaſius ὁ πάνυ, emendationes coniecturasue, doctas omnino et ingenioſas: quibus plurimas ex ſchedis B. Fratris inſeruimus. Ne igitur erres, Lector, ſciendum Tibi eſt, nullam earum a Salmaſio eſſe, niſi, quae conceptis uerbis Salmaſio fuerit adſcripta: quod ideo inprimis monemus, ne fortaſſe mala ſubleſtaque cum codice Salmaſiano fide ullo nos egiſſe modo non nemo iure poſſit calumniari. Librum ſecundum conſulto praeterimus, quum ſatis, ut arbitramur, fideliter ille in animaduerſionibus ad Latinum EVſebium excuſſus fuerit, manus que Salmaſianae praeterea toto illo in libro nec uola extiterit, nec ueſtigium. Eius tamen uicem pauca illa, ad ἐπιδομὴν χρόνων, quam Chronici Alexandrini, ſeu, ut hodie uocatur, Paſchalis, ἀποσπασμάτιον eſſe, doctis iam animaduerſum eſt, a Salmaſio notata, ſuſtinebunt. Hoc te uolui, Lector, neſcius ne eſſes. Vale.

ΚΑΙ ΤΑΔΕ CΑΛΜΑCΙΟΥ
AD
ΕΠΙΤΟΜΗΝ ΧΡΟΝΩΝ CASAVBONIANAM

AD PAG. CCXXXIX

PRo uulgata lin. XXVI uoce, Η Ροφία, legendum Salmaſius cenſuit, Η Ροδία, prout etiam tam in Raderi editione p. CCLVI, quam Dufreſnii p. CIIX, Chronici Paſchalis legitur. Dicit auctor huius Chronici, praeter Erythraeam Sibyllam, alias adhuc XI celebratas antiquitati fuiſſe. Quodſi tamen lectio Salmaſiana recipiatur, numerus una erit auctior. Raderus ergo paullo ante legit, Η Αδαὴ ἡ Κιμμερία, ut Adaena et Cimmeria pro una habeantur. Quaenam ſit ἡ Αδάη, niſi fortaſſe ἡ Χαλδαία legendum ſit, equidem neſcio. Nec mouere nos debet, poenitere que huius emendationis, quia Εβραία cum Chaldaea eſt eadem. Nam et ἡ Περσὶς Sibylla ab eadem Hebraea non differt. Suidas, ΣΙΒΥΛΛΑ ΧΑΛΔΑΙΑ, ἡ ϗ πρός τινων ΕΒΡΑΙΑ ὀνομαζομένη, ἡ ϗ ΠΕΡCΙC, ἡ κυρίῳ ὀνόματι καλȣμένη CΑΜΒΗΘΗ. At tum ἡ Χαλδαία, ϗ ἡ Κιμμερία, diuerſae erunt. Idem Suidas in CΙΒΥΛΛΑΙ, Τετάρτη ἡ Ιταλικὴ, ἡ ἐν Κιμμερίᾳ τῆς Ιταλίας. Vt ergo numerus ſibi conſtet, recte fortaſſe legeretur, Η Cαμία Ηροφίλη. EVſebius numer. ∞CCCVI, *Sibylla, quae et Herophila, in Samo inſignis habetur.* Idem in eodem num. ∞CCCXLIX repetitur. Paullo poſt in Chronico Paſchali additur, Οτι τῆς Ερυθραίας ϛήλη ἐϛὶν ἐν τῇ Ερυθρίᾳ ἄχρι τȣ̃ νῦν, κατὰ τὴν ϛερεὰν, ἀντικρὺ Χίȣ. Legendum eſt et in Chronico Raderiano et in Scaligerano, Εν τῇ Ερυθρᾷ. Intelligitur Ερυθρὰ ἡ Λιβύης, quam etiam memorat Stephanus. Adde omnino Suidam in CΙΒΥΛΛΑ. Vltima uerba Salmaſius aliquando in, Κατὰ τὴν ἀριϛερὰν, muta-

uerat. Non recte, ut ipse etiam postea censuit. Recte enim Raderus ea uertit, *in continenti.* Glossae, Cτερεὰ, ἤπειρος.

AD PAG. CCXL

Pro uoce ἐκκεκολαμμένον lineae v Salmasius, sensu sic postulante, ἐγκεκολαμμένον reposuit, a quo nec Raderi et Dufresnii lectio, ἐνκεκολαμμένον, multum abludit. Cedrenus, de Ezechia agens p. CIIX, Αλλὰ καὶ βιβλίον Cολομῶντος, ἰαματήριον παντὸς πάθους, ἐγκεκολαμμένον, ἐξέκοψε καὶ ἠφάνισε. Syncellus p. CC χρονογρ. eandem rem his uerbis refert, Ην δὲ καὶ Cολομῶν ὡς (lege, Cολομῶντος) γραφή τις ἐγκεκολαμμένη τῇ πύλῃ παντὸς νοσήματος (hic excidit uox ἴαμα) περιέχουσα, ἣν προςέχων ὁ λαὸς, καὶ τὰς θεραπείας νομιζόμενος ἔχειν, κατεφρόνει τοῦ Θεοῦ, διὸ καὶ ταύτην Εζεκίας ἐξεκόλαψεν, ἵνα πάσχοντες τῷ Θεῷ προςέχωσι. Confer Mich. Glycae annal. pp. CLXXXII et LXXXIII. Paullo post, lin. XXVI, pro, Προςκυνεῖν αὐτὸν τὸν Πάτραρχον αὐτοῦ, Raderus edidit, Προςκυνεῖν αὐτὸν Αῤῥὰχ τὸν πάτραρχον αὐτοῦ. Eodem modo in Dufresnii editione legitur p. CXVI. Πάτραρχον uertit *Deum patrium.* Ioseph. lib. X cap. II ἀρχαιολ. Ιουδ. gestum hoc esse ἐν τῷ ναῷ Αράσκη λεγομένῳ docet. Sane uerum est, πατράρχας a neograecis aliquando uocari τοὺς πατριάρχας, ut docuit Dufresnius in Glossario Graecobarb. p. ∞ CXXXIII; Sed Πάτραρχον, ad modum τοῦ Μόναρχος, uocari τὸν Πατριάρχην, admodum rarum est, ipsique Dufresnio in Glossario modo laudato praeteritum.

AD PAG. CCXLV

CABAKΩN lineae LI, ait Salmasius, pro CAKΩN si forte ponitur. Raderus tamen p. CCCXXXVI Chronici Paschalis, et Dufresnius p. CXLIII, eodem quoque modo legunt. Non recte. Salmasii enim emendatio uerissima. De fausta Cyri in Sacas expeditione Strabo lib. XI, p. DXII, omnino consulendus est, quem, more suo, exscripsit EVstathius ad Dionys. περιηγ. uers. DCCXLIX p. CXL. EVstathius l. d. addit, Ηρόδοτον [Πολυμνίᾳ] λέγειν, ὅτι Πέρσαι

πάν-

πάντας τὰς Σκύθας καλῶσι Σάκας. Sed alii, quibus auctor Chronici sese associat, eos a se inuicem distinguunt. Hinc Plinius lib. VI cap. XVII, et ex eo Solinus cap. XLIX, *Vltra sunt*, inquiunt, *Scytharum Populi.* Persae illos Sacas in uniuersum appellauere a proxima gente. Idem mendum apud anonymum περίπλ. τοῦ ΕΥξείν. auctorem, Tomo I Geograph. minor. Io. Hudsonii insertum, in his uerbis offenditur, Τῶν δὲ Σκυθῶν τῶν Νομαδικῶν καλοικῆσαί τινας φασὶν εἰς τὴν Ασίαν ἐλθόντας, ἃς δὴ καὶ Σάβακας καλῶσιν. Ibi igitur rectissime Lucas Holstenius Σάκας reponendum esse, iam olim monuit, neque de ea emendatione dubitabit, qui Scymni Chii fragmentum, a u. CXXI, ubi eadem pene iisdem uerbis habentur, unquam oculis usurpauit.

AD PAG. CCXLVII

Notatur lin. IV, Δαρεῖον Φόρους τάξαι τοῖς ὑπηκόοις πρῶτον. Salmasius ad oram sui codicis Polyaen. lib. VII cap. XI citauit, cuius locus plane illustris, et maxime dignus est, qui euoluatur, quum non tantum hunc locum, sed et Dan. cap. VI tm. I insigniter explanet, ut docuit Io. Marsham. Can. Chron p. DCIX.

AD PAG. CCLXXII

Quae linea XXII, et sequentibus, habetur periocha, et hic, et in fastis Siculis Raderi p. DCXIV, adeo corrupte est edita, ut bonum sensum inde uix queas exsculpere. Totus locus, ope Salmasii et Io. Malalae p. CCCLXXXI χρονογρ., ita restituendus est, Ἐπὶ τῶν προκειμένων ὑπάτων κτήτωρ (non uerti debet, *homo copiosus*, uel etiam simpliciter, cum Radero, *Ciuis*, quem sequitur interpres Malalae, sed *municeps* potius, uel etiam *possessor*, ut medio aeuo loquebantur,) τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μεγάλῃ, ὀνόματι Ἀβλάβανος, (ita malim, quam e Malala uel Ἀβλαβάνιος, uel Ἀβλαβάνης) φιλοτίμως ἔρριψεν ἐν τῇ καλουμένῃ Δάφνῃ [erat, ut Stephanus docet, προάστειον ἐπισημότατον τῆς Ἕω (γρ. ἑώας, ut est apud EVstath. ad Dion.

Dion. περιηγ. u. DCCCCXVI p. CLXIX) Αντιοχείας. Ibi, auctore Strabone lib. XVI p. DCCL, πανηγυρίζειν ἐθος τοῖς Αντιοχεῦσι, καὶ τοῖς ἀστυγείτοσι. Vid. de Daphne Is. Casaubonus ad Iulium Capitolinum, et Strabonem, Petauius ad Epiphan. p. CCCV, Dufresnius ad Chron. Pasch. notis p. DXXXI, Harduinus ad Plin. H. N. lib. V c. XXI p. DLXXVI, et Th. Ryckius ad Tacit. p. LV. Alia Δαυνία est, regio Italiae. Scylax περίπλῳ p. VI Διήκουσι δὲ Τυῤῥηνοὶ ἀπὸ τοῦ Τυῤῥηνικοῦ πελάγους ἔξωθεν εἰς τὴν Δαφνίαν. Legendum est Δαυνίαν, etsi Hudsonius, nuperus Scylacis editor, id non animaduertat, cuius ideo interpretationi ibi minus fidendum, cum Gronouiana lectio, ἔξωθεν εἰς τὸν Αδρίαν, a uestigiis inemendatae nimis recedat. De Daunia uide Melam, Ptolemaeum, Stephanum, alios] τοῖς δήμοις (Malala, τῷ δήμῳ. ΟΙ δῆμοι factiones erant plebis, ἑταιρίαι, quae sedere consuerant certis in gradibus Hippodromi. Vide Dufresnius Gloss. Graecob. p. CCLXXXVII) καλαμια (Malala καλαμίων eodem sensu) συντόμια (non σκυτόμια. Legendum, ait Salmasius, καλάμια συντόμια, id est, *tesserulae*. Adde Salmasium ad Vopisc. p. CCCLXXV, et Io. Harduin. ad Themist. orat. XXIII. σύμβολα συντόμια in Glossis uocantur. Malalae interpres recte, *tesseras quamplurimas panis perpetui*) πολλὰ ἄρτων (haec duo uerba adsunt etiam in Malala, et male in Chronico Paschali Raderi, nam Dufresnius p. CCLXXIII ea addidit, desiderantur) διαιωνιζόντων, καὶ ἐκάλεσεν (ita Salmasius et Dufresnius reponunt, quorum emendationem Malala confirmat) τοὺς (lege αὐτούς. Malala τοὺς αὐτοὺς habet) ἄρτους ΠΟΛΙΤΙΚΟΥC, διὰ τὸ τῇ ἰδίᾳ πόλει τούτους δωρήσασθαι, καὶ ἠφόρισεν (Chron. Pasch. ἠφόρησεν habet. Raderus ad marginem, ἴσ. ἠφόρισεν, et omnino ita legendum est, etsi noue ἠφόρισε pro ἀφώρισε dictum sit) ἐκ τῶν ἰδίων αὐτοῦ χωρίων πρόσοδον (unde προσοδιάροι apud Dufresnium notantur Neograecis ii dici, qui exercitui de cibariis prouident) ἀνολογοῦσαν εἰς λόγον τῶν αὐτῶν πολιτικῶν ἄρτων· Καὶ ἀνήγειραν αὐτῷ στήλην μαρμαρίνην (Chron. Pasch. legit μαρμορίνην, mallem, μαρμαρινὴν, uel, ut Dufresnius ha-

habet, μαρμαρίνην. Nam utraque τονώσει τὰ μετρσιαστικὰ neograeci proferunt) ἐπιγράψαντες, ΑΡΤΑΒΑΝΩΙ ΑΙΩΝΙΑ Η ΜΝΗΜΗ.

AD PAG. CCLXXIII

Pericopa, lin. xxx et sequentibus de Symmacho agens, pagina DCXXIII Chronici Paschalis inuenitur. Pro φιλαρχίαν Salmasius mauult φυλαρχίαν legere. Vtraque lectio defendi potest, et priorem probat etiam Epiphanius de ponderibus et mensuris libro. Sed Salmasiana tamen genio recentioris Graecismi accommodatior est, in quo quid sit φυλαρχία, quis φύλαρχος, docebit Car. Dufresn. Gloss. Graecob. p. ∞ DCCX, et sequenti. Sequentis paginae linea XLIIX notatus est a Salmasio idiotismus neograecus, εἰς τὸν παπυλεῶνα ἔσω. Vox enim ἔσω ibi abundare tantumnon uidetur. Sic loquutus etiam erat p. CCLXXIII, εἰς παλάτιον ἔσω, dicens, eiusdem Chronici auctor. Eodem quoque modo Io. Malala Part. II χρονογρ. p. LI, ἀνεγίνωσκεν ἔσω εἰς τὸ παλάτιον dixit. Παπυλεὼν quid notet, praeter Dufresnium, docet Fabrotus in Glossario Cedreni.

AD PAG. CCLXXVI

Pro φυσιωθέντων Salmasius legit φυσηθέντων. Vtraque lectio tolerari potest. Nam et φυσῶ dicitur, et φυσιῶ, quanquam Salmasii lectionem confirmet prouerbium, Τὰ Ναυάτα φυσᾶν, de quo Dufresnius ad Alexiadem Annaeam p. CCCXXVI. Νάυαρχος porro, uel, ut Cedrenus scribit, Ναβάτης, prout Basileensis habet editio, uel Νοβάτης, ut est in Regia p. CCLIIX, Latinis est Nouatus, de quo uide inprimis Syncellum p. CCCLXX χρονογρ., qui Ναυάτης scribit. Νωυᾶτος sane cum Radero reponere nolim. Nam Suidas etiam, quod ordo alphabeticus satis demonstrat, Ναυάτος scripsit, ut alios auctores praeteream. Quos καταπεσόντας auctor huius Chronici ex epistola ad Hebraeos uocauit, *lapsos* recte interpretatur ad oram codicis sui Salmasius. Απο-

πεσόντας EVsebius H. E. lib. IV, cap. XXIII, παραπεπτωκότας Epiphanius haeres. LXI p. DVI ed. Petauianae, uocauerunt.

AD PAG. CCLXXIX

Μαλύβιον lin. XXXII uocat τὴν γέφυραν Τιβέριδος corrupte Chronici huius auctor. Μίλβιος dicitur Zonarae lib. III χρονικῶν principio, et *Miluius* Ciceroni, Liuio, AVrelio Victori, aliis. *Muluius* tamen etiam scribitur in scriptis libris, et apud EVseb. num. ∞ ∞CCCXXIIX, atque EVtrop. lib. IIX cap. XVII, et X cap. IV. Paeanius, EVtropii Graecus interpres, priori in loco Μυλβίαν, posteriori Μολβίαν γέφυραν uertit: unde constat, in Chronico Paschali etiam rescribendum esse, Μυλβίαν. Adde, quae Victor Giselinus de uaria huius uocis scriptura apud Abrah. Ortelium Thes. Geograph., uoce PONS MILVIVS, disserit.

AD PAG. CCLXXXIII

Εἰς τὴν σφενδόνα τῆ ἱππικῆ, linea XLIX, Chronici huius auctor posuit pro, Εἰς τὴν σφενδόνην τῆ Ἱππικῆ, quomodo expressis uerbis apud Malalam χρονογρ. Part. II p. XXXIV, et Cedrenum p. CCCX, legitur. σφενδόνην extremam Circi partem esse, τῷ τέρματι oppositam, Dufresnius in CPoli Christiana lib. II sect. I num. IX pluribus docuit.

AD PAG. CCXCI

Iacobi medici, cuius lin. XIV mentio iniicitur, patria ab auctore huius Chronici Cilicia esse dicitur. Marcellinus Comes ad an. CCCCLXI *natione Achaium* fuisse, indicat. Suidas, ab utroque diuersus, ἀπὸ Δαμασκῆ, inquit, εἶλκε τὸ γένος. Damascius in uita Isidori, apud Photium cod. CCXLII p. ∞ LI ed. Schott. de eodem Iacobo refert, ὅτι ἐγγὺς μὲν τὸ γένος Ἀλεξανδρεύς ἦν, πορρώτερον δ' ἐκ Δαμασκῆ. Iam de eius cognomine saltem nobis erit agendum. Dicitur enim eidem Chronico ὁ λεγόμενος Ψυχρεσός. Eodem modo Raderus quoque p. DXLIV legit. Sed apud Ioan-

Ioannem Malalam Ψύχισεν, χρονογρ. Part. II, p. LXXVII, extat. Suidas, Ιάκωβος, Ησυχίε υἱὸς ἰατρὸς, ὁ ἐπικληθεὶς Ψυχόχρις. Salmasius putat eum Ψυχρισὴν cognominatum fuisse, idque auctoritate Alexandri Tralliani confici posse, arbitratur. Locus Tralliani e lib. v, cap. IV, p. LXXIIX ed. Steph., est iste, Τοῦτο δὲ τὸ φάρμακον ἡ ακώβε ψυχρυστὶ ὀνομάζεσι, μεγάλε ἀνδρὸς, καὶ θεοφιλεσάτε περὶ τὴν τέχνην γενομένε. Εκαλεῖτο δὲ ψύχρης, ὅτι ὑγραινόσης τροφῆ ἐκέχρητο. Θεοφιλέσατον ἄνδρα cur eum uocet, haec Suidae uerba docent, Οι δὲ ἰατροὶ διέβαλλον αὐτὸν, καὶ ἐλοιδόρεν (τὸν Ιάκωβον,) ὡς οἷά τινα θεῖον ἰατρὸν, ἀλλὰ θεοφιλῆ τινα, καὶ ἱερόν. Καὶ θεῖον ἐψεύδοντο. Ην γὰρ θεοφιλὴς, καὶ ἐπιεικὴς ὁ ἀνὴρ, καὶ Θεῷ τῷ ὄντι κεχαρισμένος. Haec uerba Causaubonus in limine animadu. ad Athenaeum ita reddit, *Calumniabantur autem eum, et proscindebant, ceu diuinum aliquem uirum, qui non arte hominis sanaret, suaque industria, sed fauore Numinis.* At ego, tantum abest, ut ex his uerbis calumniam ullam exsculpere possim, ut laudem potius continere ea arbitrer. Suidam ergo ita uertendum esse duco, *Proscindebant autem eum, tanquam diuinatorem, et sacrum hominem, quum diuinus potius esset, et sanctus uir.* Quod apud antiquos *sacri* εὐφήμως appellati sint οἱ βδελυκτοὶ, nemo nescit paullo humanior. Alexander eius loco uoce μέγας utitur. Nempe et ea aliquando famosiori notione ab antiquis usurpatur. Sic Simon Magus, πραξαπος. cap. VIII tm. X ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη uocabatur, hoc est, si Tralliani uerbis dicere idem uelis, μέγας τε καὶ θεοφιλέσατος ἀνήρ. Aristophanes cφηξίν,

Ω᾽νθρωφ᾽ ἔτος ὁ μαινόμενος τὸ μέγα κράτος.

Ibi scholia, Παρὰ τὸ Αλκαίε, Ωνησεν αὐτὸς καὶ μαινόμενος τὸ μέγα κράτος. Porro θεοφιλῆ uerto *diuinatorem*, uel, *magum*. Suidas, ΜΑΓΟΙ παρὰ Πέρσαις οἱ φιλόσοφοι καὶ θεόφιλοι: Quia scilicet τελεστικὰ μυστήρια καὶ θεργικὰ tractabant; unde, quae alii τὰ τῆς Απολλωνίε τῆς Τυανέως θεσπίσματα δι᾽ ἀγαθῶν δαιμόνων uocant, τελέσματα Io. Malala p. CCCXLII χρονογρ. nuncupauit. Consule praeterea

Peucerum de diuinationibus, et I. C. Bulengerum de licita et uetita magia Tom. 1 Syntagm. p. ccccLxxvi. Cicero ideo *diuinationem rem praestantissimam* uocauit. Nam *entbei* illi, uel, ut Martialis eos uocat, *entheati*, quos *bellonarios* Tertullianus Apologet. cap. xxv dixit, Diis, quam reliqui homines, proximiores credebantur. Hinc esse puto, quod Mosen, quem Dionysius Longinus ὁ τυχόντα ἄνδρα uocauit, quique θεόπνης fuisse non ignorabatur, Magum uocent Appuleius, ipsoque etiam a Iosepho lib. IIX ἀρχαιολ. Ιουδ. cap. II p. CCLVI pronuncietur, ὅτι παρέχε τῷ Σολομῶνι ὁ Θεὸς μαθεῖν καὶ τὴν κατὰ τῶν δαιμόνων τέχνην εἰς ὠφέλειαν καὶ θεραπείαν τοῖς ἀνθρώποις, καὶ ἐπῳδὰς συνάξασθαι. Dicit ergo Suidas, ut ad rem redeamus, Magiae per calumniam insimulatum esse Iacobum hunc medicum, quum talis tamen non fuerit. Christianum eum fuisse e Suida contendit Casaubonus. Nescio proinde, an satis uere a doctis uiris asseratur, Suidam e Damascii uita Isidori sua descripsisse, quum tamen Damascius, quem scio ab ipso quoque Photio p. ∞ XLVI δυσεβῆ καὶ τερατεύονται scriptorem uocari, utrumque Iacobum, Patrem nempe, et filium, medicos, ἀσεβέες uocauerit, addideritque, ὅτι ἐχρῶντο κατὰ τῶν νόσων καθαρσίοις πολλοῖς καὶ βαλανείοις. Interpres uertit, *purgationibus.* Mallem, ut ἀμφιβολία tolleretur, *lustrationibus*, eiusmodi uidelicet, qualibus usus est olim Orpheus, Epimenides, Apollonius, aliique Physici, quorum apologiam, quo iure, quaue iniuria, nunc non disputo, Suidas in ΑΠΟΛΛΩΝΙΟC conscripsit. Marcellinus sane Comes expresse *religione paganum* nominat; quod miror. Quomodo enim, si paganus fuit, quaestionem et ipse euadere potuisset. Equidem eum μεσίτην τινὰ, et Sinonem, fuisse reor, neque meliorem, quam Apollonium, Christianum: de quo tamen Syncellus p. CCCXLI χρονογρ. ita infit, ΑΥτὸς δὲ (ΟΥεσπασιανὸς) ἐπὶ τὴν Ελλάδα παραγίνεται, ἐφ' οἷς (γρ. ἐφ' ἧς, neque uerte cum Goaro, *quo tempore*, sed, *ubi*) ἠκηκόει παρὰ τῦ Τυανέως Απολλωνίῳ περὶ τῆς Χριστῦ βασιλείας, καὶ

τῶν

τῶν λοιπῶν εὐδοκιμήσεων. His praemissis ad Tralliani Alexandri locum redimus, qui corruptus ualde est, et ita restitui debet, Τοῦτο δὲ τὸ Φάρμακον Ιακώβου ψυχείου ὀνομάζουσι, μεγάλου ἀνδρὸς καὶ θεοφιλεστάτου τὴν τέχνην γενομένου. Ἐκαλεῖτο δέ ψύχειος, ὅτι ψυχραντικὴν προφὴν ἐκέκτητο. Salmasius, ut supra dixi, ψυχειοῦ et ψυχειστὴν legit, παρὰ τὸ ψυχρίζειν, a *refrigerando:* qua uoce alibi idem auctor utitur. Eruditissimus Neocorus ad Suidam, Tom. II p. LXXXIIX, e Malala Suidam emendandum esse dum contendit, non animaduertit, in ipso Malala corruptum hoc Iacobi cognomen, ut supra notauimus, inueniri. Neque enim uel ψύχιος legendum est, quemadmodum tam in textu Graeco, quam in Latina interpretatione Malalae scribitur, neque fortasse, ut fasti Siculi habent, ψυχριστὸς, sed omnino, ad formam ΤΟΥ ΦΙΛΙΣΤΟΣ παρὰ τὸ ΦΙΛΟΣ, et hic, et in Malala, ac Suida, ΨΥΧΡΙΣΤΟΣ παρὰ τὸ ΨΥΧΡΟΣ, nisi tamen ad formam ΤΟΥ ΧΡΙΣΤΟΣ παρὰ τὸ ΧΡΙΩ, Ψυχριστὸς παρὰ τὸ ΨΥΧΡΙΖΩ non plane ἀλόγως excusare uelis; quamuis, ut dixi, altera illa scriptura rectius mihi sese habere uideatur. Καὶ ταῦτα δὴ ταῦτα.

AD PAG. CCXCV

Pro χλανίδην ἄσπρον, quomodo linea XX legitur, Raderus p. DCCLXVI χλαμύδην ἄσπρην, Dufresnius rectius p. CCCXXXII χλαμύδην ἄσπρον, substituit. Malala Part. II χρονογρ. p. CXXXV χλαμύδα ἄσπρον habet, prout etiam in Agathia lib. III, p. XC, ed. Reg. habetur. Mihi rectissime uidetur emendasse Salmasius, χλανίδιν ἄσπρον, ut χλανίδιν, noto neograecorum idiotismo, pro χλανίδιον dicatur. Mox pro ἀληθείδιν Chilmeadus ad Malalam ἀληθινὸν reponit, quod quidem non improbauerim; sed uersio eius non quadrat, *Imperatoris Iustini expressam referens effigiem.* Ἀληθινὸν enim quid hoc loco notet, satis nos edocet Dufresnius, tam in Glossario Latinobarbaro, quam altero Graecobarbaro p. L. Paullo inferius, linea XXXVI, qui ΖΙΛΓΒΙ uocatur, Τζιάγβις lin.

XLI, et ζίλγβις lin. XLVI dicitur. Raderi editio parum uariat. Malalae l.d. p. CXXXVII ζιλγιβὶ, et p. CXXXIIX ζιλγίβις, uocatur. Theophani et Logothetae ζιλίγδις est. Anastasius bibliothecarius *Zelicben* nuncupat, alii *Zeliobam*, uel *Ziagbirin*; adeo nomina barbara a Graeculis istis corrupta sunt. Mox ἀπὸ τῶν κοινῶν τότων παίζεσθαι rectius, quam Raderus, uertit Salmasius, *ab impuris istis ludi.* Neque enim opus est, ut κυνῶν cum Radero p. DCCLXX, et Dufresnio, p. CCXXXIII, emendemus, quamuis Malalam quoque l.d. p. CXXXIIX ita legere norim, si notissima uocis KOINOC, sacrisque scriptoribus usitatissima, notio tantummodo huc reuocetur.

TANTVM ERAT

IN

EVSEBII LATINI LIBRVM CHRONICORVM PRIORVM CANONVM

DE ADIVRATIONE

AD PAG. VI

HActenus ex ingenio in Graecis uersatum fuisse Salmasium, et nunc ultro confitemur, et saepius iam testati sumus. At in Latino textu aliter se res habet, fideque mss. agentur tantum non omnia, sicuti ex iis constare potest, quae in προπαρασκευῇ diximus, quaeque hic repetere nunc non libet. Priusquam iam ad ipsam praefationem excutiendam accedamus, πρωθυστέρως de EVsebiana ἐπιοχήσει tria uerba dicenda sunt. Eam in mss. omnibus, quibus Scaliger usus est, defuisse, notae eius nos edocent. At ὁ πάνυ Salmasius eam non tantum in ueteribus libris inueniri obseruauit, sed etiam præfationem Hieronymi, quae in uulgatis EVsebii editionibus ante adiurationem illam legitur, in iisdem post eam demum conspici; ut adeo ualde nobis ueri fiat simile, illam olim titulo statim subiunctam fuisse, uti hoc modo eo facilius in oculos quorumlibet codicem inspicientium ipsa incurreret, neque librarius oscitans quoquo modo nescium se eius fuisse, caussari posset.

IN PRAEFATIONEM

AD PAG. IV

Scripsit hanc praefationem suam Hieronymus ad Vincentium

tium et Gallienum. *Vincentius* ille idem fortaſſe eſt cum eo, qui anno Chriſtiano CCCCII, ſeu Olymp. CCXCV, conſulatum geſſit, ut Caſſiodorus memorat, et Βικέντιος a Chronico Paſchali p. DCCXII uocatut. *Gallienum* ueteres omnes libri unica in medio liquida uocant *Galienum*, quemadmodum hodieque *Galeni* et *Galerii*, qui tamen Γαλλέριος eſt Cedreno p. CCLXIX, aliiſque, nomina ſcribimus. Sed et *Gallienus* Imp. a Io. Malala p. CCCXCIV χρονογρ. uocatur Γαλιηνός, et a Syncello p. CCCLXXXIII Γαλιηνὸς, etſi Γαλλιῆνος Cedreno p. CCLIIX, et aliis Γαλληνὸς, numiſque *Gallienus*, conſtanter nuncupetur. Non procul a principio, linea IIX, quidam ueteres libri, interque eos quartus Palatinus, pro *habet* legunt *hēret*, quaſi olim *haberet* fuiſſet ſcriptum. Linea deinde XIII omnes Pall., et ueteres etiam edd., una uoce auctiores, *ſcabris quibusdam* legunt. Porro in Pal. primo *retardatum* ſcriptum eſt pro *retardatur*. Linea eadem *neſcient* in ſecundo Pal. legitur pro *neſciunt*. Idem linea XV recte legit *excidere*, quomodo ueteres edd. etiam habent, pro *excedere*. Sic enim *uia* uel *in uia excidere* boni auctores dicunt. Paullo ante tamen male in eodem legebatur, *alienas lineas in ſequentem*. Sichardina editio *alienas linguas* habet. Mox lin. XVI pro *ſignificatum* in omnibus Pall. libris legitur *ſignatum*, quae lectio mutanda non erat, quum Quintilianus non ſemel hac uoce eodem modo utatur. In ſequenti linea XVII pro *quo id efferam* in ſecundo Pal., et primo, et reliquis omnibus, ſcribitur, *quo id efficiam*. In quibuſdam codd. etiam *quo id efferat* legitur. Vltima haec lectio nullius eſt precii momentique, niſi ſaltem uocem *quo* in *quod* mutaueris. Statim poſt lin. XIIX Pal. primus, tertius, et quartus, legunt, *Vix breuia ſpatia conſumo*, ut uox *uiae* adeo extrudatur, conſidereturque, uel tanquam a fine praecedentis uocis attracta, uel tanquam e ſcholio in textum aſſumta, quod *ſpatium* tam de locorum, quam temporum, interuallis ſumi docuerit. Totus locus ita uidetur interpungendus eſſe,

se, *Dum quaero implere sententiam, longo ambitu uix breuia spatia consumo.* Vix-breuia illa spatia περιοδοι μακρόκωλοι dicuntur. Sed et *consumere spatia* satis Latinum est. Eodem enim modo Cicero *iter in rebus gestis legendis consumere* dixit. Paullo post ante uerba, *Ipsum postremo*, τελεία στιγμὴ est apponenda, tumque ita legendum, *Ipsum postremo suum, et, ut ita dicam, uernaculum linguae genus, si ad uerbum interpretor, absurde resonat.* Pro *uidebor* lineae XXI primus Palat. *uideor* legit. Dein lin. XXIV pro *notario* in secundo Palat. est *notorio*, quale quid mendi in Glossariis etiam extare memini. Eadem in linea idem codex legit, *Et difficultatem rei et diuinorum uoluminum instrumenta testentur.* Inferius paullulum recte eleganterque in priore Pal. scribitur, *et durum sonare uideantur.* Linea XXXVII pro *ingreditur* quidam codd. *graditur* habent. Haut ita multo post lin. XL pro *penitus non haerent*, tertius et quartus Pall. ac Sichard. editio contra Hieronymi mentem legunt, *penitus inhaerent.* Rectius est in quibusdam libris, *penitus abhorrent.* Hieronymus antea, *Vestem orationis sordidam perhorrescunt.* Catullus de Suffeno,

- - *tantum abhorret, ac mutat.*

Pro *dicam* lineae XLII Pal. quartus *dicat* legit, quasi *aliquis*, non, *aliquid* praecesserit. Prosa ceterum oratione Homerum explicasse Dionysium Thracem, non ignobilem Grammaticum, indeque cognomen μεταβολέως retulisse, e Suida atque EVstathio cognosci potest. Loquentem deinde eloquenti opposuit Hieronymus, quemadmodum Valerius Probus apud A Gellium N. A. lib. I, cap. XV, in Sallustio, *loquentiae multum, sapientiae parum*, legere coepit, propterea, quod *eloquentiae cum insipientia minime conueniret.* Porro lin. XLV in quarto Pal. mendose legitur *haspiratur* pro emendato *asperatur.* Deinde pro uulgato, *aut uocalibus hiulca fit*, in primo Pal. legitur, *aut uocalibus hiulca diuisa sit*, in secundo, *aut uocalibus hiulca, uel diuisa sit*, in quarto, *aut uocalibus hiulca, aut diuisa sit.* Videntur er-

go non absque caussa uerba illa, *diuisa*, et, *uel diuisa*, e Glossa esse.

AD PAG. V

Statim in prima huius paginae linea primus Pal. et secundus legunt, *aut rerum ipsa breuitate.* Linea deinde IIX pro *praenotati* priores PP. codd. *adnotati* legunt, posteriores, *annotati.* Vulgata tamen lectio uerior est. Infra in prooemio libri posterioris, *Quasi quandam materiam futuro operi, omnium Regum mihi tempora praenotaui.* Mox pro *explanatione* et priores et posteriores Pall. codd., atque etiam edd. ueteres, scriptum agnoscunt *explicatione.* Pro *peruiderit* lineae XII in posterioribus PP. libris legitur *praeuiderit.* Ceterum quae de uocibus syllabisue minio pingendis Hieronymus hic habet, obseruatum ex parte est in prima editione, Scaligeri labore per Commelinianos anno Dominico ↀDCVI procurata. At in posteriori Amstelodamensi, quia librarii impensis, ut puto, parcebant, non satis bene plane est neglectum. Postea lin. XIV legendum est cum prioribus PP. et posterioribus libris, *Quarta numeri linea.* Infra eodem modo, *Refulgens ex libro numerus in quintam numerorum lineam poterit aduerti.* Sequenti linea primus Palat. *cum minio facta littera*, secundus, *quoniam minio facta littera*, legunt. In notis enim tachygraphicis *quoniam* et *cum* facile confundi possunt. Linea XVI omnes PP., et ueteres etiam edd., post uerba *enodationis historiae* auctiores, quam Scaligerana, sunt his uerbis, *quae etiam superioribus signis subdenda est.* Eodem modo, in omnibus puta libris et uett. edd., pro *respondente* legitur *respondere.* Linea sequenti XIIX in iisdem Pall. libris *mixtum* pro *mixtim* (quomodo alibi *seorsum* pro *seorsim*) male legitur. Paullo postea inferius lin. XXIII lege, ut iidem codices scribunt, *Non tamen omnia huiusmodi requirenda sunt necessario.* Statim post lin. XXIV in iisdem libris post uerba, *praemonen-*

monendum puto, ὁ αἰτιατικὸς *ut* est additus. Porro lin. XXIX pro *signarent* melior in saepe laudatis libris lectio est *retinerent*. Graue deinde mendum lin. XXXI inest τῷ κειμένῳ, ad quod tamen emaculandum nihil conferunt libri Palatini. Pro *genuinum dentem* enim plane legendum est *Theoninum dentem*, ut prouerbium, quod omnibus uel e paroemiographis notum esse debet, innuatur. Subsequenti linea omnes Pall. habent, *calumniabuntur in tempora:* quod Hieronymiano saeculo non disconuenit. Deinde Pal. secundus, omnium posteriorum, ut Salmasii iudicio stemus, optimus, *quod accidere plerumque solet*, legit. Porro lin. XXXIII pro edito, *quos etsi possem*, priores Pall. et posteriores legunt, *quos cum possem*, uel, *quos cum possim*, quae utraque lectio ferri potest. In iisdem linea XXXVII uocem *esse* desiderari animaduertitur, quod, etsi leuiculum sit, noluimus tamen quicquam, a Salmasio obseruatum, temere praeterire. Denique linea XLVI pro, *Non quo de uiuentibus timuerim*, rectius multo uidetur legi debere, *Non, quod de uiuentibus timuerim*. Etsi enim libri uulgatam lectionem sequantur, ultimam tamen litteram uocis *quod* a librariis, quia sequens uerbum ab eadem incipiebat, neglectam fuisse, uero est simile.

IN IPSVM OPVS

AD PAG. VI

Non procul ab initio, linea uidelicet XXII, pro uoce *historiographi*, quae ab emendatione Scaligeri est, priores PP. codices, quemadmodum olim etiam fuit editum, *historiographos* legunt, structura orationis repugnante. Arbitror igitur, uel Graecis litteris ΙΣΤΟΡΙΟΓΡΑΦΟΙ, uel etiam Latinis, *historiographoe*, quomodo apud Plautum Poen. act. et sc. I *leroe*, *leroe*, et Graeco, λῆροι, λῆροι, exaratur, scriptum olim fuisse, indeque postea lectionis illud portentum emanasse.

AD PAG. XI

Pro uulgata linea II lectione in omnibus Pall. codd. scribitur, *Primus omni Asiae regnauit Ninus, exceptis Indis.* At uerba, *Beli filius*, ueteres omnes PP. non agnoscunt. Syncellus quoque ea praetermittit, quando p. LXIV χρονογρ. inquit, Πρῶτος ἦρξε Νῖνος ἁπάσης τῆς Ασίας, πλὴν Ινδῶν. Contra alii ante Ninum Belum apud eundem p. XCVII regnasse aiunt; quod ita intelligendum est, ut Ninus, secundum Diodorum lib. II βιβλιοθ. initio, πρῶτος τῶν ἱστορίᾳ κῆ μνήμῃ παραδεδομένων ὁ τῶν Ασσυρίων βασιλεὺς reputetur. Ceterum eodem fere modo Garcia de Loaisa ad Isidori Chronicum p. XV in peruetusto EVsebii codice msc. scriptum inuenit, *Primus omni Asiae, exceptis Indis, Ninus, Beli filius, regnauit:* quam lectionem etiam ex AVgustini lib. XV de C. D., et ex ipsius EVsebii lib. X προπαρασκ. amplectitur. Mox lin. III pro *innumerabilia narrantur* in primo Pal. male legitur, *innumerabilia numerantur.* Porro sequenti linea pro edito, *plurimas Babyloniae urbes instaurans*, et edd. ueteres, et omnes libri PP. legunt, *plurima Babyloniae urbis instaurans.* Haec lectio reiicienda non uidetur, si quidem uerum est, quod Plinius lib. VI cap. XXVI N. H. tradidit, *Mesopotamiam totam Assyriorum fuisse, uicatim dispersam, praeter Babylona, et Ninum, Macedones uero in urbes congregasse eam propter soli ubertatem.* Syncellus p. LXIV χρονογρ. de Semiramide ita, Τοῦτον, inquit, διεδέξατο Σεμίραμις ἡ διαβόητος, ἣ πολλαχοῦ τῆς γῆς ἤγειρε χώματα, προφάσει μὲν διὰ τὰς κατακλυσμούς, τὰ δ' ἦν ἄρα τῶν ἐρωμένων ζώντων καλουμένων οἱ τάφοι, ὡς Κτησίας ἱστορεῖ. Haec tamen nondum satis ad rem faciunt. EVstathius ad Dionys. περιηγ. uersus ∞V et ∞VI,

Πρὸς δὲ νότου Βαβυλὼν, ἱερὴ πόλις, ἣν ῥά τε πᾶσαν
Τείχεσιν ἀρραγέεσσι Σεμίραμις ἐστεφάνωσεν,

ita p. CLXXXIII commentatur, Θεάκρις δὲ ἀσφάλτῳ δείμαθαι τὴν Σεμίραμιν τὸ τῆς Βαβυλῶνος τεῖχος φησίν. Et paucis interiectis,

Αλλοι

ἄλλοι δὲ καὶ τοιαῦτά τινα ἱστοροῦσιν, ὅτι, Νίνου τοῦ Κύρων βασιλέως Νινευὶ κτίσαντος, ἡ τότε γυνὴ, τὸν ἄνδρα ὑπερβαλλομένη, Βαβυλῶνα ἐν τῷ πεδίῳ κτίζει ἐξ ὀπτῆς πλίνθου, καὶ ἀσφάλτου, καὶ λίθων λαξευτῶν, καὶ ἑξῆς. Adde Scholia Comici ad ὄρνιθας p. DLXVII ed. Biſet., Suidam in CEMIRAMIC, Stephanum in ΒΑΒΥΛΩΝ, Plin. lib. VI cap. XXVI, ibique Io. Harduinum p. DCCXII, ut et, quae dicimus infra ad lib. II num. X. Infra poſtea lin. XXXIIX poſt uerba, *uocant Niniuem*, omnes Pall. addunt, *quae ad praeſens Niſibis nuncupatur*. Suidas, NICIBIC, Νισίβεως, ὄνομα πόλεως, ὁ πολίτης Νισιβηνός. EVſtathius ad Dionyſ. περιηγ. uerſ. DCCLXXV p. CXLV, ὁ δὲ Γεωγράφος, ait, Ασυρίας μὲν οἶδε τὰς περὶ Βαβυλῶνα, καὶ τὴν κύκλῳ, ἔνθα καὶ Νῖνος πόλις, καὶ Νίσιβις. An ἡ καὶ Νίσιβις potius legendum? Nearchus περίπλῳ, p. XXXVII tom. I uet. Geograph., ὁ δὲ ῥέων ἐξ Αρμενίης Τίγρης παρὰ πόλιν Νῖνον τὴν μέσην ἐοῦσάν τε καὶ τοῦ ΕΥΦράτου, ἣν Μεσοποταμίην ἐπὶ τῷδε κληΐζεσθαι, ποιέει. Omnino tamen Niſibis et Ninus diuerſae urbes ſunt, ſeparanturque etiam a ſe inuicem in Chron. Paſch. p. LXXXII, ubi male Νήσιβι, pro Νίσιβις, uel Νέσιβις certe, (nam et ita huius urbis nomen ab Vranio, teſte Stephano, et in numis, Holſtenio et Harduino monente, ſcribitur) editum inuenitur. Poſſit tamen etiam Νισίβη legi. Stephanus in ΑΝΤΙΟΧΕΙΑ, Τρίτη Μεσοποταμίας, Μυγδονία καλουμένη, ... ἥτις Νισίβη λέγεται, καὶ Νίσιβις, quanquam non neſciam, quod Νήσιβις, prout hoc loco Dufreſnius p. CCCCXCVII notarum emendat, etiam eadem a Theophylacto Simocatto lib. III cap. XVI hiſtoriae Mauricianae appelletur.

AD PAG. XIII

Vera omnino lineae XXII lectio eſt, *ab Ape*, neque eam mutandam ullo modo cenſemus. Rectiſſime enim Salmaſius obſeruauit, utramque ἔγκλισιν, tam ΑΠΙC, εως, quam ΑΠΙC, ιδος, a bonis auctoribus uſurpari; quam in rem adducit EVſtathii hunc locum, ΟΥΤω δὲ καὶ Τὸ ΑΠΙC, Τὸ κύριον, ἐν τοῖς περὶ Αρκάδων λόγοις, οἱ μὲν διὰ τοῦ Δ ἔκλιναν, ΑΠΙΔΟC, ὡς ΠΑΡΙΔΟC, οἱ δὲ κατὰ τὴν τοῦ ΟΦΕΩC

κίνησιν αὐτὸ μεταχειρίσαντο κλίναντες, ΑΠΕΩC. Locus EVstathii in eius commentariis ad Dionys. περιηγ. u. DCCCCLXXXIIX p. LXXIX habetur. Porro tertius etiam genitiuus ΑΠΙΟC apud Plutarchum περὶ Ισιδ. καὶ Οσίριδ., et Scylacem περίπλ. p. XLVI, Tom. I Geograph. minor., legitur, qui tamen ἰάζει, etsi Atticis aliquando scriptoribus usurpetur.

AD PAG. XIV

Sub finem fere paginae huius Herculem ab Elienſibus Deſanai nomine coli affirmat EVſebius. De cognomine illo Herculis alibi dictum eſt. Quaeritur iam, quinam illi Elienſes fuerint? Salmaſius aliquando ſuſpicabatur, *Elenſes*, uel *Ellenſes*, potius ſcribendum eſſe e Stephano. Ille enim ita, ΕΛΑ, (ſcribendum eſt, quod uel ordo alphabeticus docet, ΕΛΛΑ) χωρίον Ασίας, Ατάλλ βασιλέως ἐμπόριον. Τὸ ἐθνικὸν Ελαῖος. Inde ergo ait Salmaſius, apud Latinos forte fit *Elenſis*, uel *Ellenſis*. Statim tamen ſubiunxit, ſe putare, quia in Graeco textu ΙΛΙΩΝ extat, *Ilienſibus* ueram eſſe lectionem, atque ita reſcribi oportere.

AD PAG. XVII

Phemonoen EVſebius linea XXI primam *apud Pythium* uatem fuiſſe, indicat. In Graeco ἐν πυθοῖ legitur. Hieronymus ſolemni more uertit, *apud Pythium*. Πυθὼ et Δελφοὶ una eadem que urbs erant. At Πυθὼ, inquit Scaliger, neque eſt *Pythius*, neque *Pythium*: quae obſeruatio tanta eruditione profecto minus digna erat. Sane enim Pytho illam aliquando uocatam fuiſſe Πύθιον, uel e Stephano euincit Salmaſius, apud quem ita legitur, ΠΥΘΙΟΝ, Τὸ πάλαι, μεσάταλον τῆς ἐν Κρήτῃ Γορτύνης. Οι κατοικῶντες Πυθιεῖς, (ὡς) καὶ οἱ Τὸ ΠΥΘΙΟΝ οἰκοῦντες, ἐν ᾧ Απόλλων ἱερόν ἐστι. Καὶ (interpunge, ἱερόν. Εστι καὶ) Μακεδονίας Πύθιον, ἐν ᾧ τὰ Πύθια ἐπιτελεῖται, καὶ ἔξης. Male putat tamen Stephanus, Pythia celebrari in Macedoniae urbe Pythio. Nam et ipſa Delphis peracta fuiſſe Strabo lib. IX p. CCCCLXXXVII, aliique multi, nos edo-

edocent. Adde et Suidam, et Dionysium Godofredum ad Varr. lib. IV de L. L., qui τὸ Πύθιον apud Thucydidem *templum Apollinis Pythii*, non, *aquam*, ut Hesychius uoluit, iam olim denotare asseruit. Ceterum etiam Πυθίαν uidetur uocare Delphos Ptolemaeus lib. III cap. XV, nisi tamen uox corrupta est. Nam paullo post Delphorum etiam meminit. Neque mouet me, ut aliter sentiam, Guilielmus Hill, Anglus Dionysii Afri interpres, qui p. CVI commentarii, e Strabonis lib. IX manifestum esse putat, ipsam urbem Delphos Πυθίαν etiam aliquando esse nominatam. Locus Strabonis hic est, Κεκλῆσθαι δὲ καὶ τὴν προφῆτιν Πυθίαν, καὶ τὴν πόλιν, ἀπὸ τοῦ πύθεσθαι. At locus ille ita erat interpretandus, *Tam Pythia, quam Pythonem, a uerbo* πύθεσθαι *denominationem accepisse.* Sinistra illa Hilli interpretatio genii Graecae linguae plane imperitum fuisse auctorem illum, plane testatur, quod mirum tamen uidere debet nemini, quum in ipsa etiam Germania omnia miscuerit, atque, ut gustum βαλανηφαγίας eius demus, in adiecto indice Geographico *Luppiam* Ptolomaei, quam *Lippe* hodie uocari, iam olim obseruauerat Adr. Iunius, cum *Lipsia* nostra, cuius nomen Ptolomaei tempore ne fando quidem innotuerat, temere satis confuderit, ipsumque Dionysium, magistellorum, ubi optime cum eo scriptore egit, more, nusquam uero pro argumenti dignitate tractauerit. Sed ad EVsebium redeundum est: cuius uerba Graeca, Διὰ τὸ πανταχόθεν, ὡς ἀπὸ γῆς συῤῥεῖν κατ' αὐτό, lin. XLII huiusce paginae, ita uertit Hieronymus, *Propter repentinos quasi de terra contractus, et ex omni parte confluxus.* Plane ingeniose non minus, quam uere, ad hunc locum ita inquit Salmasius, *Ambigua lectione deceptus ita uertit Graeca Hieronymus.* CYPEIN *enim olim legebatur, et* CYPPEIN. *Prioribus ergo uerbis expressit interpres priorem lectionem, posterioremque posterioribus, quae uera est.*

ΤΑΥΤΑ ΔΕ ΤΑΥΤΑ
ΠΑΥΡΑ ΜΕΝ ΑΛΛΑ ΜΑΛΑ ΑΤΡΕΚΕΩC

IN

IN LIBRVM EVSEBI LATINI CHRONICORVM POSTERIORVM CANONVM

AD PRAEFATIONEM

PAG. LIV

ANtequam ad seria accedamus, in prooemio paullulum prius occupabimur, illudque paucis e mss. sub censuram reuocabimus. Paginae igitur huius linea XIII pro *quingentis annis* in prioribus Pall. legitur, *CL. d annis*. Male omnino. Nihil enim *CL.* illud aliud esse uidetur, quam insulsa quaedam cuiusdam monachisci e margine in textum recepta coniectura, qui contra auctoris mentem ita pro *D*, uel *d.*, legendum esse suspicatus est, quum tamen, si EVsebianas rationes sequamur, e num. DCCCXXXV cum num. CLX collato facile pateat, DCC annis potius scribendum esse. Paullo post linea XV pro *regnauit annos* Salmasius emendat, *regnauit annis*, quemadmodum ueteres etiam edd. habent: ne uidelicet Semiramis per integros CL annos imperio uideretur praefuisse, quum EVsebius tantum dicat, eam Inachum CL annis antecessisse. Linea deinde XVIII uerba, *in priore libello*, praeter edd. ueteres, et priores et posteriores Pall. mutant *in priore loco*. Ille in Graeco uocatur, ἡ πρὸ ταύτης σύνταξις. Tamen eum Hieronymus sequenti pagina *prius opusculum* appellat, tuenturque ualde uulgatam lecti-

lectionem, quae ad hunc locum animaduertit Scaliger. Postea linea XXIII pro uulgato, *in Hebraeis codicibus dissonantes aetatum annos*, secundus Palat., *in Hebraicis codicibus*, omnes que deinde PP. cum Sichard. ed., *dissonos aetatum annos*, legunt. Porro linea XXVII pro *Israelis uocabulum* corrupte in omnibus Pall. et Sichard. ed. habetur, *Israelitis uocabulum*, pro quo fortasse potius *Israelitidis uocabulum* scribendum fuerit. Vera deinde plane est lectio linearum XXIX et sequentium, quae in prioribus Pall., et Sichardi quoque editione, nisi quod ea distinctionibus uitiose positis laboret, habetur hoc modo, *Namque Moyses, licet iunior supradictis sit, omnibus tamen, quos Graeci antiquissimos putant, senior deprehenditur, Homero scilicet, et Hesiodo, Troianoque bello, ac multo superior Hercule*, et reliqua. Graeca EVsebii uerba apud Cedrenum p. XLII ita se habent, Ἐν ἄλλοις δὲ εὕρηται, Μωσέα μὲν τῆς Σεμιράμιδος εἶναι νεώτερον, τὸν δὲ (lege, τῶν δὲ) παρ' Ἕλλησιν ἀρχαιολογημένων ἁπάντων πρεσβύταλον, Ὁμήρου λέγω, καὶ Ἡσιόδου, καὶ αὐτῶν τῶν Τρωϊκῶν, καὶ ἔτι Διοσκούρων, Ἀσκληπιῶ, Διονύσου, ἡρώων τε πάντων, Ἑρμοῦ τε, καὶ Ἀπόλλωνος, καὶ ἑξῆς. Mox linea XXXV Sichardus cum prioribus Pall. libris *ostendit* agnoscit, quia uidelicet χρόνος ἐνεστὼς *conuincimus* praecesserat Iidem statim post Pall. codd. linea XXXVII ita legunt, *Quadragesimo secundo Augusti imperii anno Christus natus, quintodecimo Tiberii anno praedicare orsus est.*

AD PAG. LV

Eadem in praefatione linea huius paginae XXV tam Sichardinus editus, quam omnes mss. Pall. codd., legunt, *Liber quoque, et raptus EVropae*, pro altero, *Liberae quoque raptus, et EVropae.* Sed omnino Graeca uerba, Κόρης τε ἁρπαγή, repugnant, nisi EVsebii locum Hieronymus, uel Hieronymi potius uersionem librarii, interpolasse uideantur. Hieronymus sane de suo

uerba *et EVropae* addidit, at librarii, quia *Liberam* nesciebant, *Liberum* pro ea nobis suppoſuerunt. Gloſſae, *Libera*, Σεμέλη. De *Libera* praeterea, cum Proſerpina eadem, ut alios omittam, diligentiſſime cumprimis egit Ludouicus Carrio lib. II cap. XIIX Emend. Mox linea XXIIX poſteriores Pall. libri *infundere menſis* legunt, quod uel metrum reiecerit, niſi *uoluere* in antecedentibus ſcribas. Poſtea linea XXX pro uulgato olim *partitia fugit* priores Palatini codd. *partitia fuit*, poſterioris *pertitia fuit*, legunt. Nullus ſane ſcriptus codex *fugit* agnoſcit: quod uel maxime me mouet, ut Pontaci emendationem probem, qui totum locum ita ordinat, *Nam Latona, Iouis coniux, tempore Tityi fuit.* His adde, ſi lubet, quae ad num. DCLIX infra dicturi ſumus. Iam enim nobis tam diffuſis, ut omnes apices perſequamur, eſſe non licet. Priusquam tamen ab hoc loco ad ipſum opus accedamus, ne quid diſſimulaſſe uideamur, a uerbis lineae XLV, *ad ſuperiora conuerſus*, Salmaſii incepiſſe mſc. codicem mutilum, ut ipſe annotauit, monemus, etſi fateamur, doleamusque merito, eum, aut raro, aut nunquam, cum edito EVſebio ab ipſo collatum fuiſſe.

AD IPSVM OPVS

Vltima primae pericopae uerba, *Primus Aſſyriorum Rex*, et cetera, usque ad finem, non habentur in duobus prioribus PP. codicibus. Poſteriores ea quidem agnoſcunt, ſed ultimum tamen uerſum quartus Pal. ita ſcribit, *Et eo tempore regnabant Thebaei, qui praefuerunt AEgyptiis annis CXL.* Male ſcribitur numerus. Thebaei enim per CXC annos AEgypto dominati eſſe dicuntur libro quoque ſuperiori p. XI, et in Graecis p. LXI. Syncellus ex EVſebio p. LXI χρονογρ. eadem his uerbis affert, Ἑκκαιδεκάτη δυναστεία Θηβαῖοι βασιλεῖς ε', οἱ καὶ (lege, οἳ ἔτη) ἐβασίλευσαν

λευσαν ϛ'. Cedrenus p. xxv συνόψ. ἱστορ. eodem modo, Κατὰ δὲ τὰς χρόνους Ἀβραὰμ παρ' Αἰγυπτίοις ἑξκαιδεκάτη (lege ἑπκαιδεκάτη) δυναστεία ἦν, καθ' ἣν ἐβασίλευον Θηβαῖοι. Male eius interpres, *Eodem tempore apud AEgyptios* XVI *Rex agebat: qua tempestate Thebaei regnabant*: Quod non monuissem, nisi eundem errorem in editione quoque Regia commissum esse, animaduerterem. Superiora etiam Gobelinus Persona, quem ideo, quia EVsebium fere κατὰ πόδα sequitur, infra saepiuscule nominabimus, Cosmodr. aet. III cap. III confirmat.

NVM. I

Sub finem huius χρήσεως Pall. omnes, et Sichardina editio, legunt, *Thebaei AEgyptiis imperant*. Congruit autem haec XVI AEgyptiorum dynastia, et coniungitur ab EVsebio recte, cum imperio Assyriorum. Superiores XV fabulosae sunt, nec merentur fidem: si quidem, si uel EVsebii rationes, a Syncello allatas, sequamur, ante Abrahami tamen tempora ultra ter mille annos Reges in AEgypto fuisse, credendum esset, quum constet e sacris litteris, a παγκαθολικὴ illa cataclystica usque ad natalem Abrahami annum alios ∞ LXX lapsos tantummodo esse. Etsi proinde regnum AEgypti a quo conditum sit, nullius auctoritate monimenti profani possit definiri, et constitui: illud tamen liquet ex arcanioribus scripturae uoluminibus, AEgyptios a secundo Chami filio, Mizraimo, esse oriundos, atque hinc sequitur, primam AEgyptiorum dynastiam non cepisse cum primordio orbis terrarum, sed post Chami demum tempora fuisse constitutam.

NVM. X

Et superioris libri p. XI, quod annotare me ibi memini, et hic, in omnibus PP. codd. habetur, *Plurima Babylonicae* (Sichard. *Babyloniae*) *urbis instaurans:* quae sane lectio mutanda non

erat. Vide hanc in rem Herodotum, Strabonem, Melam, alios, qui omnes manu scriptae lectioni fauent. Gobelinus Persona, aet. III cap. I Cosmodromii, ita de Semiramide, *Ipsa*, inquit, *ampliauit Babyloniam. Babylonia* pro urbe hoc loco sumitur, non pro regione, etsi κυρίως uetustioribus scriptoribus de ea dicatur. Vide Chronicum Paschale p. xxxv, ed. Reg., ibique Dufresnium. Ampliasse autem Babylonem dicitur, quia Belus scilicet, uel Ninus, uel etiam Nembrodus, primus eius fuit conditor, instauratrix uero, et quae operi inchoato colophonem imposuit, Semiramis.

NVM. XIV

Tertius Sicyoniorum Rex in omnibus ueteribus libris *Stelchin* uocatur. Sichardi editio *Selchim* habet. In Scaligerana ἐκδόσει priori *Telchinus* legitur, quod non bene in posteriori mutatum esse puto. Etsi enim in Graecis Τελχὶν iste Rex uocetur, notum tamen esse debebat, metaplasmos eiusmodi Hieronymo in uersione huius Chronici perquam familiares esse: ut silentio iam praeteream, illum ipsum a Clemente Alexandrino lib. I στρωματ. uocari etiam, scribique Graece, Τελχῖνον, quod multo est durius. Georgius Syncellus p. CII χρονογρ. legit Τελχὴν, quod neograecismo imputandum, cui nulla fere inter η, ι, υ, ει, et οι, diuersitas intercedere solet. Quod ad lectionem, primo loco productam, attinet, corruptam eam esse, quilibet uidet. Puto in Graeco fuisse, Γ ΤΕΛΧΙΝ, quod est, *Sicyoniis tertius imperauit Telchinus*, prout ea etiam lectio deinde explicatur. Porro, quia Γ Graecum, et S Latinum formatenus non multum differebant, natum exinde esse corruptum illud *Stelchin*, reputo.

NVM. XLIV

Totum hoc capitulum ita in primo Palatino legitur, *Sicyoniorum quartus APIS annis XXb, a quo APIA, quae nunc Peloponne-*

ponnesus, prius AEgyalis nuncupata. In secundo et reliquis Palatinis, etsi eadem habeantur uerba, pro *AEgyalis* tamen legitur *AEgialia*, quomodo in Graeco quoque est Αἰγιάλεια. Nam Αἰγιάλια apud Syncellum, p. XCVII χρονογρ., idiotismo neograeco ortum suum debet. Prior Scaligeri editio plane haec uerba omisit, quae tamen habentur in aliis editionibus, quaeque Scaligerum pro genuinis agnouisse, ex eius animaduers. p. XV apparet. Pro *AEgyalis* legi etiam possit *AEgialus.* Pausanias Corinth. cap. V, Σικυώνιοι δὲ, inquit, περὶ τῆς χώρας τῆς σφετέρας λέγουσιν, ὡς Αἰγιαλεὺς αὐτόχθων πρῶτος ἐν αὐτῇ γένοιτο, ἡ Πελοποννήσου δὲ, ὅσον ἔτι καὶ νῦν καλεῖται ΑΙΓΙΑΛΟΣ, ἀπὸ ἐκείνου βασιλεύσαντος ὀνομασθῆναι. Adde Stephanum in ΑΙΓΙΑΛΟΣ, Hesychium in ΑΙΓΙΑΛΕΙΣ, Etymologum in ΑΙΓΙΑ, Plinium lib. IV cap. V H. N., et Marcianum lib. III p. CCX, ut alios omittam. Optime nuper hac de re egit Ezech. Spanhemius p. CCCLXX obseruat. ad Callimachum, quem uide.

NVM. LI

Primus codex Palatinus reliquos, ne secundo quidem excepto, cum facile praestantia sua, tum ideo quoque uicit, quod a nescio quo antiquario cum duobus mss. aliis, uetustiori altero, altero recentiori, collatus fuerit: e quibus tam uarias lectiones, quam numerorum diuersitates, saepius postea a Salmasio excerptas esse, animaduerti potest. Non igitur praetereunda hic sunt uerba Salmasii, quae huic loco alleuit, *Adscribitur*, inquit ille, *ad hunc numerum* LI *historia, quae infra ad num.* LIII *in secundo Palatino, tertio, et quarto, legitur. In primo autem ita ab antiquario scriptum ad hunc numerum*, Infra scripta histo-„ ria in nouo codice uidetur hic, ad numerum LI, in ueteri au-„ tem codice habetur, ut infra. Hactenus Salmasius. Mox pro „ uocibus *apud Hebraeos* recte in prioribus PP. et Sichardi editione legitur, *apud eos.* Statim post uel legendum, *annorum duo millia*, uel, *anni bis mille.* Sichardus legit, *anni* ∞ ∞.

NVM. LIV

In primo Palatino ab antiquario, inquit Salmasius, *ad numerum* LVII *scriptum est*, Suprascripta Historia [*Apud Cretam regnauit primus Cres, indigena*] in nouo codice est ad num. VII Sicyonium, in ueteri est, ut hic, ad num. XI; et infra scripta historia (*Creta dicta a Crete, indigena*) quae hic est ad num. CCXIII, in nouo est ad IX: *Quod verum est. Nam in duobus posterioribus PP. ad numerum* IX *legitur*, Creta appellata (dicta) a Crete indigena (indugena). Haec Salmasius. Cretem Curetum fuisse Regem, ait Anaximander apud Solinum cap. IX. Adde Georg. Syncell. pp. CV, et CXXV, ac Stephanum in KPHTH.

NVM. LXIX

Pro THELXION primus Palatinus THELAION legit. X enim et A a librariis aliquando confunduntur. Medii codices duo THELESION exhibent. Quartus THELOSION, et Sichardi editio THELASION, scribunt. Omnes inemendate. Videlicet scriptura Longobardica CH in ES et OS mutatum est.

NVM. LXXV

Tertia ad hunc numerum periocha rectissime in omnibus PP. codd. legitur, A LXXV *anno habraham* (scribe, *Abraham*) *usque ad Moysen, et egressum*, et reliqua. Verba enim illa, *Primus annus repromissionis DEI ad Abraham*, e prima ad hunc numerum pericopa hic sunt repetita, nec habentur in Sichardina editione. Cetera ratio ipsa monstrat uera esse. Interim eruditissimus uir, Eduardus Simson, Chron. cathol. Part. I p. XX, et sequentibus, uocationem Abrahami ad annum eius LXX reduxit, Iosephique sententiam, unus fere omnium Chronologorum, reliquit, cuius rationes ibi uideri possunt. Paullo post tres priores codd. Pall. legunt, *ad destruendam promissionem.* Quartus, *ad destruendum promissionem*, Sichardi editio, *ad destruendam*

dam repromissionem, scribunt. Vulgatus interpres, quem Hieronymum uulgo esse uolunt, *ad euacuandam promissionem*, uertit, quomodo τὸ καταργῆσαι per *euacuare* reddidit e uersione, ut puto, Italica Tertullianus Rom. VI comm. VI, I Corinth. XV com. XXVI, et alibi: quibus tamen in locis uulgatus interpres *destruendi* uerbo usus est.

NVM. LXXXV

Recte posterior Scaligeri editio uerba illa, *decimus annus repromissionis*, numero huic LXXXV adiecit, quæ prior intra medium huius sequentisque lineae spatium collocauerat, unde dubium imperitis suboriri poterat, ad hunc ne, an alterum numerum, Scaliger ea reuocauerit, praecipue, quum primus Pal. codex itidem male ista ad num. LXXXVI traxerit.

NVM. XXCIIX

Tota haec periocha, *Abraham ex ancilla*, et reliqua, in primo Palatino non habetur; habetur tamen tam in Graeco textu, quam in reliquis codicibus, et exiguo illo Isidori Chronico. Mox PP. codd. tres posteriores legunt, prout in Sichard. editione etiam habetur, *Ismaëlitarum genus*. In Graeco enim est, ΑΦ' ἧς τὸ τῶν Ισμαηλιτῶν γένος. Eodem modo Syncellus legit p. c χρονογρ. Adde Gobelini Personae Cosmodrom. aetat. III cap. II. Deinde omnes PPPP. et Sich. ed. legunt, *qui postea Agareni, et ad postremum Saraceni dicti*: nisi quod Sichardus cum Scaligero *Sarraceni* ediderit, quod non potest probabili ratione defendi. Vide Stephanum in CAPAKA, eiusque ibidem interpretes.

NVM. C

Ad hunc numerum in prima Palat. legitur illa χρῆσις, *Initium* XLII *Iobilaei secundum Hebraeos*. In aliis codd. est, *secundum Iudaeos*. In eodem codice primo, praetereaque in omnibus scriptis

ptis libris, legitur, *cui superuixit annos* LXXV. Recte. In Graeco enim est, ᾧ ἐπέζησεν ἔτη οέ. Sed et chronologicae rationes alteram lectionem non admittunt. Porro omnes Pall. legunt, *quam in nostro tempore.* Non minus recte. Id enim notat Graecum, καθ' ἡμᾶς. Ceterum de hoc tempore ita Gobelinus Persona Cosmodr. aet. III cap. III infit, *Sciendum est, quod tradunt historiae, quod, dum Isaac nascitur, et Abraham erat* C *annorum, tunc erat centesimus annus decimae et septimae* (lege, *sextae*) *dynastiae apud AEgyptios, et uicesimus sextus repromissionis.* Sichardina, aliaeque editiones, omnia hic turbant, adeo etiam, ut ad hunc numerum legatur, *Isaac Hebraeorum filius Abrahae* LX *aetatis suae anno generat Iacob.*

NVM. CXXI

Sextum hunc Sicyoniorum Regem AEgydrum primus Palatinus *AEgidrum*, reliqui omnes *Egydrum* uocarunt. Sichardi editio ridicula est, cum *AEgidius* legit. Pausanias Corinth. cap. V Αἰγυρον absque Δ eum nuncupat. In Graeco textu est Αἰγυθος, prout ex EVsebio legit etiam Syncellus p. CIV χρονογραφ.

NVM. CXXIX

Non ad numerum CXXIIX, quemadmodum tamen etiam in Graeco est, sed ad hunc CXXIX in ueteri codice Palatinae bibliothecae primo legitur, *In Creta regnauit primus Cres indigena, ut quidam uolunt; Alii uero suprascriptum tempus uindicant.* Vide, quae supra ad num. LIV sunt in medium allata.

NVM. CXXXIII

Iterum ipsa Salmasii uerba hic recitabo, *Antiquarius in* „*primo Palatino ad hunc locum ita scripsit*, Suprascripta (ad num. „ CXXIX) historia in nouo codice est posita ad numerum CXXXIII „ Regum AEgyptiorum, in ueteri autem, ut supra. *Et uerum est.*

Nam

Nam in tribus aliis PPP. posterioribus (quemadmodum etiam in Sich. editione) posita ea est ad numerum hunc CXXXIII.

NVM. CXLV

Thurimachum hunc primus Pal. codex *Thyrimachum* uocat, reliqui *Thyramacum*. Omnes male. Graece enim dicitur Θυρίμαχος, nec aliter eum uocat Sichardina editio, Pausanias Corinth. cap. v, et Syncellus p. CIV χρονογραφίας.

NVM. CLX

Secunda ad hunc numerum periocha litteris uncialibus ita in primo Pal. perscribitur, *HAEBRAEORVM IACOB FILIVS ISAAC VSQVE AD PRINCIPATVM FILII IOSEPH.* Eadem uerba in Sichardina quoque editione leguntur. In Graeco est, Ἐξ Ἑβραίων Ἰακὼβ μέχρι τῆς τοῦ παιδὸς ἀρχῆς ἔζησεν ἔτη ρλζ', quomodo legitur etiam in Chronico Paschali, p. CXXXVI Raderiana. Sequenti in χρήσει idem Palatinus legit, *Assyriorum sextus Xerxes, qui et Balaeus.* Gobelinus Persona *Baleus* agnoscit. Alii Palatini et Sichardina aditio ultimam uocem in *Balaneus* mutant, ut etiam est in Cassiodoro. Vltima in pericopa primus Pal. cum Sichardina editione legit, *Isidem uocant et colunt*, prout est in Graeco, μετονομάσοντες σέβεσι. Mox in eodem codice legitur, *Bosporus nuncupatus*, pro qua lectione plane monstrosa alia offenditur in Sichardi editione, *Bos Phoroneus nuncupatus.* Vide Epiphanium, et Dionysii Petauii ad eum notas p. XVI Tom. poster., ubi demonstratur praeterea, quod Africanus, Tatianus, Tertullianus, Clemens ὁ στρωματεύς, Manethos, Cedrenus, Syncellus, imo ueteres ante EVsebium omnes, non recte Inachum Moysis συγχρονον fecerint.

NVM. CLXI

Haec Castoris de Argiuorum regibus χρῆσις a prioribus Palatinis ad num. CLXIIX, a reliquis ad num. CLXX, refertur. Nominum porro propiorum mira hic inuenitur corruptio et ποικιλογραφία

γραφία. Pro *Stenelantum* enim in primo Palatino est *Stelantum*, in secundo, *Stolantum*, in reliquis *Stellatum*. Garcia de Loaisa ad Chronicon Isidori p. XIIX in msc. suo hanc periocham ita legi animaduertit, *Castor de Argiuorum regno ita loquitur, Persequemur consequenter Reges Argiuorum, ab Inacho usque in Sthenelantum.* Cθένελος uocatur a Georgio Syncello pp. CXXI, CLII, alibique, χρονογραφίας. Sed et Sichardi editio et hic, et postea semper, *Stelenum* eum nuncupat: quemadmodum alicubi Marcellinus quoque Ammianus *Sthelenum* eum uocauit, etsi et ibi docti uiri *Sthenelum* reposuerint. Librariis enim nihil frequentius est, quam syllabarum illa metathesis, unde et eodem modo *Melanion* uocatur aliquando in libris ueteribus, qui alias est *Menalion*, ut Muretus obseruauit. Qui plura geminaque exempla desiderat, adeat, uelim, Casp. Scioppii artem Criticam. Mox in posterioribus Pall. pro *Crotopi* inemendate legitur *Crotepi*. Cθενέλαντα enim Κροτωπȣ̃ παῖδα facit etiam Pausanias cap. XVI Corinth., et Syncell. p. CLV. Male etiam Κρότωπος p. CLII χρονογρ. apud eundem dicitur, qui aliis omnibus Κροτωπὸς audit.

NVM. CLXXV

Posteriora huius rubricae uerba primus Palatinus ita scribit, *in quo moritur Abraham, omnes annos quum numeres, agens* CLXXX. Sed numerus deprauatus est. Recte enim in reliquis legitur, *annum agens* CLXXV. Prior lectio exprimit Graeca uerba, ζήσας τὰ πάντα ἔτη ροέ, apud Syncellum p. CI χρονογρ.

NVM. CLXXXII

Omnes Palatini hunc τίτλον ita concipiunt, *Apis in Aegypto primum Deus putatus est, quem quidam Serapim uocauere.* In Graeco apud Georgium Syncellum p. CXLIX χρονογρ. est, Τȣ̃τον τὸν Απιν φασὶ πρῶτον ΑΙγυπτίοις νομισθῆναι Θεὸν, ϗ Cάραπιν κληθῆναι. Alibi tamen EVsebius ex aliis auctoribus aliter sensit. Apud eundem enim Syncellum p. LV χρονογρ. secundum secundae AEgyptio-

gyptiorum dynastiae Regem, χοὺν uocat, additque, ὅτι κατ' αὐτὸν καὶ ὁ Απις, καὶ ὁ Μνεῦις, ἀλλὰ καὶ ὁ Μενδήσιος τράγος, θεοὶ ἐνομίσθησαν. Adde et Syncellum p. CXXIII χρονογρ. Nam et alia ibidem habetur opinio, quanquam ex EVsebio ultimam esse depromtam, praecise affirmare nolim. Adde de Api Plutarchum περὶ Ισιδος καὶ Οσίριδος, Diodorum Siculum lib. I cap. XIII, Melam lib. I cap. IX, Ammianum Marcellinum lib. XXII, Clementem Alex. lib. I στρωματ., AVgustinum de C. D. lib. XIIX cap. V, Iulium Firmicum de mysteriis, atque ex recentioribus Marshamum, Spencerum, VVitsium, aliosque.

NVM. CXC

Septimus Assyriorum Rex *Armamithres* e corruptis EVsebii codicibus *Armatrites* uocatur Gobelino Personae et Anniano Berosо, qui tanti non est, ut nos morari possit, quum Αρμαμίθρης extet etiam apud Syncellum p. CIII χρονογραφ. Sequens periocha ita scribitur in primo Pal. *AEgyptiorum septima decima dynastia, quo tempore Pastores regnabant annos* CIV. Legendum tamen est, *annos* CIII, ut habet EVsebius apud Syncellum p. LXII χρονογρ. Mox omnes codd. Pall. legunt, *qui in principio Pastorum.* Ego in Graeco textu fuisse puto, Τ8]ων ἐν ἀρχῇ Ιωσὴφ, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτῶ εἰς Αιγυπ]ον με]ωκίθησαν. AVt igitur Hieronymus τὸ ΑΡΧΗΙ male uertit, aut etiam *principium* pro *principatu* positum est, quasi dixisset, *regnantibus Pastoribus.* Nam uerum omnino est, haut ita multis post mortem Isaaci annis haec omnia gesta esse. Porro hoc modo nullius προχρονισμῦ, quod fecerat Scaliger, EVsebius ipse uidetur esse postulandus, sed, si quisquam, unus interpres Hieronymus, quanquam etymologiam tamen ipsam, modo et ea est ab EVsebio, non satis bene excogitatam esse, Scaligero facile concesserim.

NVM. CCXI

Graeca uerba ἐπιμέμνηται λέγων bene expressit Hieronymus

mus, si scripsit, ut habetur in primo Pal. et Sichardina editione, *meminit ita dicens.* Paullo post in iisdem libris legitur, *qui primus hoc nomine appellatus est.* Equidem, etsi γενικῶς Phoronea τὸν πρῶτον ἄνθρωπον γενέσθαι, cum Acusilao, aut Platone, affirmare nolim, nihil tamen uideo, quid obstet, cur eum cum Pausania, Corinth. cap. XV, ἐν τῇ γῇ, τῇ νῦν Αργολίδι ὀνομαζομένῃ, γενέσθαι πρῶτον, obstinatius inficiar. Nec tamen ego, ne quid dissimulem, cum Pausania Ιναχον, οὐκ ἄνδρα, ἀλλὰ τὸν ποταμὸν, πατέρα εἶναι Φορωνεῖ crediderim, quanquam fortasse eam ob caussam αὐτόχθων Clementi Alexandrino ά. στρωματ. Phoroneus fuit habitus. Sed neque ideo nego, fluuiis enim filios adscriptos esse a mythologis, quum contrarium uele Theogoniis ueterum facile appareat. Etymologicum magnum, Απία γὰρ τὸ παλαιὸν ἐκαλεῖτο Αἰγιάλεια, ἀπὸ Αἰγιαλέως, υἱοῦ Ινάχου, τοῦ ἐν Αργει ποταμοῦ. Abrah. Berkelius ad Stephanum p. LI foede corruptum esse locum putat, et ex Apollodoro ideo reponit, υἱοῦ Ινάχου, ἀφ' οὗ ἐν Αργει ποταμός: quod non fecisset fortasse, si locus Pausaniae ei fuisset obseruatus.

NVM. CCXV

Ad hunc numerum XXVI AEgyptiacum suprascripta ad num. CCXVI de Niobe ῥῆσις in primo Palatino, et reliquis omnibus scriptis, collocatur. In Graeco apud Syncellum p. CXXVI χρονογρ. legitur, Νιόβῃ γαμετῇ Ινάχου, μητρὶ δὲ Φορωνέως, πρώτῃ γυναικῶν ἐμίγη Ζεύς. Dionysius tamen Halicarnassensis lib. I ἀρχαιολ. Ρωμ., non procul a principio, Φορωνέως μὲν, inquit, Νιόβη γίνεται, ταύτης δὲ υἱὸς καὶ Διὸς, ὡς λέγεται, Πελασγός. Eodem modo Pausanias eam τὴν Φορωνέως Νιόβην uocat Corinth. cap. XXII, ad distinctionem puta ab altera *Tantali* filia Niobe. At Georgius Syncellus χρονογρ. p. CXXV, Φασὶ δέ τινες, inquit, Νιόβην Φορωνέως εἶναι θυγατέρα, ὅπερ οὐκ ἀληθές. Ceterum in ipsa ea historia ultima uerba in Pall. codd. ita leguntur, *quem Serapim cognominant.*

NVM.

NVM. CCXXIX

Iterum hic in perſcribendis nominibus propriis, quae uocant Grammatici, librariorum inſcitia inſigniter eſt graſſata. In primo enim Pal. ſcribitur, *Thelciſius et Carratus . . . . inſtituit bellum:* in ſecundo uero, *Thelciſis et Carſatis.* Sichardiana editio habet, *Teltaphis et Carſatis.* Porro primus Pal. hiſtoriam hanc ad ſequentem numerum ccxxx collocat. Georgius Syncellus p. cxxvi χρονογρ. ex EVſebio, Τελχῖνες ἢ Καρροιᾶται (quos *Cares* inepte uertit Goarus) πρὸς Φορωνέα ἢ Παῤῥασίους ἐπολέμησαν. Caryatarum, uel *Caroetarum*, (utroque enim modo ſcribitur) nomen ſaepius apud auctores corrumpitur, nec magis, quam in EVſebio, emendate apud Seruium Honoratum ad VIII eclogam Virgilianam legitur *Caruſatidi Dianae*, pro *Caryatidi.* Parrhaſiorum, quos Παρμασίους, teſte Stephano, uocauit Nicanor, mentio iniicitur apud Strabonem aliquoties, et Pauſaniam Arcad. cap. XXVII, ubi urbes etiam eorum recenſentur. Ceterum, obſeruante Salmaſio, ita ſubſcripſit huic periochae in primo Pal. antiquarius, *Supradicta hiſtoria in nouo codice eſt ad num.* XXXIII *regni Sicyoniorum, in antiquo autem poſita eſt, ut hic.* Et uerum eſt. Nam omnes reliqui Pall. cum Sichardina editione ad illum numerum eam agnoſcunt.

NVM. CCXXXVI

Pro edito *Ogyges* in primo Pal. et Sichardina editione legitur *Ogygius.* Scribendum eſt *Ogygus.* Nam in λειψάνοις quoque Graecis Ωγυγος habetur, etſi non ignoremus, quod aliis etiam Ωγύγης fuerit appellatus. Ωγυγος certe uocatur Pauſaniae, Diodoro, Georgio Syncello, Africano, Gobelino Perſonae, aliis. Apud Io. Malalam p. LXXIV χρονογρ. habetur Γυγώγης deprauate. Plane enim Ωγύγης e Cedreno eſt reponendum. Idem Malala Ogygum ad Ioſuae, filii Nuni, aetatem retulit contra tam EVſebii, quam Syncelli, ſententiam, quos Dionyſius Petauius

in rationario suo sequitur. Porro et hic subscripsit antiquarius in primo Palatino, *Suprascripta historia in nouo codice est posita ad numerum XII regni Argiuorum: in ueteri, ut hic.* Nempe uero ipsa in tribus reliquis Pall., Sichardique editione, ad numerum XII Argiuorum posita inuenitur.

NVM. CCXXXVII

Haec perioche in Graeco EVsebio, a Scaligero consarcinato, ad numerum XLII AEgyptiacum est posita. Primus Palatinus legit, *Iacob descendit in Mesopotamiam*, prout Graeca habent, κάτεισιν εἰς Μεσοπ]αμίαν.

NVM. CCLIV

In tribus Pall. posterioribus et Sichard. ed. ad hunc numerum collocatur, *Diluuium, quod sub Ogygo.* At in primo infra ad numerum LXXII AEgyptiacum, quo Scaliger etiam eam ῥῆσιν retulit, ita subscripsit antiquarius, *Suprascripta in nouo codice ad num. Argiu.* XLIV *historia in antiquo legitur, ut hic.*

NVM. CCLIIX

Ad hunc numerum XLIIX Argiuorum scripta est in primo Palatino perioche, *Hoc tempore in Sicilia Messana, quae et Mamertina, conditur*, et subscripsit antiquarius, *In codice nouo suprascripta historia ad num. XL Argiuorum habetur, in ueteri, ut hic.* Ac sane in Sichardina editione ea ad istum numerum habetur, qui est EVsebianus CCL. Μαμερτίνων τῶν ἐν Μεσσήνῃ meminit etiam Plutarchus in Pompeio p. DCXXIII tom. I. oo. Adde Stephanum in MECCHNH, eiusque interpretes. Plinius lib. III cap. IIX, *A Peloro, mare Ionium ora spectante, oppidum Messana ciuium Romanorum, qui Mamertini uocantur.* Zanclen olim appellatam esse uult Strabo. Sed Stephanus Zanclen diuersam a Messena urbem uidetur statuere, quomodo Zanclen uicum hodie esse, *Chiera* appellatum, Cl. Aretius tradit. Reliqua Scaliger praeoccupauit, quae hic possent dici.

NVM.

NVM. CCLXVI

Hieronymi uersio, quam primus Pal. praefert, et Sichardina editio, *Ioseph uenditus a fratribus*, *annum agens* XVII, Graeca EVsebii, apud Chronici Paschalis p. CXL auctorem, uerba, ἔτ(ων) ἄγων ιζ', satius exprimit. Syncellus χρονογρ. p. CXVI, Ιωσὴφ δὲ, μετὰ τὴν ἐωσάνοδον τὴν (ita lege: non, τῆς) ἐν γῇ Χαναὰν τῶ πατρὸς, φθόνῳ τῶν ἀδελφῶν δῶλ(ον) πραθεὶς, κατήχθη εἰς Αἴγυπτον τῷ ρζ' ἔτει τῶ Ιακὼβ, αὐτὸς ὢν ἐτῶν ιζ'. Georgius Cedrenus, p. XXXIV συνόψ. ἱστοριῶν, Οτι δεκαεπτὰ ἐτῶν ὁ Ιωσὴφ ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν ἐπράθη. Zonaras Tom. I χρονικῶ, Τὸν δὲ Ιωσὴφ τοῖς ἐμπόροις ἀποδίδονται μνῶν εἴκοσι, ἐτῶν ἑπ]ακαίδεκα γεγονότα: Quae uerba descripta sunt e Iosephi lib. II ἀρχαιολ. Ιουδ. cap. III. His e testimoniis satis apparet, Scaligeranam lectionem non satis sanam esse.

NVM. CCLXXI

In primo Palatino legitur, *Hunc Apem aiunt esse Serapin.* Eodem modo EVsebius apud Syncellum p. CXLIX χρονογρ. inquit, Τῶτον τὸν Απιν φασὶ πρῶτον Αἰγυπ]ίοις νομισθῆναι Θεὸν, ἢ Σάραπιν κληθῆναι. Sed et Sichardina editio consentit.

NVM. CCLXXIIX

Periochen de Memphis conditu Sichardina editio non agnoscit. Primus Palatinus legit, *Memphis in AEgypto ab Ape conditur.* In Graecis collectaneis tamen est ἐκ]ίσθη. Gobelinus Persona, *Anno septimo*, inquit, *Balei Apis coepit regnare Rex apud Argos, tertius Rex eorum, qui regnauit annis xxx. Hic decimo anno regni sui condidit ciuitatem in AEgypto, quae* Memphis *est uocata.* At non decimo, sed nono, imperii Apis anno Memphim fuisse conditam, Hieronymus uoluit. Alii multo uetustiores huius urbis origines esse statuunt, inter quos Iosephus est, qui lib. IIX cap. VI ἀρχαιολ. Ιουδ. affirmat, Μινᾶιον εἶναι τὸν Μέμφιν οἰκοδομήσαν]α, ὃς ἔτεσι πολλοῖς ἔμπροσθεν ἐγένετο τῶ πάππῳ ἡμῶν Αβράμῳ. Adde Herodotum lib. II cap. XCIX. Georgius Syn-

Syncellus sibi non constat. Nam p. CXLIX χρονογρ. inquit, ὅτε τότε, (quum Telchines Peloponneso eiecti sunt) Μέμφις ἐν Αἰγύπτῳ ἐκτίσθη. Id incidit in numerum CCLXXVI, qui est sextus imperii Apis annus. At pp. CLII et CLIIX ab Epapho, Ius filio, conditam eam asserit. Idem habetur etiam num. DXXIV in EVsebio, et Hygino fab. CXLIX, e quo, more suo, Statii uetus interpres ad lib. IV sua descripsit. Nos tamen meminerimus, auctorem aliorum tum sequi sententias. Aliis enim Ἄπις et Ἔπαφος iidem sunt, quod testatur Herodotus Thaliae cap. XXIIX, et EVstathius ex eo ad Dionysii περιηγ. uers. DCCCCXIX p. CLXX, ubi uide. De Memphi porro, et Apide, uide, quae proferat Strabo lib. XVII p. DCCCVII, Stephanus, et Suidas, in ΜΕΜΦΙΣ, atque Plinius lib. V cap. IX H. N., e quibus apparet, non omnibus eandem cum Lucullo mentem fuisse, ὃς λέγεται, ἐπ' Αἰγύπτῳ ἀναχθεὶς, μήτ' εἰς Μέμφιν ἀναβῆναι, μήτ' ἄλλο τῶν θαυμαζομένων ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ περιβοήτων, ἱστορῆσαι, ut Plutarchus in Lucullo tom. I OO. p. CCCCXCII commemorat.

NVM. CCXCI

Ad Graeca EVsebii, τούτῳ τῷ ἔτει δευτέρῳ τοῦ λιμοῦ κάτεισι, καὶ ἑξῆς, proxime accedit lectio huius pericopes, quae extat in primo Palatino, et Sichardina editione, *Secundo anno famis ingressus AEgyptum cum filiis suis Iacob.* Alii tamen exacto iam secundo anno id contigisse affirmant, e quibus Cedrenus est, qui ita de ea re inquit, Μετὰ δὲ β' ἔτη, ἐξ οὗ ἤρξατο ὁ λιμὸς, κατέβη Ιακὼβ εἰς Αἴγυπτον ἐν οἷς ψυχαῖς.

NVM. CCC

Antiquarius ad hunc numerum notauit, in nouis codicibus, prout fit etiam in tribus Pall. posterioribus, ad numerum XXIV regni Argiuorum, qui Abrahamitico CCXCIV respondet, posita esse haec uerba, *Sparta condita est a Sparto, filio Phoronei.* Quod ualde miror. Nam Gobelinus Persona Cosmodr. aetat. III cap.

III cap. V sub Alcada demum, X Assyriorum Rege, Spartam a Phoronida illo conditam esse scripsit. Tamen Georgius Syncellus etiam p. CXLIX χρονογρ. asserit, sub Api σπάρταν κτισθῆναι ὑπὸ σπάρτα, παιδὸς Φορωνέως. Adde Meursii miscellan. Laconic. cap. X lib. IV. σπαρτὸν conditorem Spartae uocat Stephanus in ΛΑΚΕΔΑΙΜΩΝ, quocum alii etiam faciunt. σπάρτωνα interim hunc Phoronidam nuncupat Pausanias cap. XVI Corinth., et Scholiasta quoque EVripidis, qui tamen eum non Phoronei filium, sed Phegei, fratris Phoronei, facit. In altera ad hunc numerum periocha *Eratus*, non *Peratus*, omnes Pall. codd. scribunt. Hieronymus ergo HEPATOC in EVsebio legit, deindeque in Latino spiritum lenem praetermisit, et *Eratus* scripsit, uel etiam *Heratus*, quomodo in Sichardina editione legitur, quae tamen lectio falsa est. H et Π, si in priori apices tollas, facile in maiori scriptura confundi posse, nemo paullo humanior ignorat. Syncello idem p. CIV χρονογρ., et EVsebianis collectaneis lib. I p. XXII, Ερατὸς dicitur. Alibi tamen in iis Ερατὸς legitur, quemadmodum etiam appellatur Pausaniae Corinth. cap. XXXVI. Vnde ego concludo, uitiose apud eundem cap. V eiusdem libri Πέρατος esse scriptum.

NVM. CCCXV

Decimus hic Assyriorum Rex *Altadas* in primo Pal. uocatur *Altada*. Excerpta, notante etiam Scaligero, *Altallum* eum nominant: Quia uidelicet in Graecis aliquibus codicibus lectum fuit ΑΛΤΑΔΑC pro ΑΛΤΑΔΑC. Λ enim, et Δ, litterae sunt ἐυμεταθέτοι. Gobelino Personae *Alcadas* dicitur. Syncellus p. CIIX χρονογρ. Africanum sequitur, et σέθων hunc Regem, non Αλτάδαν, uocat, annosque imperii L eidem tribuit.

NVM. CCCXXXI

Regis huius AEgyptii nomen uarie in uariis mss. exaratur. Quibusdam enim libris ille *Amenophes*, aliis *Amenouphes*,

rursus aliis *Amenonphes*, uocatur. In primo Pal. est *Amenophis*. Syncellus eum p. LXX χρονογραφ. ex Africano Ἀμενωφθὶν appellat; At ex EVsebio, p. LXXI, Ἀμμενῶφις legitur, quemadmodum etiam *Ammenophis* in Sichardina editione scribitur. Mox in eodem primo Palatino, et reliquis etiam, legitur, *a quo homines factos commemorant. Quum enim sapiens esset*, et reliqua: Plane, ut legitur, in collectaneis EVsebii Scaligeranis, σοφὸς γὰρ ὢν, καὶ τὰ λοιπά. Syncellus p. CXLIX χρονογρ. eadem fere habet, additque, Προμηθεία γάρ ἐστιν ἐν ἀνθρώποις ὁ νοῦς. Ἑρμηνεύουσι δὲ οἱ ἀναξαγόρειοι τοὺς μυθώδεις Θεοὺς, νοῦν μεν τὸν Δία, τὴν δὲ Ἀθηνᾶν τέχνην. Goarus uertit, *Prometheа enim, siue prouidentia, hominum mens est: atque expositores ipsi fabulosos Deos interpretantur et explanant: Mentem quidem, Iouem: Mineruam, artem.* At Goarus male uocem ἀναξαγόρειοι putat esse ἱστοριογραφικὴν, et fabularum expositores denotare: quum quilibet, qui accurate locum tractat, facile cognoscat, legendum esse, quomodo in Georgio Cedreno extat, Ἑρμηνεύουσι δὲ οἱ Ἀναξαγόρειοι. Suidas, ΑΝΑΞΑΓΟΡΑΣ, σοφιστὴς, ΝΟΥΣ δὲ ἐπεκαλεῖτο, ἐπειδὴ ὕλην καὶ νοῦν πάντων φρεσὶν εἶπεν.

NVM. CCCXLVI

Plemnaeus hic, quem EVsebii etiam συλλογὴ, et Syncellus p. CIX χρονογρ., ac Pausan. Corinth. cap. v, Πλημναῖον uocant, tam in primo Pal., quam in quibusdam aliis scriptis libris, et Sichardina editione, *Plemmaeus*, *uel Plennaeus*, nuncupatur. Statim post noua τῶν κυρίων ὀνομάτων corruptio in exemplaribus offenditur. Vndecimum enim Assyriorum Regem primus Pal. *Namitum* uocat, reliqui *Marintum*, *uel Maimtum*. Gobelinus Persona *Mamitum* appellat cum editis: Sed Sichardina editio *Mamithum* rectius scribit. Iornandes *Mamintbum* habet. Apud Georgium Syncellum p. CIIX χρονογρ. ex EVsebio Μαμυθὸς uocatur.

NVM. CCCLXXVI

Criasum, quintum Argiuorum Regem, primus Pal. *Chriassum*

assum uocat, reliqui *Criassum:* quomodo Παρναστὸς, et Παρνασσὸς, Νυσα et Νύσα, Νίσυρος et Νίσυρος, aliaque aliquammulta διπλογραφεῖται. Sichardina editio peſſime habet *Craſſus.* Plane deinde emendate in uetuſtiſſimo primo Pal. legitur, *Prima ſacerdotio functa eſt Callithyia, Spirantis filia.* Graece dicitur Καλλίθυια ἡ Σπείραντος. Reliqui Pall. omnes male ſcribunt, *Primus ſacerdotio functus eſt Callithyas, Pyranthis filius.* Quartus tamen etiam proxime ueritatem ultima legit uerba, *Callithyas filia Spirantis.* Sichardina editio monſtra lectionum alit, quae pudet producere. Corruptos etiam Hieronymi codd. ſequitur Gobelinus Perſona Coſmodr. aetat. III cap. IV, quando ait, *Huius Regis (Mamythi) ultimis temporibus Callichyas Piranthis filius primus ſacerdotio functus eſt apud Argos.* Africanus apud Syncellum p. CXLIX χρονογρ. ita, Καλλιθυσία ait, Σπείραντος ἐν Αργει πρῶτον ἱερατεῦσαι τῆς Ηρας. Lege, Καλλίθυια Σπείραντος ἐν Αργει πρῶτον ἱεράτευσε τῆς Ηρας. Nam Goari emendatio non ſatisfacit. De ritu, quo ſacerdotes olim, et aedituae templorum, feminae ſunt conſtitutae, egit Dufreſnius notis ad Chronicum Paſchale p. CCCCLXXXIX, ed. Regiae.

NVM. CCCLXXVII

Duodecimus Aſſyriorum Rex in primo, reliquisque omnibus Pall. libris, *Maccalaeus* uocatur. Scaliger, ut eſt in Iornande, *Manchaleus* legit. In Graeco, apud Syncellum, p. CXXIII Αχάλεος, p. CXXIV Βαχάλεος, uocatus eſt. Ego Αγχάλεος, uel Μαγχάλεως, legere malim; quum notum ſit Graecorum Μ τῦ Β fere figuram in mſſ. referre. Dionyſius Petauius ex EVſebio eum ſe uocare ait *Aſchalium.* Male, ut dixi. Nam Αχάλεος uocatur, non Αχάζεος, ab Africano. Geminum errorem Iacobus Goarus committit, qui p. XLI notarum ad Syncellum affirmat, hunc Regem ab EVſebio ad annum Abrahae CCLXXIIX *Machaleum* uocari. In Gobelino Perſona et Sichardina editione *Mancaleus* ſcribitur, quod ad Scaligeranam lectionem proxime accedit.

NVM. CCCLXXIX.

Hanc de Atlante pericopen cum Sichardina editione primus Pal. ita legit, *Atlas, frater Promethei, praecipuus astrologus dictus est, qui ob eruditionem istius disciplinae etiam coelum sustire affirmatus est. EVripides autem montem esse altissimum dicit, qui et Atlas uocetur.* Syncellus p. CXLIX χρονογρ. ex Africano, Τοῖς τοῖς χρόνοις Ατλας, ὁ Προμηθέως ἀδελφὸς, ἀριστος ἀστρολόγος, διέλαμψεν, τῆς (lege, διέλαμψε τῆς δὲ) ἐπιστήμης ἕνεκεν τὸν οὐρανὸν ὠμὸν φέρειν πεφήμισται. ΕΥριπίδης δὲ τὸν Ατλαντα ὄρος εἶναί φησιν ὑπερνεφές. Ioannes Tzetzes ad Hesiodi uers. I lib. II ἔργ. καὶ ἡμ. de Atlante memorat, ὅτι μυθεύονται αὐτὸν, κίονας φέρειν μακρὰς, αἳ γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσι. Τὸν δὲ Οὐρανὸν παῖδος Ιαπετὸς καὶ Κλυμένης, ἢ Ασίας, γεννῶνται, ὡς οἱ μυθογράφοι φασὶ, Προμηθεὺς, Μενοίτιος, καὶ ὁ νῦν ἡμῖν προσκείμενος Ατλας. Adde Plin. lib. VII cap. LVI, atque interpretes Virgilii ad lib. VI AEneid. uers. DCCXCVI. Gobelinus Persona Cosmodrom. aet. III cap. VI, *Sub Mancalei temporibus*, inquit, *Atlas, frater Promethei, astrologiam inuenit.* Deinde addit AVgustini e lib. XIIX cap. VIII de C. D. uerba. Pherecydes apud Schol. Apollonii ad lib. IV uers. ∞ CCCXCIIX Antaeum, Herculem, Atlantem, coaeuos facit. Io. Malala λόγῳ δ' χρονογρ. p. LXXIV, Ο δὲ Ατλας, inquit, ἡρμήνευσε τὴν ἀστρονομίαν. Adde Herodotum, Pausaniam Boeot. cap. XX, et Eliac. prior. cap. XIIX, atque EVstathium ad Odyss. A, et Dionysii Afri uers. LXVI. Cedrenus, Καὶ ὁ μὲν Ατλας ἀστρονομικὴν μελέτει ἐπιστήμην, διὸ καὶ τὸν οὐρανὸν βαστάζειν αὐτὸν ἐμυθεύσαντο. Sed nos, relicto Atlante, ad alia pergimus.

NVM. CCCXC

Sextus dynastiae XIIX AEgyptiacae Rex tam apud EVsebium, quam Africanum, ut Syncellus p. LXXII χρονογρ. prodit, Τέθμωσις uocatur. Plane ergo emendata est primi Palatini lectio, *Tuthmosis*. Secundus, et quartus, et Sichardi editio, *Thuthemosis* exhibent. Tertius male *EVthemosis* legit. Iosephus e Manethone lib. I κατ' Απίωνα, p. ∞ XLI, Θμῶσιν eum appellat, regnasseque ait annos

annos IX, et menſes IIX. Sic et quarti Regis nomen Μήφρης ei ſcribitur, quomodo Hieronymus in Euſebio quoque legiſſe uidetur, quia *Mephres* uertit, etſi Syncellus ex eo Μίφρις producat.

NVM. CCCC

Supra iam ad numerum CCCXXXI ποικιλογραφία uocis *Amenophis* fuit obſeruata, quae hic etiam occurrit. In primo Palatino enim legitur *Amenophthes*, qua ratione Αμένοφθιν Africanus uocauit, Sichardique editio, *Amenopten* in quibuſdam codd. legi, monuit. Poſteriores Pall. *Ammenophis* habent. Quartus Pal. legit *Amenouphis*. Αμένωφις enim ſupra erat in EVſebio. Ioſephus ad Hieronymi uulgatam lectionem accedit, et Αμένοφιν nuncupat. Georgius Syncellus ſibi non conſtat. Nam p. LXXII χρονογρ. uocat Αμενῶφιν, quem p. CLI Αμενῶφθιν eſſe ſtatuit. Pauſanias Φαμένωφα habet cap. XLII Atticorum, niſi lectio eſt corrupta. Mox pro *Memnonem* primus Pal. *Mennonem* legit, quemadmodum in antiquis codd. ſaepius *Ianna*, et *ſcannum*, et *Vertunnus*, pro *Iamna*, *ſcamnum*, *Vertumnus*, legitur. Reliqui codd. *Menopem* male habent, praeter quartum, in quo etiam non bene eſt *Menoupem*, quaſi ea uox ex *Amenuphis* decurtata eſſet. Ceterum addendum eſt poſt uerba, *lapidem loquentem*, e primo et quarto Palatinis, ac Sichardina editione, *cuius ſtatuam usque ad aduentum Chriſti ſole oriente uocem dare dicebant*. Immo Pauſanias, de hac ſtatua l. d. agens, ſuo etiam adhuc tempore factum id eſſe pronunciauit. Quare ea uerba non plane, ut quaedam nugatoria, a Scaligero erant reiicienda. D. Petauius EVſebianam ῥῆσιν ita inuertit in de doctrina temporum libro XIII, *Amenophis, quem nonnulli Memnonem putant, hoc anno regnare coepit, cuius ſtatua radiis contacta Solis uocem dabat*. At Hieronymus dixerat, *oriente ſole*, non, *ſplendente ſole*, prout e Pauſaniae quoque teſtimonio Memnonis ſtatuam ἀνιόντος ἡλίου tantummodo βοᾶν meminimus.

NVM. CCCCXXVII

Hic Assyriorum Rex rectissime a Pal. primo uocatur *Mamylus*. In Graeco enim est ΜΑΜΥΛΟC. Secundus Pal., et tertius, cum Iornande, *Mamilus*, quartus *Mamillus*, scribunt. Quartum sequitur Gobelinus Personа Cosmodr. aet. III cap. VII. Sichardi editio male *Mamilas* habet. EVstathius ad Dionysium περιηγητὴν, uers. DCCLXIV p. CXLIII, τὸν τέταρτον ἐπὶ δέκα βασιλέα μετὰ Νῖνον γενόμενον uocat ΧΑΛΔΑΙΟΝ. At Syncellus, Africanum EVsebiumue sequutus, p. CXXIII χρονογραφ. istum uocauit Μάμυλον.

NVM. CCCCXXIIX

Ad hunc numerum in primo Palatino et Sichardina editione scribitur periocha, *Epidaurus ciuitas condita est.* In reliquis codd. ea est ad numerum sequentem collocata. Ceterum Epidaurus condita fuisse uidetur non tam ab Epidauro aliquo, Argi, Regis Argiuorum quarti, filio, quam ab altero, Argi τῦ πανόπτȣ ἢ μυριοφθάλμȣ nato, qui anno Abrahami CCCCXXXI uixisse, mox dicetur. Pausanias tamen Αργον τὸν Διὸς Ἐπιδαύρȣ πατέρα facit, qui erat Apis frater, et Phoronei ex Niobe et Ioue nepos. Alterum illum Argum ἑκατονταόφθαλμον τὴν τεχνικὴν ἐπὶ τὰ ὀυλικὰ μέρη ἐυρεῖν, auctor est Io. Malala p. LXXXIV. Chilmeadus ibi dubitanter τὴν τεκτονικὴν reponit, quomodo tamen omnino legendum est. Ille enim Argus, qui tamen hoc Epidauri conditore ducentis, et ultra, annis iunior esse uidetur, nauem, quae Argo uocata est, extruxit. Scholia Apollonii ad limen libri primi, Ο μὲν Απολλώνιος, inquit, καλεῖ τὴν Αργὼ ἀπὸ Αργȣ τῦ κατασκευάσαντος, Φερεκύδης δὲ ἀπὸ Αργȣ τῦ Φρίξȣ υἱῦ. Ταύτην δέ φασι πρώτην ναῦν γενέσθαι μακράν.

NVM. CCCCXXXI

In aliis recentioribus codd. est, *Quidam scribunt Prometheum emitheum, et Epimetheum*: multiplici errore. Namque ex

ex ἡμίθεον esset scribendum *semideum*. Deinde cui scriptori ὁ Προμηθεὺς ἡμίθεος fuisse dicitur, qui Iapeti fuit filius, quanquam eum Vulcanum propinquitate attigisse AEschylus in Prometheo suo asseruerit.

NVM. CCCCXXXVI

Huic numero apponitur in primo Pal. et aliis, nec non in Sichardina editione, historia, quae legitur in Scaligeranis codd. ad numerum ccccxxxiix. Gobelinus Persona Cosmodrom. aet. III cap. VII, *Anno XII*, inquit, *Mamilli, Regis Assyriorum, in Thessalia primus regnauit Emon.* Incidit ille annus in numerum Abrahamiticum ccccxxxix. Syncellus et EVsebius haec non agnoscunt. Immo Georgius ille p. CXXVI χρονογρ. Thessalum primum Thessalorum Regem facit, qui est Haemonis Pater; cui praeiuit EVsebius num. CCXXVI. Sed Rhianus apud Schol. Apoll. ad lib. III uers. ∞XXXIX ita γενεαλογεῖ,

Αἱμονίην δ' ἐξαῦτις ἀΦ' Αἵμονος, ὃν ῥα Πελασγὸς
Γείνατο Φέρεσθον υἱὸν, ὁ δ' αὖ τέκε Θεσσαλὸν Αἵμων,
Τῷ δ' ἄπο Θεσσαλίην λαοὶ μετεΦημίξαντο.

NVM. CCCCXLI

In primo Pal. et aliis huc refertur χρῆσις illa, *Hoc tempore Phorbas Rhodum obtinuit.* Sichardi editio eam ad numerum sequentem collocat. Ceterum ab EVsebio abit Diodorus Siculus lib. IV p. CLXXXII, ubi τὰς παλαιὰς Ἕλληνας, ὑπὸ Τριόπα τοῦ Φόρβαντος καταοικισθέντας, τὴν νῆσον Ῥόδον κατοικῆσαι, tradit. At ex illis fabulis ueritatem uelle eruere, quidnam tandem est, quam oleum et operam perdere?

NVM. CCCCXLVII

Periocham de Trochilo primus Pal. ita scribit, *Primus quadrigam Prochilus fertur iunxisse.* Tertius et secundus codd. Trochilum illum uocant *Arogitum*, quartus cum primo *Prochitum*. Sichar-

chardi editio non minus male habet, *Arogilus seu Proclytus*, etsi etiam in Tertulliano *Acrochilum* olim lectum sit. Ineptissime Gobelinus Persona aet. III cap. VII, *Eodem tempore Catillas quadrigam iunxisse fertur.* Vide quae de loci huius emendatione attulit Scaliger. Porro hunc ad numerum omnes Pal. referunt uerba illa, *Hoc tempore Xanthus Triopa Lesbon condidit.* Sichardi editio ea ad numerum ccccXLIX ponit. *Xanthus Triopa* est Diodori Ξάνθος ὁ Τριόπα, *Xanthus Triopae filius.*

NVM. CCCCLI

Primus Pal. historiam, huic numero adscriptam, ita legit, *In Creta regnauit Cydon.* Cydonem, a quo urbs Cretae Cydonia, Tegeatae filium et Maerae, uocat Pausanias cap. LIII Arcadicorum, ubi tamen monet, ipsos Cretenses eum Ἀκακαλλίδος, θυγατρὸς Μίνω, καὶ Ἑρμῆ υἱὸν facere. Stephanus, ΚΥΔΩΝΙΑ, πόλις Κρήτης, ἡ πρότερον Ἀπολλωνία, ἀπὸ Κύδωνος τοῦ Ἀπόλλωνος, καὶ Ἀκακαλλίδος τῆς Μίνωος θυγατρός. Scholiasta Apollonii ad lib. IV uers. ∞ ccccxci, Ἀλέξανδρος δὲ ἐν πρώτῳ Κρητικῶν τῇ Ἀκακαλλίδι συνελθεῖν φησι τὸν Ἑρμῆν, καὶ τὸν Ἀπόλλωνα, καὶ ἐκ μὲν Ἀπόλλωνος γενέσθαι Νάξον, ἐκ δ' Ἑρμοῦ Κύδωνα. Stephanus igitur errauit, quum Cydonem non Mercurii, sed Apollinis, filium fuisse, dixit.

NVM. CCCCLX

Pro *multa mira* Pal. primus legit, *multa mirabilia*, alii, *multa miranda.* Deinde ultima in pericopa ita in Pal. primo scribitur, *Et ex Mineruae nomine, quae Graece ATHENA, Athenae nuncupatae. Dicebatur autem Cecrops ipse Diphyes, siue ob longitudinem corporis, siue iccirco, quod, quum esset AEgyptius, utramque linguam sciebat, Graecam et AEgyptiam.* Alii tamen codd. uerba illa *Cecrops ipse* non agnoscunt. Aliter Gobelinus Persona aet. III cap. VII Cosmodromii, *Propter plagas*, inquit, *AEgypti creditur Cecrops egressus AEgypto, et in Graecia condidisse urbem quandam Acten: uel, ut dicit* (lib. XV cap. I Origg.) *Isidorus,*

rus, uocauit eam ex suo nomine Cecropiam, quam Amphitryon (lege, *Amphictyon*) *qui tertius post eum regnauit, ibidem Mineruae consecrauit, et nomen ipsi ciuitati Athenas dedit. Nam Minerua Graecis* Αθήνη *dicitur.* At Scholia Apollonii ad lib. I. uers. CCXIV, μόνην τὴν ἀκρόπολιν τῆν Ατ̃τικῆς Κεκροπίαν καλεῖσθαι τὸ πρότερον, asserunt. Plinius lib. VII cap. LVI, *Oppidum Cecrops*, ait, *a se appellauit Cecropiam, quae nunc est arx Athenis.* Sane etiam Apollodorus, βιβλ. lib. III, τὴν γῆν, πρότερον λεγομένην Ατ̃τ̃ην, ἀπὸ Κέκροπος ὠνομάσθαι Κεκροπίαν, tradit. *Actaeum* praeterea primum, *Cecropem* secundum Regem, Pausanias Attic. cap. II facit, qui, ut puto, Pelasgorum unus fuit, qui ante Cecropidas Athenas tenuere. Scymnus Chius περιηγήσεως uerss. DLIIX, et sequentibus,

Ἑξῆς Αθῆν', ἃς φασιν οἰκητὰς λαβεῖν
Τὸ μὲν Πελαστγὸς πρῶτον, ὃς δὴ κ̣ λόγος
Κραναὸς καλεῖσθαι, μετὰ δὲ ταῦτα Κεκροπίδας,
Κέκροπος δυναστευόντος. – –

Graeca EVsebii apud Cedrenum habentur, et G. Syncellum p. CLIII χρονογρ., ubi e Philochoro ea desumta esse, Syncellus adiecit. Ex eodem fonte Io. Malala λόγῳ δ' χρονογρ. p. LXXXV ait, quod, ὅτι ἦν παμμεγέθης, διὸ κ̣ διφυῆ αὐτὸν ἐκάλεν. Aliam tamen rationem, cur διφυὴς uocitatus fuerit Cecrops, affert idem p. LXXXVI, et sequenti, nec non Suidas in ΚΕΚΡΟΥ. Vide ibi doctas Chilmeadi notas, easque cum Scaligeranis animaduersionibus compone. Illa denique χήσεως Hieronymianae uerba ultima, *Graecam et AEgyptiam*, recte, quum e Glossa sint hominis, qui EVsebium non satis ceperit, omissa esse, plane credet, qui Graeca Syncelli uerba conferet. Ita autem ille, Κέκροψ ὁ διφυὴς τῆς τοτε Ακτῆς, νῦν δὲ Ατ̃τ̃ικῆς, ἐβασίλευσεν ἔτη ν', διὰ μῆκ̣ος σώματος ὅλω καλούμενος, ὡς φησιν ὁ Φιλόχορος, ἢ ὅτι τῶν ΑΙγυπτίων τὰς δύο γλώσσας ἠπίστατο. Geminam AEgyptiorum linguam commemorat, quia geminae apud AEgyptios usurpabantur litterae; ἐπιστολογραφικαὶ uidelicet, seu uulgares, et ἱερογραφικαὶ, seu arcaniores, qualibus scribere solebant οἱ ἱερογραμματεῖς,

qua de re uide Clementem Alexandrin. lib. V στρωμ. p. DLV, et Diodorum Sic. lib. III p. CXLIV, qui tamen ἱερογλυφικὰς etiam addunt, quae non tam litterae erant, quam signa uocum, ut omittam, ἱερογλυφικὰ γράμματα apud Lucianum, uel quisquis auctor est, in Philopatride p. CCCCLXXIV, τοῖς ἱερογραφικοῖς aequipollere.

NVM. CCCCLXIX

Ad hunc numerum priores duo Pall. referunt περικοπὴν illam, *Primus Cecrops*, et reliqua, quae habetur in editis ad num. CCCCLXIV. Posteriores codd. eam ad numerum XII Atticum, qui est CCCCLXXII Abrahamiticus, collocant. Graeca EVsebii συλλογὴ eandem ad numerum CCCCLXII, prior Scaligeri editio ad numer. CCCCLXIII, Sichardina denique ἔκδοσις ad numerum CCCCLXXIII, reiiciunt. De cetero historia ipsa in saluo est. Epiphanius ἐν ἀντιγραφείσῃ πρὸς τὰς περὶ Ακάκιον καὶ Παῦλον, et lib. I aduersus haereses Tom. I cap. VII, et ἐν ἀνακεφαλαιώσει etiam, Μετὰ δὲ Κέκροπα, inquit, χρόνους τὰς περὶ Κρόνον, καὶ Δία, Ρέαν τε, καὶ Ηραν, καὶ τὰς ἀμφὶ αὐτὰς, ἐθεοποιήσαντο. Georgius Cedrenus, ὁ δὲ Κέκροψ πρῶτος ἕβν ἐθαύμασε, καὶ Ζῆνα προσηγόρευσε. Male interpres Xylander, *Is primus bouem admiratus est, et Iouem cognominauit.* Ex EVsebii enim loco dilucide satis apparet, et in Cedreno, et in Syncello p. CLIII, plane, uti emendauit Goarus, legendum esse, βοῦν ἔθυσε, posterioraque uerba uertenda, *et Iouis nomen, inauditum antea, commentus est.*

NVM. CCCCLXXI

Huic numero adscribitur in primo Pal. et Sich. editione, *Curetes et Corybantes*, et cetera. Africanus apud Syncell. p. CL γεγονότε., OI ἀπὸ τῆς Κρητείας, ait, τῆς νῦν Ακαρνανίας, Κρῆτες καὶ Κορύβαντες Κνῶσον ᾤκησαν, οἱ ἐν ὅπλοις ἐυρυθμον κίνησιν ἐυρόντες. Goarus hic pro Κρῆτες reponit Κρῆται. Male, ut puto. Nam legendum potius est Κούρητες. Stephanus ΚΟΥΡΗΣ, ἐξ Ακαρνανίας.

Κρῆτές τ' ἐμαχοντο, καὶ Αἰτωλοί. - -

Extat

Extat tamen apud Strabonem Κρῆτες etiam saepius, eiusque lib. x p. CCCCLXIIX dicitur, ὅτι τότε ὠνόμαζον Κρῆτας νέας ζωνὰς, ἐνόπλιον κίνησιν μετ' ὀρχήσεως ἀποδιδόντας. Goarus Africani locum uertit, *Curetes, alio nomine Corybantes uulgo dicti.* Hieronymus, Curetas a Corybantibus distinguens, *Curetes et Corybantes.* Strabo iterum p. CCCCLXVI, Τοσαύτη δέ ἐστιν, inquit, ἐν τοῖς λόγοις τούτοις ποικιλία, τῶν μὲν τὰς αὐτὰς τοῖς Κρησὶ, τοῖς τὰ περὶ Αἰτωλίαν καὶ Ἀχαΐαν οἰκήσασι, Κορύβαντας, καὶ Καβείρους, καὶ Ἰδαίους Δακτύλους, καὶ Τελχῖνας, ἀποφαινόντων, τῶν δὲ συγγενεῖς ἀλλήλων, καὶ μικρόν τινας αὐτῶν πρὸς ἀλλήλους διαφορὰς διαγελόντων, καὶ ἑξῆς. Sub fine eiusdem periochae tam post. Pall., quam primus etiam, *reperiere* legunt, pro Sichardi *reperere*, et Scaligeri *repperere.* Ceterum illa ῥῆσις, quae ad hunc numerum legitur in editis, *Chaldaei contra Phoenices dimicant*, Graeceque apud Syncell. p. CLIII χρονογρ. extat, ab omnibus Pall. et Sichardi quoque editione ad decimum numerum AEgyptiaci regni, qui est Abrahamiticus CCCCLXXIIX, secus etiam, quam Scaligerana EVsebii collectanea habent, refertur.

NVM. CCCCLXXIII

Etiam haec de Musaeo pericope suo loco mota est, atque tam in primo, quam in aliis Pall. omnibus, et Sichardina editione, ad numerum CCCCLXXX relata est. Porro eadem mire in mss. deprauata extat. Primus Pal. cum Sichardina editione legit, *Museus, Erichthei et nymfae filius, agnoscitur*: Tertius, *Museus EVthaei nymphae filius, noscitur.* Quartus, *Museus, EVctaei et Nymphae filius, nascitur.* In Scaligerana lib. II EVsebiani συλλογῇ etiam est, Μουσικὸς, ὁ Εὐταίου καὶ Νύμφης, ἤκμασε. Sed lib. I tamen p. XXIIX ὁ Εὐκταίου legitur, quomodo etiam apud Syncellum p. CLIII χρονογρ. editum est. Scaliger, nescio unde, *Musicus EVctaei* emendat. Etsi porro norim, Musaei infra quoque numero DCCXLVII mentionem iniici, non tamen uideo, quid impediat, quo minus dicatur, eam aliorum ibi ex sententiis iteratam esse.

Sic ſupra Cretis aetas et ad num. LVI, et ad num. CXXIX, referebatur, geminaque exempla aliquamplura infra occurrent. Legerem ergo potius, *Muſaeus, EVctaei* (uel etiam *EVmolpi*) *et nymphae filius, naſcitur.* Artabanus apud EVſebium προπαρασκ. ΕΥαγγ. lib. IX p. CCLII ed. R. Steph., Τȣ̃τον δὲ τον Παλμανώθην λέγει γεννῆσαι θυγατέρα Μέῤῥιν (quam Θερμȣθίδα uocat Georg. Syncell. p. CXX χρονογραφ. et Ioſeph. lib. II cap. V ἀρχαιολ. Ιȣδ.), ἣν Χενεφρῆτινι κατεγγυῆσαι τῶν ὑπὲρ Μέμφιν τόπων βασιλεύοντι. Πολλȣ̀ς γὰρ τότε τῆς ΑΙγύπτȣ βασιλεύειν. Ταύτην δὲ ϛεῖραν ὑπάρχȣσαν ὑποβαλέσθαι τινὸς τῶν Ιȣδαίων παιδίον, τȣ̃το δὲ Μώϋσον ὀνομάσαι, ὑπὸ δὲ τῶν Ελλήνων αὐτὸν ἀνδρωθέντα ΜΟΥCΑΙΟΝ προςαγορευθῆναι, γενέσθαι δὲ τὸν Μώϋσον τȣ̃τον Ορφέως διδάσκαλον, καὶ ἑξῆς. Eadem, paucis immutatis, habes in Chronico Paſchali p. CXLIIX ex eodem Artabano. Nihil ſane magis ad praeſentem EVſebii locum explicandum facere poſſe uidetur, quam Artabani illa χρῆσις, qui Muſaeum eundem cum Moſe eſſe aſſerit, adeoque, hoc tempore uixiſſe, credit. Sane Muſici uel Μȣσικȣ̃ nomen ne quidem ullum τύπον ὀνόματος κυρίȣ habet, prorſusque corruptum eſſe, e conſtanti mſſ. lectione *Muſeus*, facile agnoſcitur. Ergo EVſebius ex ſe ipſo optime explicari poteſt, ſubſumique, eum hic in Chronico quoque ex Artabani ſententia *Muſaeum* ad haec tempora reiicere, quem ad num. CCCXLVII ex aliorum Chronologorum fide infra ponet. Tamen, ut uerum fatear, aut confudit EVſebius natales Muſaei, qui eſt Moſes, cum illis Graeci Muſaei EVmolpidae, aut ſcripſit potius e neſcio cuius auctoris fide, *Muſaeus, Iudaei e nympha filius, naſcitur.* Iam Artabanus τῶν Ιȣδαίων τινὸς παιδίον eum dixit. At nymphae filium ideo Moſen, ut opinor, eſſe crediderunt, quia, e fluuio retractus, Nympham, ſymfarum patronam, matrem potius, quam hominem, habuiſſe uidebatur.

NVM. CCCCLXXVI

Pericopa de Deucalione in uetuſtiſſimo Palatino ad numerum

merum XXII regni Athenienſium, qui eſt Abrahamiticus CCCCLXXXII, nec non et in reliquis Palatinis, refertur. Sichardinus codex numero CCCCLXXXI eam apponit. Adde huc, quae de Deucalione ad illuſtrandum Malalam in προπαρασκευῇ noſtra diſſeruimus.

NVM. CCCCLXXXI

Vetuſtiſſimus Pal. primus, nec aliter reliqui PPP., legunt, *Io Inachi filiae*. Antiquarius tamen, cuius ſuperius mentionem fecimus, ad primum codicem annotat, *In nouo codice legitur* Iaſi. EVſebius quoque in συλλογῇ Scaligerana, Ἰοῖ τῇ θυγατρὶ Ἰνάχου. Ea Ouidio in metamorphoſi ideo *Inachis* uocatur. Supra EVſebius num. CCCCXXXI Io filiam fecerat Promethei, non ſane, ut uoluit Scaliger, per incogitantiam, aut errore calami; ſed quia idem fecerat Iſter περὶ τῶν Αἰγυπτίων ἀποικίας, quod e Clemente Alex. lib. I στρωματ. p. CCCXXII patet. Iam, ex aliorum ſententia, hic Io Inachi (non enim uidetur legendum eſſe *Iaſi*) filiam facit, eos uidelicet ſequutus, qui Inachum Moſis aequalem ſtatuunt, qua de re dictum ad num. CLX. Nec aliud ſtatuit Ephorus, qui ἠρπάσθαι, φησὶ, τὴν Ἰὼ ὑπὸ Φοινίκων καὶ διακομισθῆναι εἰς Αἴγυπτον, ἀνθ' ἧς τὸν βασιλέα τῶν Αἰγυπτίων πέμψαι Ἰνάχῳ ταῦρον. Legitur hoc fragmentum in ſcholiis Apollonii ad lib. II uerſ. CXXIIX. Africanus ἐν τρίτῳ λόγῳ, apud Syncell. p. LXIV χρονογρ., ita inquit, Τότε [Ἰνάχου] θυγατηρ Ἰε. [lege, Ἰὼ,] ἣν Ἶσιν μετονομάζουσι σέβουσιν. Adde et ipſum Syncellum p. CXXVI et Io. Malalam p. XXXI χρονογραφ. Nempe, quia Epaphus et Apis iidem ſunt, quod alibi demonſtratum eſt, Io etiam nonniſi unam fuiſſe ſtatuo, licet ſequioris aeui auctores τὴν πρώτην καὶ τὴν δευτέραν Ἰὼ nouerint. Accedit, quod de Io, Iaſi filia, non debuiſſet dicere EVſebius, eam, in AEgyptum profectam, Iſidem eſſe nuncupatam, quum id ipſum de priore Io num. CLX iam pronunciarit. Mox in quibusdam codd. legitur, *quae in bouem, ut dicitur, uerſa Boſporum appellauit*. Reliqua, quae hac in perio-

cha uerba sequuntur, et in primo, et in omnibus aliis libris, desiderantur, nec non in editione Sichardina. In Graeco tamen apud Syncell. χρονογρ. p. CLII κεῖναι.

NVM. CCCCLXXXVI

Plane legendum est, ut in primo Pal. scriptum reperitur, *Quas et Diadas nominant. Hanc urbem EVboici Orchomenum appellauere.* Alias enim, *quae et Diades*, potius fuerit scribendum, quod monuit etiam Scaliger. De iisdem Athenis Syncellus p. CLIII χρονογρ. itidem tradit, Κέκροψ Αθήνας, τὰς καὶ Διάδας, ἐν ΕΥβοίᾳ ἔκτισεν. ΕΥβοιεῖς δὲ ταύτην ὡρχόμενον (Ορχομενὸν legendum est, etsi nihil moneat Goarus) μετωνόμασαν. Straboni lib. x p. CCCCXLVI Αθῆναι αἱ Διάδες κτίσμα Αθηναίων itidem uocantur. Iacobus Goarus, p. XLIV notarum ad Syncellum, Scaligerum reprehendit, quod non addiderit testem placiti sui, quo uidelicet, Diantem potius, Abantis filium, quam Cecropem, hasce Athenas condidisse, probet. Vt igitur Scaliger uindicetur, sciendum est, Ephorum esse sententiae Scaligeranae auctorem. Ille enim ἐν τρίτῃ apud Stephanum in ΑΘΗΝΑΙ inquit, ὅτι Αθῆναι αἱ ΕΥβοίας Διάντος κτίσμα. Αβαντος δὲ γίγνονται παῖδες, Αλκων, καὶ Δίας, καὶ Αρέθουσα, ὧν ὁ μὲν Δίας, κτίσας πόλιν, ἔτως ἀπὸ τῆς πατρίδος ὠνόμασε. τὰς δὲ Αθήνας ταύτας λέγουσι καὶ Διάδας. Omnino Goarus Scaligerum non cepit, qui et ipse non a Diante, sed a Dio potius, Diadas illas Athenas dictas esse censet, quicquid contradixerit ad Byzantinum Stephanum Th. de Pinedo. Sane et analogia, quae Διαντίδα, non Διάδας, requirebat, Ephori etymo contradicit, et extensio inprimis primae Syllabae. Respondet tamen ad prius Pinedo, a nominandi casu deducendas esse Διάδας. Si usquam, hic uerum esse puto, ἐ τῶν ἔπος πρὸς ἔπος πολλάκις λέγεσθαι. Quaeso enim te, o bone, quisnam ita Graecorum ἐτυμολογήσειεν ἄν; Quisnam a Δίας, αντος, unquam, Graece gnarus, Διὰς, άδος, et πληθυντικὸν, Διάδες, formarit? Et cur non ἑνικῶς ea Διὰς diceretur? Sed omnino illudit nobis Pinedo. Vt enim

enim Αβαντὶς χώρα dicitur apud Pausaniam Eliac. I c. XXII ab Abante; ita Διαντὶς πόλις dici deberet a Diante. Interim an Διαδεῖς, quod opinatur Scaliger, ciues huius urbis dicti sint, non sane adhucdum plane liquere puto. Numus enim Domitiani, quem uir illustris producit, nihil probare, κατ' ἀπόδειξιν, uidetur. Nam possunt etiam ciues Diadis, urbis Lyciae, intelligi. Stephanus, ΔΙΑΣ, πόλις Λυκίας, ἣν Διάδης ἔκτισε. Τὸ ἐθνικὸν Διαδεύς. Porro Abrahamus Berkelius ad Stephanum p. XIV Graeca EVsebii ita constituit, Κέκροψ Αθήνας, Δίας καὶ Διάδας, ἐν ΕΥβοίᾳ ἔκτισεν. Illa tamen emendatio uel ideo non placet, quod Hieronymi uersioni et Syncello contradicit, ut ea, quae iam numero CCCCLXI de Athenarum Atticarum conditu monita sunt, hic repetenda minime ducam.

NVM. CCCC XXCIIX

Cenchrem hunc AEgyptiorum Regem postremus Pal. uocat *Chenerem*, Sichardina editio *Chencrem*, EVsebiana συλλογὴ Χεγχρεῆν, Artabanus apud EVsebium l. d. ΧενεΦρῆν. Sub eo etiam Artabanus exodum Israeliticam contigisse affirmauit: Vnde patet, mendacium esse Georgii Syncelli; quum pp. LXXII et CXXI χρονογρ., affirmat, ὅτι μόνῳ ΕΥσεβίῳ ἐπὶ Κεγχρέως λέγει τὴν τῶν Ισραὴλ διὰ Μωσέως ἔξοδον. Praeterea omnes PPPP. legunt, *anno XXI.* Nec aliter est in Graeco. Post ea uero uerba, sequentia adhuc in primo et quarto Pall. adiiciuntur, *Iste est Pharao Chenchres, qui contradixit per Moysem DEO, atque rubro mari obrutus est: Post quem regnauit AEgyptiis Acherres Pharao; Nam Pharao est cognomen dignitatis.* Haec Hieronymi quidem esse uix negauerim, quamuis fortasse e Graeco EVsebio non sint. Sane ὁ Φαραὼν κατ' ΑΙγυπτίους βασιλέα σημαίνει, ut multis docet Iosephus lib. VIII cap. II ἀρχαιολ. Ιουδ. p. CCLXIX. Cedrenus, Ανέστη δὲ μετ' αὐτὸν βασιλεὺς ἐν ΑΙγύπτῳ Φαραώ, ὁ καὶ Νεχαὼ καλούμενος, κρατήσας ἔτη, ὥς Φασι, πεντήκοντα. Ἐκ τούτου οἱ ἀπὸ τοῦ γένους αὐτοῦ καταγόμενοι βασιλεῖς, Φαραὼ προσηγορεύοντο. Adde Suidam in ΦΑΡΑΩ, et Ce-

et, Cedreni oraculum, Io. Malalam, p. XXX χρονογραφ., nec non Chronicum Pasch. p. CXLIX. ed. Rad.

NVM. CCCCXC

Hanc periocham claudunt in omnibus Pall. uerba, *quod sub Phaethonte factum est.* Neque aliter habent et Sichardina editio, et Gobelinus Persona sub finem cap. VII aet. III Cosmodromii. At quae sequuntur in eadem, ad numerum ccccxcvi collocata, ita in iisdem codd. scribuntur, *In AEthiopia multae pestilentiae locales, ut Plato memorat, fuerunt.* Sichardina tamen editio ea uerba ad numerum ccccxcv posuit. Fauet huic lectioni, quod nemo unquam prodidit, ἐμπρησμὸν τοτὲ Phaethonteum in AEthiopia accidisse. Deinde Paulus Orosius consentit, qui eodem modo, recitatis iis, quae de diluuio agunt, pergit, *Tunc etiam in AEthiopia pestes plurimas, dirosque morbos, pene usque ad desolationem exaestuasse, Plato testis est.* At in Platonis codd. nihil hodie de AEthiopia, nihil etiam de pestilentiis illis, legitur. EVsebiana sylloge p. XXVII lib. I, et Syncellus χρονογρ. p. CLVII, Κατὰ τοῦτον τὸν Κραναὸν ὁ ἐπὶ Δευκαλίωνι κατακλυσμὸς ἐν Θεσσαλίᾳ, καὶ ὁ ἐπὶ Φαέθοντι ἐμπρησμὸς ἐν Αἰθιοπίᾳ, πολλαὶ δὲ καὶ ἄλλαι γεγόνασιν Ἕλλησι τοπικαὶ φθοραί, ὡς Πλάτων ἐν Τιμαίῳ. Vltima uerba Goarus minus accurate uertit, *Plures etiamnum clades et strages per uaria loca grassatae sunt*, ut ex Hieronymi uersione liquere reor.

NVM. CCCCXCIIX

Sextus decimus Assyriorum Rex *Astacadis* a uetustissimo Palatino non minus, quam a reliquis *Ascadis* uocatur. Eadem ferme scriptura idem Rex *Ascades* a Iornande dicitur. In aliis quibusdam libris μεταθετικῶς *Ascatadis* inuenitur. Rectissime apud Gobelinum Personam Cosmodr. aet. III cap. IIX *Ascatades* legitur, quomodo Ασκατάδης habetur apud Syncellum p. CXLVII. Praeterea in quibusdam codicibus scribitur, *ann. XLI.* Ceterum uox *Desanaus* inprimis ualde diuerso modo in mss. codd. legi-

legitur. Priori enim uice quum occurrit, in Sichardina editione eſt *Deſinas*, in primo Pal. *Deſimaus*, in ſecundo et tertio *Deſinaus*, in quarto *Deſonaas*. Alii codd. habent *Deſonaus*, quomodo in ueteri fuiſſe libro ad primum Pal. annotauit antiquarius ὁ ἦνα. Idem ibidem annotat pro *Elienſibus* in ueteri codice fuiſſe *Deliis*. Vide, quae dicta de hac re ad p. XIV praecedentis libri fuere. Tertius Pal. *Elyenſibus* exhibet. In Syncelli χρονογρ. p. CLIII ἐν τῷ κειμένῳ quidem eſt Ιλίων, ad marginem uero annotatur, legi etiam Ηλιαίων. Ηλιᾶοι illi qui ſint, mihi ſane non liquet. Nam alios quidem Ηλείους eſſe, noui. Mox idem ille antiquarius, quum poſteriori uice occurrit uox *Deſanaus*, in ueteri codice fuiſſe annotauit *Deſanoas*. Tres tamen priores PPP. ibi *Detanaus* legunt, quartus, ut ſupra, *Deſonaas*, Sichardus *Deſinaus*. EVſebius, ſi ſyllogae Scaligeranae fidendum, Διωδᾶν, uel, ut Salmaſius uult, Διωνᾶν, nuncupauit. Syncellus p. CLIII Chronogr., Ηρακλέα τινὲς, inquit, ἐν Φοινίκῃ φασὶ γνωρίζεσθαι ΔΙΒΔΑΝ ἐπιλεγόμενον. Cedrenus de eodem, niſi ſcriptura uitioſa, ait, Εν δὲ τοῖς μετὰ ταῦτα χρόνοις, ἐπὶ τῆς βασιλείας Φοινικῶν, ἦν Ηρακλῆς ὁ φιλόσοφος, ὁ λεγόμενος TYPIOC. Alii in Graeco emendant Βοδοίναν, quo inclinat etiam Goarus p. XLIV notarum ad Syncellum. Equidem, quia hiſtoria hactenus incomperta eſt, nullisque aliis ueteribus ſcriptoribus legitur prodita, ſatisfacturas eruditis coniecturas tantum non deſpero.

NVM. CCCCXCVI

Vetus codex, ut notat antiquarius iam laudatus ad primum Palatinum, *Arius pagus* legit. Sic etiam in Graecis EVſebii collectaneis, ſed ad numerum DI, Ἀρειος πάγος habetur. Prior Scaligeri editio hanc pericopam numero D adiicit, nec monet, diuerſum ſe quid in Pall. exemplaribus uidiſſe Salmaſius, quum tamen Sichardi editio eam ad numerum DIX demum collocauerit. Syncellus p. CLIII χρονογρ. eadem his uerbis refert, Ἀρειος πάγος ἐκλήθη, ἢ δικαστήριον κατέστη. Ego mallem, inuerſo or-

dine legi, Δικαστήριον καλέσῃ, ἢ Ἀρείου πάγου ἐκλήθη. Hesychius, ΑΡΕΙΟΣ ΠΑΓΟΣ, τὸ ἐν Ἀθήναις δικαστήριον ἐν τῇ ἀκροπόλει. Adde Suidam eadem in uoce, Plinium lib. VII cap. LVI, Pausaniam in Atticis, Stephanum, apud quem recte legitur, Ἀρείου πάγου, ἀκροτήριον Ἀθήνησιν, ut Scaliger ad hunc EVsebii locum docuit, etsi sugillet eam scripturam Thom. de Pinedo, aliosque de Areopago multos. Cui enim hic Hylas non dictus? Ab EVsebio abeunt alii, qui Solonis demum tempore Areopagitarum concilium constitutum esse affirmant, ut adeo, si Solon ad numerum ∞ CCCCXXII iuxta EVsebianum calculum sit referendus, DCCCC, et amplius, annorum πρεσχρονισμὸς committatur. Plutarchus eam in rem in Solone p. LXXXIIX tom. I oo. ita scribit, Οἱ μὲν ἓν πλεῖστοι, τὴν Ἀρείᾳ πάγῳ βουλήν, ὥσπερ εἴρηται, Σόλωνα συστήσασθαι, φασὶ, καὶ μαρτυρεῖν αὐτοῖς μάλιστα δοκεῖ τὸ μηδαμοῦ τὸν Δράκοντα λέγειν, μηδ' ὅλως μάζειν, Ἀρειοπαγίτας, ἀλλὰ τοῖς Ἐφέταις ἀεὶ διαλέγεσθαι περὶ τῶν φονικῶν.

NVM. DIII

Acherres annis VIII, quod in editis omnibus legitur ad numerum DV, in primo Palatino, et reliquis, ad hunc numerum positum est. Ceterum antiquarius in primo codice ita suprascripsit periochae, *Moyses in Sina monte diuino fruitur aspectu*, ad hunc numerum allatae, *In codice nouo infrascripta historia ponitur inferius ad Moysis numerum* II, *in antiquo uero codice ponitur, ut hic.* Quod sane uerum est. Nam in tribus reliquis PPP., et Sichardina quoque editione, ad eum numerum, qui est Abrahamiticus DVII, hoc gestum refertur. Quodsi posteriorem lectionem admittendam censeamus, quae tamen a Graeca etiam sylloge discrepat, Moysem in Sina diuino iterata uice aspectu eo anno usum esse, intelligamus, necesse est, quum uidelicet decalogus, Israelitis a Deo datus, ipsis eius ministerio esset offerendus. Sed, ut dixi, altera lectio uerior. Nam Chronicum quoque Paschale p. CL ed. Rad. ante annum υλ΄ τῆς ἐπαγγελίας, Μωϋσῆς

σῆς θεοφανείας inquit, ἐπὶ τῆ Σιναίᾳ ὄρους ἠξιώθη: quae, si numero DVII adiungenda esset, post illum CCCCXXX annum repromissionis omnino contigisset.

NVM. DV

Vltimam ad hunc numerum periocham primus Pal. ita legit, *Israelis egressus ex AEgypto et Hebraeorum. Moyses octagesimum agens annum*, et cetera. In collectaneis EVsebii Scaligeranis habetur, Πορεία τῶ Ισραὴλ διὰ Μωσέως ἐγένετο. Inepte, et contra omnium, etiam profanorum, historicorum fidem Diodorus lib. XXXIV βιβλ. apud Photium cod. CXLV p. ∞ CL tradidit, Τὰς προγόνους τῶν Ιουδαίων, ὡς ἀσεβεῖς καὶ μισουμένους ὑπὸ τῶ Θεῶ, ἐξ ἁπάσης τῆς Αἰγύπτου πεφυγαδευμένους, ὑπερορίους ἐκβεβλῆσθαι.

NVM. DX

Ad hunc numerum primus Pal. et Sichardina editio reuocant periochen, *Vitis inuenta a Dionysio, sed non Semelae filio:* quae in Scaligerana ἔκδοσει ad annum Abrahami DV habetur. In reliquis scriptis libris ad numerum XLVII regni Athenienſis, qui est Abrahamiticus DVII, adscribitur. In Graecis lib. II EVsebiani collectaneis dicitur, Οτι ἀμπελουργία ὑπὸ Διονύσου ἐγνωρίσθη τῆ ἐκ Σεμέλης. Ne tamen quid dissimulem, sciat lector, ita Graeca uerba e libri I sylloge, p. XXIIX, et Syncello, p. CLIII χρονογρ., esse corrigenda, legique oportere, οὐχὶ τοῦ ἐκ Σεμέλης. Atqui tamen alii fere omnes e ueteribus Dionysum, Semeles filium, inuentorem ἀμπελουργίας faciunt, ut e Nonno, Cedreno, et Malala p. XLIIX χρονογρ. patet. Interim recte ex hoc loco colligit Gobelinus Persona aet. III cap. XII Cosmodromii, *plures olim fuisse Liberos Patres.* Altera ad hunc numerum ῥῆσις in EVsebio, *Cranaus indigena*, et cetera, in uetustissimo Pal. primo, et aliis tribus PPP., ad numerum DXIII habetur. Alii, e quibus esse uidetur Scymnus Chius, cuius uerba ad numerum CCCCLX produximus, Cranaum Cecrope uetustiorem faciunt.

NVM. DXIII

Periochen, ad hunc numerum positam, de *Aptera*, eodem etiam modo, nisi quod ad numerum sequentem apponat cum Sichardina editione, primus Pal. legit. Secundus et tertius exhibent, *Hoc tempore in Creta regnauit Aregna Apteras.* Quartus *Aregna* in *Arogna* mutat. Mihi fit uerisimile, tres posteriores PPP. ex uno eodemque codice descriptos esse, in quo librarius post uocem *regnauit* ultimam e uoce *Creta* uocalem, et priores duas syllabas uocabuli *regnauit*, ex incuria iterauerat, posteaque, uitium scriptionis animaduertens, ne codex litura aliqua fieret incomtior, quod saepe in mss. factum esse nouimus, indeletas illas litteras *aregna* reliquerat. Sic apud Catullum carm. LXII uers. VI pro uulgato,

Dulcis amor gyro deuocet aerio,

msc. Pal. legit, *Dulcis amor giuocero: Vnde*, inquit Barthius, Aduers. lib. XXXIII cap. XIIX, *etiamnum suspicio haeret, aliquid aliud subesse.* At ego id a librario esse reor liturae metuente. Ex oscitantia nempe παροῶν scribae post primam uocis *giro* syllabam mediae e sequenti uocabulo litterae, isti immistae, conspiciuntur. De Aptera illo satis dixerunt uiri docti in notis ad hunc nostrum auctorem, AVsonium, et Stephanum. Georgius Syncellus p. CLVII χρονογρ. de eodem, Κρήτης ἐβασίλευσεν Ἀπτέρας ιε, καὶ τὴν πόλιν ἔκτισεν. Regio circa hanc urbem Ἀπτεραία Graecis uocatur. Scylax Caryandenus p. XIIX περίπλ., Tom. I Geograph. minorum, Πρὸς Βορέαν δὲ ἄνεμον ὁρᾷ κάλλιστον, καὶ λιμὴν ἐν αὐτῷ ὀλκάς, καὶ Πάν. Πρὸς Βορέαν δὲ ΑΝΤΑ ΠΤΕΡΕΑ ΧΩΡΑ. Vltima uerba corrupta esse quilibet uidet. Is. Vossius legit, Πρὸς Βορέαν δὲ ἄνεμον ἡ Ἀπτεραία χώρα, Meursius Πρὸς Βορέαν δὲ ἀν ἡ Ἀπτεραία χώρα. Atqui πρὸς Βορέαν, ut uides, uix linea interiecta praecesserat. Legendum ergo esse arbitror, Πρὸς Βορέαν δὲ ἄυ Ἀπτεραία χώρα, uel ἡ Πτερᾶ χώρα. Pausanias enim in Phocicis, Ἀπὸ δὲ τούτου δὲ τῆ Πτερᾶ, inquit, καὶ πόλιν Κρητικὴν προσθήκη γράμματος, ΑΠΤΕ-

ΡΑΙΟΥΣ

ΡΑΙΟΥΣ ὠνομάσθαι φασίν. Hesychius, ΑΣΤΕΡΙΗ, ἡ Κρήτη, καὶ ἡ Δῆλος οὕτω ἐκαλεῖτο. An ΑΠΤΕΡΑΙΑ legendum? Nihil tamen mutauerim. A. Berkelius ad Stephanum p. XXXIX reponit, ΑΕΡΙΑ. Cretam enim *Aeriam* esse dictam, ipse Stephanus in ΚΡΗΤΗ, Plinius lib. VI cap. XII H. N., et AGellius N. A. lib. XIV cap. VI, testantur. Quaeritur ergo, an Delus ita etiam uocitata sit? Cyprum *Aeriam* aliquando esse dictam, docuit Th. Ryckius ad Tacitum animaduers. p. CCCXLVII. De Delo nihil tale constat. ΑΣΤΕΡΙΗ ergo in Hesychio recte se habet. Illam namque insulam ΑΣΤΕΡΙΑΝ uocatam esse, conceptis uerbis docet Stephanus in ΔΗΛΟΣ. Cretam autem *Asteriam* et ipsam dictam esse autumo, ab Asterio, Rege Cretae, Diodoro Siculo memorato, indeque Ἀστερουσίαν, ὄρος Κρήτης, apud Stephanum denominatam.

NVM. DXX

Primus Pal. recte legit *Amphictyon:* reliqui tres inemendate *Amphieton* habent. Ceterum cum nulli scriptori Dionysius aliquis, Deucalionis filius, notus sit, plane e sequenti periocha fugitiua post hanc uocem addenda sunt uerba, *Deucalionis filius.* Syncellus ex EVsebio χρονογρ. p. CLVII, Κατὰ Ἀμφικτύωνα (lege, Ἀμφικτύονα) τὸν Δευκαλίωνος υἱὸν, τινές φασι Διόνυσον, εἰς τὴν Ἀττικὴν ἐλθόντα, ξενωθῆναι Σημάχῳ, καὶ τῇ θυγατρὶ αὐτοῦ νεβρίδα δωρήσασθαι. Ἕλεος δ' ἦν ἐκ Σεμέλης οὗτος. EVsebiana haec uerba Hieronymus secundum codd. Pall. scripturam uertit, *Dionysius, uerum non ille Semelae filius, quum in Atticam peruenisset, hospitio receptus a Semacho, filiaeque eius capreae pellem largitus est.* Subscripsit porro huic loco, cuius iam saepius meminimus, antiquarius in primo Palatino, *Suprascripta historia in nouo codice ponitur ad num.* VII *Cranai, superius descripti,* (qui est Abrahamiticus DXVII) *in ueteri uero codice ponitur, ut hic.* Et sane tres PPP. reliqui ad illum numerum positam habebant, Sichardina uero editio ad numerum DXVI referebat. Ad ipsam historiam quod attinet, ita de ea re Stephanus scribit, ΣΗΜΑΧΙΔΑΙ, δῆμος Ἀττικὸς, ἀπὸ Σημάχου, οὗ, καὶ ταῖς θυγατράσιν, ἐπεξενώθη Διόνυσος,

ἀφ' ὧν αἱ ἱερεῖαι (si *sacerdotes* uerti uelis, ut faciunt Stephani interpretes, legendum est ἱέρειαι) αὐτῷ. Ita eum locum emendat Claud. Salmasius. An Semachus ergo, cuius filiae Bacchi sacerdotes fuere, idem fortasse est cum Pegaso illo, de quo Pausanias cap. II Atticorum, ὅτι Πήγασος ὁ Ελευθερεὺς Αθηναίοις Διόνυσον εἰσήγαγε, commemorat?

NVM. DXXIII

Ad hunc numerum infra, ad numerum sequentem scripta, historia in Pal. primo refertur. Antiquarius more suo subscripsit, *Superscripta historia ponitur in nouo codice ad numerum* I *Amphictyonis* (qui est numerus Abrahami DXX, quo refertur etiam in Sichardina editione), *in ueteri posita est, ut hic.* EVsebiana sylloge lib. I p. XXIIX ad Cecropis tempora refert, Τὸ ἐν Δήλῳ ἱερὸν Απόλλωνος Δηλίου ἀπὸ Ερυσίχθονος, υἱοῦ Κέκροπος, ἱδρύνθη. Idem facit Syncellus χρονογρ. p. CLIII, apud quem, quemadmodum apud Cedrenum quoque, in aliquibus codd. Ερύχθονος, et Ερίχθονος, inemendate legitur. Rectius tamen ad Cecropis tempora nihilosecius referri uidetur haec historia. Pausanias cap. II Attic., Υἱὸς δὲ Κέκροπος, inquit, Ερυσίχθων ἦν. Οὗτος δὲ οὐκ ἐβασίλευσεν Αθηναίων, ἀλλά οἱ, τοῦ πατρὸς ζῶντος, τελευτῆσαι συνέβη. Hinc supra etiam ad numerum CCCCXCVII haec periocha legebatur. Ceterum *templum Deli* in *templum Delii* primus Pal. et Sichardina editio mutant. Fortasse potius legendum, *templum Deli Apollinis Delii*, quae lectio Graecis satius responderet. Goarus, Syncelli interpres, uertit *Delium Apollinis Delii fanum*, subobscure. Nam et aliud erat templum Delii, in oppido Boeotiae, ad honorem Delii Apollinis extructum, de quo Stephanus in ΔΗΛΙΟΝ, et Strabo lib. IX, agunt. Erat etiam alterum, priori antiquius, in Delo insula, quae, fide Sophiani, Σύλης hodie uocatur; quanquam Boeoti, teste Plutarcho in Pelopida, a suo Delio Apollinem Delium deriuarint.

NVM.

NVM. DXXV

Recte legit cum Palatinis libris Sichardina editio, *Epaphus, filius Io et Iouis.* Vide, quae diximus ad numerum CCLXXIX. Syncellus χρονογρ. p. CLIIX, Επαφος, Ιοῦς τῆς δευτέρας, καὶ Διὸς υἱὸς, Μέμφιν ἔκτισεν ἐν ΑΙγύπτῳ. Sed sibi non constat. Nam p. CLII Ιὼ τὴν δευτέραν, γημαμένην Τηλεγόνῳ, Επαφον γεννῆσαι, affirmat. At ante p. CXXVI asseruerat, ὅτι ἡ θυγάτηρ Ινάχου Ιὼ (quae sine dubio ἡ πρώτη est) γημαμένη Τηλεγόνῳ, τὸν Επαφον ἐγέννησε. Sane Telegonum hoc tempore uixisse, constat e numero DXI, et Epaphum quoque eius ex Io filium uocat EVsebius numero CCCCLXXXI. Plura de tota re fortasse sciremus, Si EVgamonis, Cyrenaici scriptoris, Τηλεγονία, cuius meminerunt Suidas et EVstathius, ad nostra peruenisset tempora. Ceterum ad numerum DXXIIX Epaphi historia refertur a Palatino primo, et subscripsit ibi, more suo, antiquarius, qui eum codicem recensuit, *Suprascripta historia in codice nouo ponitur ad numerum XI AEgyptiacum* (id est Abrahamiticum DXXIV, quemadmodum habetur quoque in editione Sichardina), *in antiquo codice ponitur, ut hic.*

NVM. DXXIIX

Armais hic in Palatino primo uocatur *Armaeus.* Sichardi editio *Armeus*, habet, quomodo alibi *Baleus*, et *Museus*, inemendate exarata, in ea leguntur. Equidem cum Goaro puto, in EVsebii Scaligeranis collectaneis, tam lib. I p. XXIX, quam lib. II p. CXII, uitiose legi ΑΡΜΑΙC, Τρισυλλάβως, etsi etiam Iosephus, lib. I contra Apionem, p. ∞XLI, prodat, ὅτι μετ' Ακεγχήρεα ἕτερος Αρμαϊς Τέσσαρα ἔτη, καὶ μῆνα ἕνα, ἐβασίλευσε. Georgius enim Syncellus p. CLV χρονογρ. eundem etiam Αρμαῖον uocauit. Africano apud Syncellum p. LXXII Αρμεσῆς nuncupatur, et EVsebio p. LXXIII, Αρμὲς ὁ Δαναός.. Si igitur Αρμαῖος illud displicet, uulgataque lectio uidetur esse melior, in ultimo etiam Syncelli loco Αρμαὶς legendum erit pro deprauato Αρμὲς, quomodo in libris editis etiam

etiam, Ἐφρὲμ pro Ἐφραΐμ non raro inuenitur. Danaum eundem cum Pelasgo esse, reputat Salmasius ad Solinum p. ccccIII ed. Parisinae: quod mihi tamen non persuadet, Si enim Pelasgi ante Cecropem, ut Strabo, aliique, tradunt, Athenas tenuere, annisque ante Danai regnum fere LXX Cecrops Athenas occupauit, non uideo, qua ratione Pelasgus et Danaus unus idem que homo esse potuerint. EVstathius ad Dionysium περιηγ. uers. CCXXXII p. XLIII, ὁμώνυμος δὲ, inquit, ἡ Αἰγυπτος Αἰγύπτῳ, τῷ Βήλῳ, τῷ Δαναΐ ἀδελφῷ. Reliqua de Danao apud mythographos quaerenda sunt.

NVM. DXXIX

Minus correcta est in primo Palatino haec periocha, *Lacedaemon conditur a Lacedaemone Sentelae filio.* Petauius lib. XIII ad annum II Erichthonii hoc gestum refert, hoc est, ad numerum DXXXI. Stephanus, ΛΑΚΕΔΑΙΜΩΝ, πόλις ἐνδοξοτάτη τῶν ἐν Πελοποννήσῳ, ἡ Σπάρτη πρότερον ἀπὸ Σπαρτοῦ, τοῦ Ἀμύκλαντος, τοῦ Λέλεγος, τοῦ Σπαρτοῦ. Λακεδαίμονα δὲ καλοῦσιν ἀπὸ Λακεδαίμονος. EVstathius ad Homeri catalogum, Ἡ μὲν Λακεδαίμων ἀπὸ Λακεδαίμονος ὠνόμασται. At Scholiasta Homeri breuior ibi, Spartam partem tantum urbis Lacedaemonis esse, male reputauit. Pausanias cap. I Laconic. meminit Λακεδαίμονα, μητρὸς μὲν Ταϋγέτης οὖσα, ἐξ Διὸς δὲ παῖδα ἀνήκοντα κατὰ τὴν Φήμην. Συνοικεῖ δὲ ὁ Λακεδαίμων Σπάρτῃ, τῇ Ἐυρώτα θυγατρί. Τότε δὲ, ὡς ἔσχε τὴν ἀρχὴν, πρῶτον μὲν τῇ χώρᾳ καὶ τοῖς ἀνθρώποις μετέθετο ἀφ' αὑτοῦ τὰ ὀνόματα. Μετὰ δὲ τοῦτο ᾠκισέθη, καὶ ὠνόμασεν, ἀπὸ τῆς γυναικὸς πόλιν, ἣ Σπάρτη καλεῖται καὶ ἐς ἡμᾶς. Eadem fere habes apud EVripidis Scholiastam ad Orestem. Quodsi uera sunt, quae ad numerum CCC habentur, Graeca potius uertenda erant, *Lacedaemonia* (regio puta) *urbibus amplificata est a Lacedaemone.* Id sane innuunt etiam Pausaniae uerba. Syncellus p. CLVII χρονογραφίας, et ex eo sylloge EVsebii Scaligerana lib. I p. XXX, Λακεδαιμονία (ὑπολιπτέον, χώρα) ἐκτίσθη ὑπὸ Λακεδαίμονος, τοῦ ἐκ Μεσήνης. Recte additum

ditum est, τῆ ἐκ Μεσσήνης. Nam Μεσσήνιον Εὐρώτας ideo uocatur Dionysio περιηγ. uers. CCCCXI. Διὰ γὰρ Μεσσήνην, inquit ad eum locum p. LXXIIX EVstathius, ἡ παρὰ τοῖς παλαιοῖς διὰ δύο c γράφεται, ὁ Εὐρώτας λέγεται Μεσσήνιον. Vnde apparet, Lacedaemonem, qui EVrotae filiam duxit, Messenium fuisse.

NVM. DXXXI

Additur huic numero in Sichardina editione, *Cath, filius Trismegisti, floruit.* Pro *Cath* legitur *Chat* in primo Palatino, qui etiam eadem uerba ad hunc numerum retulit: Sed *Tat* legendum est e Graecis, ut alibi diximus. Ceterum alii codd. historiam cum editis libris ad numerum DLVI reiiciunt. Porro in primo Palatino, et duobus aliis, ad numerum XX regni Argiuorum, qui est a nato Abrahamo DXXX, legitur, *Argiuorum Stelenus Castoris de principibus Argiuorum.* Puto ergo, in aliquibus codd. olim hic additam fuisse ῥῆσιν, quae habetur infra ad numerum DXLII. Porro Sthenelus in ueteribus libris semper uocatur *Stelenus*, quomodo legit quoque Sichardina editio, uel etiam *Stolenus*. Vide superius dicta ad numerum CCLXI. Pausaniae Corinth. cap. XVI Σθενέλας, Tatiano Σθενέλαον, Syncello, aliisque, Σθένελον, appellatur.

NVM. DXXXII

Pro *Callisto* in primo Palatino et Sichardi editione *Callistonis* recte legitur. Alias enim *Callistus* requireretur. Syncellus ex EVsebio χρονογρ. p. CLVIII, Ἀρκὰς ὁ Καλλιστῦς καὶ Διὸς υἱὸς, καὶ ἑξῆς. Idem scholiasta Callimachi ad hymni εἰς Δία u. XLI docet. Scholia Theocriti ad Idyllii I uers. III, Ἐπιμενίδης δὲ, aiunt, ἐν τοῖς ποιήμασιν αὐτῦ, Διὸς καὶ Καλλιστῦς Πᾶνα καὶ Ἀρκάδα γενεαλογεῖ διδύμους. Pausanias Patris non meminit, sed cap. IV Arcad. Ἀρκάδα τὸν Καλλιστῦς, ut EVsebius quoque, nominauit. EVstathius ad Dionys. περιηγ. p. LXXIX, Ἰστέον δὲ, inquit, ὅτι Ἀρκαδία ἀπὸ Ἀρκάδος ὠνόμασται, υἱῦ Διὸς καὶ Θεμιστῦς. Eadem habet, ad Iliadis B, et ante eum

Stephanus in uoce ΑΡΚΑΣ. Vide tamen, ut istum locum ad Stephanum p. CLXIII constituat A. Berkelius. Etiam de patre Arcadis res est dubia. Aristoteles enim, ut est apud Apollonii Scholiastas ad lib. IV uers. CCLXIV, Ἀρκάδα Ὀρχομενῷ υἱὸν καλεῖ. At Io. Tzetzae quoque ad Hesiodi lib. II ἔργ. καὶ ἡμερ. uers. CLXXXIV memoratur, Ἀρκάδα τὸν υἱὸν λέγεσθαι Καλλιστοῦς, τῆς Λυκάονος θυγατρὸς, καὶ Διός. Videtur ergo κατὰ δόκησιν μὲν fuisse filius Iouis, τῷ ὄντι δὲ Orchomeni.

NVM. DXXXIII

Remeses hic *Rameſſes* uocatur in primo Palatino, quomodo etiam in obelisco apud Ammianum Marcellinum lib. XVII cap. IV Ραμέσης extat: Et notat ad codicem Palatinum istum antiquarius, ita etiam in ueteri libro fuisse lectum, in nouo uero *Reoneſes*. Ceteri PPP. et Sichardina editio *Remeſſes* legunt. Ἀμμεσῆς ex EVsebio uocatur Syncello χρονογρ. p. LXXIII. Idem ex Africano eum Ραμεσσῆν nuncupat pp. LXXII, et CLV, et CLX, prout legitur etiam in Iosepho: qui lib. I contra Apionem p. ∞XLI de hoc rege ita, Τῶ δὲ Σέθωσις καὶ Ραμέσσης, ἱππικὴν καὶ ναυτικὴν ἔχον δύναμιν. Lege, Τῶ δὲ Σέθωσις, ὃς καὶ Ραμέσσης. Infra enim Iosephus ait, Λέγει γὰρ, ὅτι ὁ μὲν Σέθωσις ἐκαλεῖτο Αἰγυπτίων, Ἀρμαϊς δὲ, ὁ ἀδελφὸς αὐτῷ, Δαναός. At Iosephus tamen hunc Rameſſem praeterea confundere uidetur cum illo, qui paullo ante praeceſſerat, et, e uulgata quidem Iosephi scriptura, Ἀρμέσσης Μιαμοῦν uocatur, atque, ἔτη ξς' καὶ μῆνας β' regnasse, traditur: quum hunc Rameſſem EVsebius et Syncellus per LXVIX annos imperitasse uelint. Charax, apud Stephanum in ΑΙΓΥΠΤΟΣ, annos imperii XLIII ei attribuit. Βήλεσταῖς et Pausaniae Achaic. cap. XXI, et EVstathio, quod notatum est supra, fuisse statuitur. Neque hoc praetereundum est, Th. Ryckium in aliquot codd. EVsebianis *Rameſſes* inueniſſe, uti patet ex eius ad Tacitum animadu. p. LI. Pro *AEgyptus* antiquarius ad primum Palatinum annotauit, in nouo codice *AEgyptius* legi: atque ita est in Sichardina

dina editione. Immo in ipso Syncello p. CLX χρονογρ. legitur, Ραμεσσῆς, ὁ καὶ Αἰγύπτιος. Etiam hoc obiter addo, humani aliquid pati Berkelium, ad Stephanum notis, p. LIV, quando ait, ita, ut ipse quidem affert locum EVsebianum e Seldeno, eum ab ipso Seldeno esse emendatum. Nam capitulum illud Seldenus non depromserat, ut reputabat Berkelius, e libro EVsebii posteriore, sed e priore, p. XXIX sylloges Scaligeranae, ubi iisdem uerbis habetur, quemadmodum etiam apud Syncell. χρονογρ. p. CLV. Porro periocha illa, *AEgyptus, quae prius Aeria dicebatur*, et cetera, in ueteri primo Palatino habetur ad numerum DXXXVI, ad quem collocatur etiam in Sichardina editione. In eodem quoque codice legitur, *ab AEgypto sibi regnante*; unde Salmasius coniecit, forte legendum esse, *ibi regnante*. Sichardina ἔνδοσις scribit, *tunc ibi regnante*.

NVM. DXXXIIX

Haec perioche, *Dardanus condidit Dardaniam*, ad numerum sequentem DXXXIX in Palatino primo & Sichardina editione legitur. Erat Dardanus ille e Samothracia oriundus: unde et *Dardania* olim Samothrace est dicta, notante Pausania Achaic. cap. IIII, et EVstathio ad Dionys. περιηγ. uers. DXXIIII p. CIIII. Hoc loco uero *Dardania* dicitur *Ilium*. Vide, praeter alios, Stephanum in ΔΑΡΔΑΝΙΑ.

NVM. DXL

Adduntur huic numero in primo Pal. et Sichardina editione, *Orithyia, Erechthei filia, a Borea Thrace rapitur*. In Scaligerana editione rectius ea habentur ad numerum DCXIX. Sub Erechthei imperium reiiciuntur a Syncello, qui ita p. CLXI χρονογρ. pergit, Ερεχθέως τούτῳ θυγατέρα Βορέας, υἱὸς Αστραίου, Θρᾴξ, ἥρπασεν Ὠρείθυιαν. ὁ δὲ μῦθος τὸν ἄνεμον, ὡς Φιλόχορος ἐν τῷ δευτέρῳ φησίν. Ὠρείθυιαν hoc in loco scribendum est, et post ultima uerba deesse aliquid ad sensum complendum uidetur. Meminit huius raptus praeterea

Pauſanias Attic. cap. XIX, et Eliac. prior. cap. XIX. De Orithyia Sophocles refert, ὡς ἀφαρπαγεῖσα ὑπὸ Βορέου κομισθείη

ὑπέρ τε πόντον πάντ', ἐπί τ' ἔσχατα χθονὸς,
νυκτὸς δὲ πηγὰς, οὐρανοῦ τ' ἀναπτυχὰς,
Φοίβου τε παλαιὸν κῆπον, - -

ut refert ea uerba Strabo lib. VII γεωγραφ. p. CCXCV, ubi etiam Ωρίθυια uocatur. Aliis ea eſt Ωρείθυια. Vide Apollonii Argon. lib. I uerſ. CCXII, ibique uetuſta ſcholia, et Dionyſium περιηγ. uerſ. CCCCXXIII, ibique EVſtathium. Quod ſi uera ſunt, quae in ſcholiis Apollonii dicuntur, Phinea nempe in matrimonium duxiſſe primam uxorem Cleopatram, Orithyiae filiam, et poſt eam Idaeam, Dardani: poterit ſane ab EVſebio haec periocha ex quorundam ſententia recte uideri ad haec tempora eſſe relata, quum Dardani aetas proxime praeceſſerit.

NVM. DXLII

Ad hunc numerum pericopa, quae alias ad numerum DCXI adiicitur, in primo Palatino et Sich. ed. relata legitur, *Triptolemus longa naui Eleuſin ueniens ſibi* (lege *ibi*, ut edidit Sichardus) *frumenta diſtribuit*. Vide de ea re Pauſaniam in Atticis cap. XIV. Vox *Eleuſin* in *Eleuſine* uidetur mutanda. Inde enim eum Philochorus προσβαλόντα ταῖς πόλεσι τὸν σῖτον διδόναι aſſeruit, obſeruante ex EVſebio Georgio Syncello χρονογρ. p. CLIIX. Ea porro lectio ſi recipitur, uox etiam *ibi* delenda erit. Alii ſub Erechtheo II frumenti ſationem a Triptolemo repertam eſſe, cum Iuſtino lib. II cap. XVI uolunt. Adde Meurſium de regno Attico lib. II capp. III et VII. Mox *Gelanorem* in *Gelenorem* mutat Sichardina editio. Antiquarius ille, cuius ſaepius meminimus, ad primum Palatinum notat, quod *Gelanus* (fortaſſe legendum *Gelanorus* familiari Hieronymo metaplaſmo) uocetur in ueteri codice, in nouo uero *Gelanor*. Et ſane Gelanor, Γελάνωρ, eſt etiam in EVſebio, Syncello p. CLII χρονογραφίας, Pauſania, capp. XVI et XIX,

XIX, Apollodoro, aliis. Deinde primus Palatinus et Sichardi editio legunt, *de imperio pepulissent.* In primo tamen Palatino male legitur, *Dardano tradiderunt.* De Danao, quod Argos aquis ditauerit, legendus est Strabo lib. I p. XXIII, et lib. IIX p. CCCLXXI. Sequens perioche, *Danaus per filias L*, et cetera, in primo Palatino et Sichardino exemplari ad numerum DXLIII legitur. Subscripsit ibi, ut solet, ad primum Palatinum antiquarius, *Suprascripta historia in codice nouo ponitur in sequenti charta ad numerum XVIII Erichthonii* (qui est Abrahamiticus DXLVII), *in antiquo uero, ut hic.* In Graecis haec cum praecedentibus sunt coniuncta, etiam apud Syncellum χρονογρ. p. CLII Post uerba Castoris, *imperium susceperunt*, adduntur in primo Palatino sequentia, *primo regnante Atreo*: quod rectum est. Nam Graecus textus ea etiam uerba agnoscit, ut liquet tam ex Scaligeranis EVsebii collectaneis, lib. I p. XXIX, quam e Syncelli χρονογραφία, p. CLV, ubi tamen uerba illa, Μεθ' ὃν οἱ Πελοπίδαι, ἀπὸ Πέλοπος παραλαβόντες ἀρχήν, non uertenda sunt cum Goaro, *quibus Pelopidae, potestate a Pelope transmissa, successerunt*; Sed potius, *quos Pelopidae, paternum Pelopis regnum recuperantes, exceperunt.*

NVM. DXLIII

Huic numero in primo Pal. adiicitur Τὸ κεφάλαιον, *Proserpinam rapuit Orchus, Rex Molossorum.* Sichardina editio eandem ad numerum DXLIIX collocat, scribitque *Orcus.* Equidem malim *Orchus* retinere. Aspiratio enim uenustatis gratia interposita est, ut in *pulcher, gryphes, trophaeum, Riphaei montes, Bosphorus*, et similibus multis, quae hodie male mutantur, ut iam olim monuit Turnebus lib. XXIIX cap. XL Aduersariorum. Plerunque sane *Orchus*, non *Orcus*, in uetustis codd. legi, annotauit etiam G. Fabricius ad Terentii Hecyram, Act. IIII, sc. IIII, uers. XII, et *Orchius thesaurus* in Naeuii Poëta epitaphio apud

AGellium lib. I cap. XXVI N. A. habetur. Adde Scaligerum P. cap. XXII de cauſſis L. L.‖ *Orcus* aliquis memoratur Silio lib. XIII

Armenti quondam cuſtos immanis Iberi.

In Graecis Αἰδωνεὺς Orcus ille uocatur. Vide fabulam apud Dionyſii Periegetae ſcholiaſtam, ad uers. CCCCXXIII p. LXXXI, et Syncellum p. CLIIX χρονογραφίας, ubi tamen Goarus in uerſione male uocat *Aedoneum*, qui dicendus erat *Aidoneus*, uel *Orchus*. Αἴδης uocatur idem Malalae λόγῳ γ΄ χρονογρ. p. LXXXIIII, et Cedreno, unde Tzetzes chil. II hiſt. LII ΑΙΔΗΝ eum διασυλλαβῶς appellauit.

NVM. DXLV

Vtraque Scaligeri editio hic legit, *terram Philiſtinorum*, ut mſſ. codd. habent, pro uulgato in editione Sichardina, *terram Palaeſtinorum*. EVſebius etiam Τὴν Παλαιστίνην γῆν habet, non, Τὴν Φιλισταίων. Et ſane tamen unum idemque eſt, quocunque modo ſcribas. Ioſephus lib. I ἀρχαιολ. ιβδ. cap. VII, Μόνῃ γὰρ Φιλιστίνῃ τὴν ἐπωνυμίαν ἡ χώρα διεφύλαξε. Παλαιστίνην γὰρ οἱ Ἕλληνες αὐτῆς τὴν μοῖραν ἐκάλεσαν.

NVM. DXLVI

Huc refertur in primo Pal. hiſtoria, quae alias ad numerum DXLIII legitur. Eam Sichardi editio ad numerum DXLIX collocat. Gobelinus Perſona Coſmodr. aet. III cap. XI *Erichthonium Vulcani et Mineruae facit filium, cauſamque inuentae quadrigae affert, quod habuerit pedes draconis, ideoque propter turpitudinem pedum inuenerit uſum curruum:* quae mythologorum ἀποκρύμματα olent. Pauſanias Attic. cap. II parentes eius Ἥφαιστον καὶ Γῆν conſtituit, recenſque natum, a Minerua ciſtae incluſum, et Aglauro, Herſae, ac Pandroſo, commiſſum eſſe, affirmat Adde Meurſium libro et cap. II de regno Attico. Porro periocha de Buſiride in codice Pal. primo infra ad numerum DLI aſcripta legitur. Antiquarius ibi more ſuo ſubſcri-

scripsit, *Supra scripta historia in nouo codice ponitur supra ad numerum XIX regni AEgyptiaci* (qui est EVsebianus DVII), *in ueteri ponitur, ut hic, ad annum XXII AEgyptiacum.* Apud Syncellum p. CLII χρονογρ. ante Danai tempora haec historia contigisse refertur. Ibidem Βάσειρις scribendem est, non Βάσιρις. At Strabo lib. XVII γεωγρ. p. DCCCII, ἐδὲ βασιλέα, ἐδὲ Τύραννον, γενόμενόν ἵνα Βάσειριν, scribit. Libyam, Epaphi filiam, nouit etiam EVstathius ad Dionysii Perieg. uers. CLXXIV p. XXXII, et e Pausaniae Attic. cap. XLIIII constat, Lelegem Neptuni et Libyae filium, adeoque Busiridis fratrem, aut fortasse ipsum Busirim, fuisse.

NVM. LIIII

Lapis hic in primo Palatino uocatur *Lappis*, quemadmodum etiam C. Patinus numum produxit, qui inscribitur ΛΑΠΠΙΘΩΝ. Syncello itidem p. CLIV χρονογρ. ΛΑΠΙC dicitur. Non tamen putantur mihi ab eo deducendi esse Lapithae, Thessalicus populus, quos per duplex P numus Patini male uidetur scribere. Primam enim eius uocis corripit Scymnus Chius, uerss. DCXV et DCXVI περιηγήσεως,

Τά τ' Αἰνιάνων, ὅιτινες τῶν Αἰμόνων
Δοκοῦσι, Λαπιθῶν, Μυρμιδόνων τε, γεγονέναι.

Illos Lapithas scholiasta Apollonii, ad lib. I uers. XLI, ἀπὸ Λαπίθα, τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ Στίλβης νύμφης, Stephanus uero in ΛΑΠΙΘΗ, ἀπὸ Λαπίθα, τοῦ Περίφαντος, dictos esse autumat. In Scaligerana EVsebii sylloge rectius mihi uidetur legi, Λάπης. Ipse quidem Λάπωνος primam scripturam esse arbitror. Scaliger frustra putat quaeri, quis iste Lapes fuerit? Ego tamen uideor mihi nomen eius in Cretae urbe *Lappa*, Ptolomaeo lib. III cap. XVII et Dioni Cassio lib. XXXVI cap. I memorata, inuenisse. Theophrastus lib. II H. P. τῆς Λαπποαίας etiam meminit, ubi nihil mutandum est. Scylax p. XIX περίπλ. tom. I Geogr. min. Hudsonii, Εἶτα ἡ Λαμπαία καὶ δι-

χῆ διήκει ἄυτη ἀμφοτέρωθεν. Inscriptio antiqua apud Mabillonium p. XXXIII musei Italici,

ΛΑΜΠΑΙΩΝ Η ΠΟΛΙΣ

ΛΑΜΠΗ et ΛΑΠΠΑ eadem urbs est. Stephanus in ΛΑΜΠΗ, Ξενίων δὲ ἐν Κρητικοῖς διὰ δύο λ γράφει τὴν πόλιν, καὶ διὰ δύο αα. Proinde, uti ἀπὸ τῆς Χρύσης Χρύση, uel ἀπὸ τῆς Αλυάττης Αλύαττα, ita etiam ἀπὸ τῆς Λάππης Λάππη est, uel Λάππα, quanquam Stephanus Αγαμέμνονος κτίσμα τὴν Λάμπην sine auctore uocauerit.

NVM. DLXII

Pericopa de Phoenice et Cadmo in editione Sichardina et tribus Palatinis ad numerum XXX Athenienſium, qui est Abrahamiticus DLIX, legitur. Primus tamen Palatinus Scaligerano exemplari consentit, subscribitque ibi antiquarius, *Suprascripta historia in nouo codice ponitur ad annum xxx Athenienſium, in antiquo uero, ut hic.* Idem porro Palatinus codex *Sidona* habet, qua accusatiui terminatione saepius utitur Arbiter.

NVM. DLXVI

Notauit iterum antiquarius ad primum codicem Palatinum, in nouo libro poni hanc historiam ad numerum XXXVI Athenienſium, qui respondet Abrahamitico DLXV. In ipso primo Palatino legitur ad numerum DLXVII, *Templum Delphis magnum a Phlegya incenſum.* Sichardina editio, et sylloge EVsebii fragmentorum Graeca, ἔκδοσιν Scaligeranam sequuntur. Syncellus, p. CLII χρονογρ., ante Danai tempora τὸ ἐν Δελφοῖς ἱερὸν ὑπὸ Φλεγύᾳ ἐμπρησθῆναι, asserit. Meminit huius rei Pausanias Boeot. cap. XXXVI. Adde omnino Virgilii interpretes ad AEneid. lib. VI.

NVM. DLXXII

Quae hic legitur de EVropa periocha in nouo codice, obseruante ad primum Palatinum antiquario, ad numerum DLIX habe-

habetur ad periocham de Asterio adiecta. Syncellus omnia ante Danai tempora reiicit, remque p. CLII χρονογρ. paullo aliis uerbis ita retulit, Κρητῶν ἐβασίλευσεν Ασέριος. ΕΥρώπῃ δὲ τῇ Φοίνικος μυθεύεται Ζεὺς μιγῆναι. Ο δ' ἦν τεθνεὼς, ᾧ ἐν Κρήτῃ μαρτυρεῖ αὐτοῦ τάφος. ΑΥτη δ' ἦν Ασερίου τοῦ Κρητῶν βασιλέως γαμετὴ, καὶ ἑξῆς. Ab Asterio hoc mons Cretae Ασερουσία, ipsaque Creta Asteria dicta est, quod ex Hesychio ad numerum DXIV pluribus docuimus.

NVM. DLXXIX

Historia de Pandione in tribus Palatinis, Sichardi editione, et nouo codice, quem cum primo Palatino comparauit antiquarius uetustus, ad numerum DLXXIII relata est. Syncellus p. CLVII χρονογραφίας, Τοῦτου θυγατέρες Πρόκνη καὶ Φιλομῆλα τοῦ Πανδίωνος. Legendum potius erat, Φιλομήλα τοῦ Πανδίονος. Fabulae, quae de iis narrantur, apud omnes mythologos prostant. Vide et Apollodori biblioth. lib. III, et Cononem apud Phot. cod. CLXXXVI p. CCCCXXXIX, ut alios multos praeteream. Altera ad hunc numerum pericopa, *Rhadamanthus et Sarpedon Reges Lyciorum*, in primo Palatino ad numerum DLXXXIII collocatur. Ibi subscripsit antiquarius more suo, *In nouo codice ponitur haec historia supra ad numerum I Pandionis*: Atque ad eum numerum istam ceteri Palatini et Sichardi editio legit.

NVM. DLXXXII

Belochus hic in uetusto Palatino primo *Belocus* uocatur. Gobelino Personae Cosmodromii aet. III cap. XII, Petauio, et aliis, *Belochus* dicitur. Nam in Scaligeranis etiam EVsebii Graeci excerptis, et apud Syncellum χρονογρ. p. CXLVII Βήλοχος uocatur. Sichardina editio *Belothus* legit, filiamque eius *Actosam* uocat, quam idem primus Palatinus *Attosam* nuncupauit. Et ita in Graeco fuisse EVsebio mihi uidetur. Suidas ΑΤΤΟCΑ, ἡ Κύρου μὲν θυγάτηρ, Δαρείου δὲ γυνή. Sed pro ΑΤΤΟCΑ in ΔΗΜΟΚΗΔΗC tamen est ΑΤΟCCΑ, quae alia a praesente fuit.

NVM. DLXXXVII

Etiam haec de EVropa ῥῆσις ad diuersos annos in diuersis codd. reiicitur. Primus enim Palatinus habet eam ad numerum DLXXXV, ibique annotat antiquarius, ita quoque in ueteri esse libro, at in nouo codice eam haberi ad annum III Pandionis, qui est Abrahamiticus DLXXXII: quod sane uerum est. Neque enim tres reliqui Palatini codd. et editio Sichardina aliter legunt. Vide Syncellum p. CLIIX χρονογραφίας, ubi tamen Ζῆθος in uersione Goari male uocatur *Zethes*. Vide, quae ea de re ad Longinum nuper scripsimus.

NVM. DLXXXIX

Ad hunc numerum natales harum urbium reuocantur etiam in Sichardina editione, et tribus PPP. libris, atque in nouo codice, quem inspexit antiquarius, qui ad primum Palatinum id notauit. Ille tamen cum ueteri scripto aliter eam ordinat. Ceterum Melus Sichardinae editioni non recte uocatur *Mellus*. Namque et apud Syncellum p. CLIIX χρονογρ. Μῆλος habetur. Vide de ea Strabonem lib. X p. CCCCLXXXIV, Stephanum in ΜΗΛΟC, EVstathium ad Dionysium uers. DXXX, Scylacem p. XIX Tom. I Geograph. min., et alios.

NVM. DXCIV

In primo Palatino et ceteris habetur haec historia ad numerum DLXIII. Sichardina editio eam ad numerum praecedentem apponit. Syncellus p. CLIIX χρονογραφίας, Βιθυνία ἐκτίσθη ὑπὸ Φοίνικος ἡ πρὶν Μαριανδυνὴ καλουμένη. Goarus emendat Μαριανδυνὴ per τὸ υ. Sed utrumque dicitur, ut Is. Vossius ad Scylacem p. XLIV ed. Hudsonii annotauit, praetereaque etiam Μαριανδηνή, ut Berkelius ad Stephanus obseruat, rectum est. Hieronymus uertit, *Bithynia condita a Phoenice*. Constat inde et Hieronymi, et Syncelli, iam tempore locum hunc corruptum fuisse, aut ab EVsebio mendose allatum. Legendum enim plane est, ut Salmasius

sius ὁ πάνυ hoc loco diuinauit in Graeco, ὑπὸ Φινέως, in Latino, *a Phineo*, cuius filii *Thynus* et *Bithynus* omnium fere consensu statuuntur. In primo Palatino scribitur *a Phoenite*. Lego, inquit Salmasius, *a Phinide*. Arrianus apud Dionys. περιηγ. uers. DCCXCIII p. CXLV Θυνὸν καὶ Βιθυνόν, ἀδελφὼς ἐπιφανεῖς, κατὰ μὲν ποίησιν (τετέχθαι, ποιητὼς καὶ θεοὺς) παῖδας Φινέως dici. Alias enim Βιθυνὸς ὁ Διὸς uocatur Stephano in BIΘΥΝΙΑ. Aliis ὁ Οδρύσης apud eundem EVstathium dicitur. Totam rem conficiunt scholia Apollonii ad lib. II uers. CLXXVII, ubi ita scribunt, Η ἐπὶ τῆς Ευρώπης Βιθυνία περὶ Καλπηδησσὸν κεῖται ἐπὶ Θράκης. Ο δὲ Φινεὺς, ὡς οἱ πλείστοι, τῆ Καλπηδησσῆ λέγεται ᾠκηκέναι.

NVM. DXCVI

Primus Palatinus legit, *Linus et Thebis et Amphion*. Sichardina editio scribit, *Linus e Thebis, et Zethus, et Amphion*. In Graeco textu, et apud Syncellum χρονογρ. p. CLIIX, omnes uocantur Αυρικοὶ Θηβαῖοι. Equidem inde mallem legere, *Linus Thebis, et Zethus, et Amphion*. In Graeca EVsebii sylloge haec periocha collocatur ad numerum DC. Mox, numero DXCIIX, tam in mss. nostris, quam Sichardi editione, legitur, *qui et ferrum repererunt*. Chalybum tamen hoc inuentum esse, Callimachus, et ex eo Catullus, uolunt. Porro et illa de Zetho et Amphione periocha, quae in Scaligerana editione ad numerum DC habetur, a Sichardo, primo Palatino, et sylloge EVsebii Scaligena, ad numerum DCI refertur.

NVM. DCI

Menophes hic in mss. Palat. et Sichardina editione *Menophis* uocatur. In Scaligeranae EVsebii sylloges lib. II eodem modo Μένωφις habetur. Syncellus p. LXXII χρονογρ. hunc regem ab Africano Αμμενεμιοῦν, ab EVsebio uero, p. LXXIII, Μέμωφιν uocatum esse, tradit. Ipse ille Syncellus eum, p. CLX, Αμενωφὶν

νοφὶν appellat, qui tamen correcte lib. I ſylloges EVſebianae, p. XXX, Αμένωφις nominatur.

NVM. DCV

In primo Palatino et poſtremo legitur, *Ea, quae Diana*, et reliqua. Secundus et tertius ſcribunt, *Ea, quae Demetra.* Alii codd. *Danaen* in *Dannen* uel *Danen* immutant. Etiam pro *his fuere* nonnulli libri ſcripti habent *his ſunt.* Fabulam de Danae optime perſecutus eſt ſcholiaſta Apollonii ad lib. IV uerſ. ∞XCI, et Horatiani interpretes ad lib. III carminum, neque non Bocatius lib. XI cap. XXV. De Diana nihil eſt in Graeco textu, neque apud Syncellum χρονογρ. p. CLXI. Poſſit tamen fortaſſe locus ita ſcribi, *Ea, quae de Demetra, quam Iſidem eſſe aiunt, et Diana, et Danae, ex qua Perſeus naſcitur, dicuntur, his ſunt geſta temporibus.* Iſidem eſſε τὴν Δήμητραν, commemorat etiam Diodorus Siculus. Deinde AEſchylus docuit, Dianam non Latonae, ſed Cereris, eſſe filiam, Pauſanias Arcad. cap. XXXVII, Δήμητρα δὲ Αρτεμιν, inquit, θυγατέρα εἶναι, τὴν δὲ Λητῦς, ὅτι Αἰγυπτίων τὸν λόγον, Αἰσχύλος ἐδίδαξεν ΕΥΦορίωνος τὰς Ελληνας. Si proinde Ceres hoc tempore uixit, filiam eius Dianam parum ab eo abfuiſſe, quis negabit?

NVM. DCVII

Bellepares hic, Aſſyriorum Rex, priori Palatino uocatur *Beellepares.* Gobelino Perſonae aet. III cap. XII Coſmodromii, *Bellopares* dicitur. Graeci etiam codd. uariant. In Scaligeranae enim ſylloges lib. II Βαλατόρης uocatur. At lib. I p. XXV Βαλάτορος extat. Syncellus χρονογρ. p. CXLVII eundem Βαλετόρην nominauit. Adeo uſque nominum illorum ſcriptura uariat, ut, quae emendata ſit, haut facile dicere poſſis.

NVM. DCX

Ad numerum Abrahamiticum DCXXIIX tam in editione Sichar-

Sichardina, quam in primo Palatino, legitur, *Armenia capta a Cadmo.* Male omnino, ut e Graecis patet. Hesiodus:

Κάδμῳ δ' Ἁρμονίη θυγάτηρ χρυσῆς Ἀφροδίτης
Ἰνὼ, καὶ Σεμέλην, καὶ ἔξης.

Adde Strabonem lib. VII p. CCCXVI. Io. Malala p. XLVI χρονογρ. nihil de raptu meminit, nec Pausanias Arcad. cap. V, ubi, Harmoniam Ἀφροδίτης καὶ Ἄρεως θυγατέρα fuisse, tradit. EVsebium Syncellus p. CLIIX sequitur. Arrianus, apud EVstathium ad Dionysii περιηγ. uers. CCCXCI p. LXXV, Dardani sororem eam esse, affirmat. Cum uidelicet Cadmus a Patre, ut EVropam inuestigaret, missus esset, atque in Harmoniam incidisset, ipse eam rapuit, et, naui conscensa, in Boeotiam cum illa se contulit. Haec si ita sese habent, ad numerum DXXCIIX, uel praeterpropter, ea historia referenda erat. Sed adde quoque, quae dicentur infra ad numerum DCCLVI.

NVM. DCXI

Haec de Minoe pericopa in primo Palatino et Sichardina editione ad numerum DCIX legitur. Gobelinus Persona, qui se Chronicum EVsebii sequi fatetur, Cosmodr. aet. III cap. XII, *Anno quarto Belloparis*, inquit, *Minos, filius AEropis, regnauit in Creta.* Lege, *EVropae.* Syncellus χρονογραφίας p. CLIIX, Μίνως Κρήτης ἐβασίλευσεν ὁ ΕΥρώπης. In Chronologia Scaligerum sequitur Gobelinus. Porro hunc Minoa Cretae primum Regem constituit Malala χρονογρ. p. CV, fortasse, quia πρῶτος τὴν νῆσον ἐξημέρωσε νόμοις καὶ πολιτείαις. Nam alias ante eum plures Reges Cretae memorantur tam EVsebio, quam aliis scriptoribus. Post Meursium de Minoe optime egerunt Simsonius Chron. Cathol. Part. II p. X, et Ezech. Spanhemius ad Callimachum, a p. CCLIX. In tertia de Triptolemo ad hunc numerum periocha primus Palatinus legit, *quod nauis eius pinnatus fuerit, et figura, quae possit recipi.* Sichardi editio etiam *pinnatus* agnoscit, neque non alii quidam codices scripti. In Scaligerana EVsebii sylloge

loge lib. I p. XXX, et Syncello χρονογρ. p. CLIIX, habetur, ὑπονοῆσαι δὲ πλεῳτὸν ὄφιν εἶναι τὴν ναῦν, ἔχειν δέ τι καὶ τὸ σχῆματος. Goarus uertit, *Vnde nauis serpentis alis instructa est aestimata, ac nonnihil serpentis figuram retulisse.* Seruius ad lib. I Virgilii Georgicon, *Ceres filium Celei, Triptolemum, alatis serpentibus superpositum, per totum orbem misit ad usum frumentorum hominibus indicandum.* Eodem modo de curru, non de naui, loquitur Pausanias Achaic. cap. XIIX, ubi refert, ὡς πρὸς ὕπνον ἐτρέπετο Τριπτόλεμος, ἐνταῦθα Ἀνθείαν, παῖδα Ἐλευσῖνος, τὸν δράκοντας ὑπὸ τῷ Τριπτολέμῳ ἅρμα ζευξάντα, ἐθελῆσαι καὶ αὐτὸν σπεῖσαι. Nisi tamen τὸ ἅρμα ἀκύρως pro *naui* ponatur. Id sane a Graecis Latinisque scriptoribus saepissime fieri, iam olim M. Anton. Muretus, uar. lect. lib. I cap. XI, Ob. Gifanius, indice Lucret. p. CCCLXXX, Ian. Gebhardus, spicileg. ad Cornelium Nepotem, p. XLII, C. Barthius ad Claudianum de laude Serenae, uers. CLXVI, p. CCCCXLIV, Ph. Caroli V. L. lib. X cap. XXVI, et denique I. F. Gronouius ad Stat. cap. XXIX p. CLXXXVII, ante nos obseruarunt, quo lectorem remittimus.

NVM. DCXIX

Haec de Borea fabula in primo Palatino ad annum XIV Erechthei, qui est Abrahamiticus DCXXXIII, relata erat. Βορεασμὸν, diem festum, in Boreae honorem institutum, Athenienses celebrauere, de quo multa sunt apud Herodotum, et Hesychium. Adde Ez. Spanhemium ad Callim. p. CCCXLIV, eaque, quae ad numerum DXL diximus. Boream uentum Orithyiam ἀφανίσαι, docuit praeter alios Hermeas Platonicus, qui apud EVstathium ad Dionysii περιηγ. uers. CCCCXXV p. LXXXI βασιλικὴν παῖδα τὴν Ὀρειθυιαν κατὰ κῆρυκα ὑπονοεῖ ὠθῆναι ἀνέμῳ Βορρᾷ, καὶ τοῦτο τῷ Ἤρῳ λεχθῆναι, ἁρπασθῆναι αὐτὴν ὑπὸ τοῦ Βορρᾶ.

NVM. DCXXX

In primo Palatino ad numerum XIII Athenaiensem, qui est epochae

epochae Abrahamiticae DCXXXII, legitur, *Ea, quae de Perseo dicuntur, tunc gesta fuerunt secundum quorundam opinionem*, Vides illa uerba, *secundum quorundam opinionem* e numero DCXXXIV huc esse attracta: Ibi enim ea in Palatino primo desiderantur. Neque tamen inepte id factum esse censeo. Nam, si conferas, quae ad numerum DCCV leguntur, liquebit satis, diuersas de Persei aetate inter Chronographos esse opiniones. Confer etiam Syncellum χρονογρ. p. CLVI. Sichardina editio, periocha, quae ad numerum DCXIX legitur, huic iuncta, et nonnullis demtis, ad annum IX Erechthei, qui est Abrahamiticus DCXXIIX, ita legit, *Erechthei filiam, Orithyiam, Boreas, Astraei filius, Thrax, rapuit, quem fabulae uentum confingunt. Sub hoc et mysteria coeperunt ea, quae de Perseo dicuntur.* Ea mysteria a Pico patre Perseum accepisse, scribit Malala χρονογρ. p. XL, uocat que ista μυστικὰ καὶ δυσσεβῆ πλανήματα. Adde Cedrenum, et Chronicum Paschale p. XXXIX ed. Reg.

NVM. DCXXXI

Haec de Amphione et Zetho periocha in primo Palatino habetur ad numerum XXII Atheniensem, qui est DCXLI Abrahamiticus. Neque aliter rationes iniit Sichardina editio. Syncellus χρονογρ. p. CLVI sub Cecrope, et mox p. CLVII ex aliis auctoribus sub Pandione, gestum illud contigisse affirmat. Huic adiice Malalam χρονογρ. a p. LV.

NVM. DCXXXIV

Verba, *secundum quorundam opinionem hac aetate*, ut iam dixi, in primo Palatino non leguntur. Videtur tamen Graecis EVsebii uerbis niti haec lectio. Nam in eius sylloge, a Scaligero edita, tam lib. I p. XXXI, quam lib. II, habetur, Κατὰ τούτους φρίξος ἔδοξέ τισι, καὶ τἄλλα. Nec uideo, cur eam lectionem Scaligero Hieronymus non expressisse uideatur. Quid enim sodes tandem, Κατὰ τούτους ἔδοξέ τισιν, aliud notet, quam, *secun-*

secundum quorundam opinionem hac aetate? Syncellus p. CLXI χρονογρ. ita hunc locum scribit, Κατὰ τούτους Φρίξος, ὃς ἔδοξέ τισιν ὀχεῖσθαι ἐπὶ χρυσομάλλῳ κριῶ, ἅμα τῇ ἀδελφῇ Αέλλῃ φεύγων μητρυιὰν ἐπιβουλεύουσαν, καὶ εὐτύχησεν πλοίου ὦ τὸ παράσημον κριὸς ἦν. Locum corruptum esse, nemo non uidet, quem ita restituendum esse puto, Κατὰ τούτους Φρίξος ἦν, ὃς ἔδοξέ τισιν ὀχεῖσθαι ἐπὶ χρυσομάλλῳ κριῷ, ἅμα τῇ ἀδελφῇ Ελλῃ, φεύγων μητρυιὰν ἐπιβουλεύουσαν. Κατὰ δέ τινας ἔτυχε πλοίου, ᾧ τὸ παράσημον κριὸς ἦν. Probo, quae scripsi, e scholiis ad Apollonii lib. I uers. CCLVI uetustissimis, ubi ita legitur, Λέγεται δὲ, ὅτι, τῆς Ελλης καταπεσούσης, ἀγωνιῶντι τῷ Φρίξῳ κατὰ Διὸς βούλησιν ἐφθέγξατο, θαρσύνων αὐτὸν, ὁ κριὸς, διασώσειν αὐτὸν εἰς Σκυθίαν. Ενιοι δέ φασιν, αὐτὸν ἐπὶ κριοπρώρου σκάφους πλεῦσαι. Διονύσιος δὲ ἐν β' κριόν φησι Φρίξου τροφέα γενέσθαι, καὶ συμπεπλευκέναι αὐτῷ εἰς Κολχούς. Primam opinionem tuetur Pausanias Boeot. cap. XXXIV, et plurimi τῶν μυθολόγων. Alteram probat Diodorus lib. IV βιβλιοθ., ubi ait, Διαπλεῦσαι γὰρ αὐτὸν φασὶν ἐπὶ νεὼς, προτομὴν ἐπὶ τῆς πρώρας ἐχούσης κριοῦ. Tertiam denique sectatur Apollodorus lib. I, ubi eadem uerba e Dionysii Argonauticis citantur, quae sunt in scholiis Apollonii, et, quae EVsebius Palaephato adscribit. Porro pro *per mare* in omnibus Palatinis legitur *per aerem*. Quidam codd. ea uerba plane omittunt. *Per mare* lectionem Apollonius tuetur, quando lib. I Argon. uers. CCLVI canit.

> Ως ὄφελεν καὶ Φρίξον, ὅτ' ὤλετο παρθένος Ελλη',
> Κῦμα μέλαν κριῷ ἅμ' ἐπικλύσαι. - -

Ωλετο Ελλη, scilicet, ubi ad fretum, quod inter Chersonesum et Sigeum est, peruentum fuit. Ibi nempe Helle, mari extincta, *Hellesponti* nomen mari indidit, quod omnibus est notum. Alii cum scholiasta Comici ad Nubes, uers. CCLVI, Φρύξος, quam Φρίξος, scribere malunt. Vide Plutarchum περὶ ποταμῶν, circa finem, ibique Ph. Iacobum Maussacum.

NVM.

NVM. DCXL

Haec de Procne & Philomela periocha in primo Pal. ad num. DCXL, in Sichardina uero editione ad num. DCXLIII conſpicitur. Ipſa fabula notior eſt, uel e Thucydide, quam, ut hic repeti debeat, praecipue, cum iam ſupra quadantenus eam tetigerimus.

NVM. DCXLVI

In primo Pal. & reliquis ad num. DCXLIIII, & in Sich. ed. ad num. DCXLV, haec hiſtoria collocatur. Pauſan. Attic. cap. XXXIIX, Γενομένης δὲ, inquit, Ελευσινίοις μάχης πρὸς Αθηναίους, ἀπέθανε μὲν Ερεχθεὺς, Αθηναίων βασιλεὺς, ἀπέθανε δὲ Ιμμάραδος, ὁ ΕΥμόλπου. Hoc ſi uerum eſt, referendum erat hoc geſtum ad num. DCLXIX, qui eſt XIII annus regni Proeti, ad quem etiam D. Petauius id referendum eſſe ſtatuit, indeque Clemens Alexandrinus, στρωμ.ά, contigiſſe τὸν ΕΥμόλπου πρὸς Αθηναίους πόλεμον κατὰ Προῖτον aſſeruit. Adde Harpocrationem de hac re in ΒΟΗΔΡΟΜΙΑ, et EVripidis Iona.

NVM. DCXLVIII

Habetur haec περικοπὴ in primo Pal., et reliquis, ac Sichardina editione, ad num. DCXLVI. Melampodis e Derichida genealogia apud Scholiaſtam Apollonii ad lib. I uers. CLI habetur ſequens, Αμυθάονος δὲ τοῦ Κρηθέως, τοῦ ΑΙόλου, τοῦ Ελληνος, τοῦ Διὸς καὶ Δωρίππης, γίνεται Μελάμπους. Adde et Apollodorum. Syncellus χρονογρ. p. CLXI, Μελάμπους μάντις ἐγνωρίζετο. Mallem ergo in Hieronymo *diuinator* pro *diuinus* reſcribere, modo codd. id probarent.

NVM. DCXLIX

Quae hic de Troe referuntur, ad num. DCXLIIX in Palatinis libris, atque in Sichardina editione, leguntur. Μεταχρονισμὸν inſignem admittit Ioannes Malala χρονογρ. p. XCVII, ubi ait, ὅτι μετὰ Θῶλαν ἡγεῖτο τοῦ Ισραὴλ ΑΙγλὼμ ὁ Ζαβελωνίτης. Εν ἐκείνοις δὲ τοῖς χρόνοις ἐβασίλευσε τῆς Φρυγίας ὁ Τρῶος. ΤΡΩΟC pro ΤΡΩC, quod legitur etiam apud Syncellum χρονογραφ. p. CLXI, neograecae eſt dialecti. Quodſi ceterum iſtas inibimus rationes, ad numerum

circiter DCCCXXXIII Abrahamaticum Trois imperium erit referendum. Alii, apud EVSTathium ad Iliad. Υ, ὑπὸ τοῦ Μίνωος ἁρπαγῆναι τὸν Γανυμήδην, statuunt, atque adeo προχρονισμὸν quendam admittunt. Nam tum quidem referendum esset Trois aeuum ad annum circiter DCX. Vetus Chronologus, apud Clem. Alex. στρωματ. ά, annis LXV post Idae incendium Ganymeden fuisse raptum, scripsit. Corybantum aetate incendium id accidisse, istoque casu ferrum ab iis primum inuentum fuisse, tradit praeter alios etiam Lucretius lib. v. Iam Corybantes num. CCCCLXXI uixisse referuntur, Trosque adeo, secundum istam supputationem, num. DXXXVI erat apponendus.

NVM. DCL

Etiam primus Pal. legit, *apud Pythium*, reliqui, *apud Phitium*. In ed. Sichardi *apud Pythiam* habetur. Legerim sane lubentissime, *Apud Pythium Pythia uates prima Phemonoe*. Sane enim προφῆτις, uel πρόμαντις, quo utroque nomine ea insignita est, Pythiam designat. Pausaniae, Phocic. cap. v, Φημονόη πρόμαντις τοῦ Θεοῦ πρώτη γενέσθαι, καὶ τὸ ἑξάμετρον πρώτη ἆσαι, dicitur. Strabo lib. IX p. CCCCXIX, Πρώτην δὲ γενέσθαι φασὶν, inquit, Φημονόην Ἀπόλλωνος Πυθίαν. Hanc κζ' ἔτεσιν ante Orphea claruisse, affirmat Clemens στρωματ. ά, quod EVSebiano calculo disconuenit. Nam num. DCCXLVII demum Orpheus uixisse perhibetur, nisi tamen admittamus emendationem Simsonii, qui, part. II Chron. cathol. p. XV, ξζ' ἔτεσι reponit.

NVM. DCLII

Haec historia in editione Sichardi ad num. DCLV habetur. In primo Pal. scribitur, *Phrygias petit Tantalus*. Male. Ceterum Tantalum Phrygas rexisse, qui prius Maeones sunt uocati, Poetarum potius sapit fabulas, uel certe uetustissimam, quam accuratam et recentiorem geographiam. Strabo lib. XIV γεωγρ. p. DCLXV, Οἱ ποιηταὶ δὲ, μάλιστα οἱ Τραγικοὶ, συγχέοντες τὰ ἔθνη, καθάπερ τοὺς Τρῶας, καὶ τοὺς Μυσοὺς, καὶ τοὺς Λυδοὺς, Φρύγας προσαγορεύσι, καὶ τὰ

ἑξῆς.

ἐξῆς. Idem lib. XII p. DLXXI, οὕτω δ' ἐνήλλακται ταῦτα ἐν ἀλλήλοις, ὡς πολλάκις ἐλέγομεν, ὥστε καὶ τὴν περὶ τὸ Σίπυλον Φρυγίαν οἱ παλαιοὶ καλῶσιν, ἄδηλον, εἴτε τῆς μεγάλης, εἴτε τῆς μικρᾶς μέρος ὄσαν, ἢ καὶ τὸν Τάνταλον Φρύγα, καὶ τὸν Πέλοπα, καὶ τὴν Νιόβην, καὶ τὰ λοιπά. Solinus, *Caput Maeoniae Sipylus, Tantalis antea dicta.* Stephanus, ΣΙΠΥΛΟΣ, πόλις Φρυγίας. Sane Pausanias, Corinth. cap. XXII, ἰδὼν οἴδε Ταντάλου ἐν Σιπύλῳ τάφον θέας ἄξιον. Quare tum Lydis, tum Maeonibus, tum Phrygibus, si uoces iuste capias, imperasse Tantalus dici potest. At Malala, quando p. XCIIX χρονογρ. e Didymo Tantalum uocat τῆς Μυκηναίων χώρας βασιλέα, atque τοῖς τοπαρχοῦσι τῆς Ἐυρώπης χώρας accenset, λῆρον ληρεῖ. Perseus enim postmodum ἔκτισε τὰς Μυκήνας, ibique regnum constituit. Vide EVsebium num. DCCVII, et Strabonem lib. IIX γεωγραφ. p. CCCLXXVII. Deinde Mycenae quidem EVropae erant, non uero Lydia, ubi tamen ab omnibus aliis Tantalus sedisse dicitur.

NVM. DCLIIII

Iterum temporum in mss. obseruatur immutatio. Nam Pall. quidem codd. omnes ad num. DCLVII de Ganymede τεμάχιον referunt, quibuscum facit etiam Sichardina editio: contra Graeca Scaligeri sylloge cum eiusdem ἐκδόσει Hieronymi consentit. Praeterea in primo Pal. legitur, *Ob raptum Ganymedis et Troi, Patris Ganymedis, et Tantali bellum exortum est.* Nolim improbare plane hanc lectionem, quam agnoscit etiam Sichardina editio, nisi quod *Trois* in eadem legatur. *Troi* pro *Trois* metaplasmo Hieronymiano excusari potest, uel, ut *Nicocli, Themistocli*, et similia, dicitur. Sed prius praeplacet. Nam etiam ex EVsebio Gobelinus Persona Cosmodr. aet. III cap. XII, *Qui dictus est*, inquit, *Tros, seu Trous:* Nec *bellum Troi et Tantali* pro *bellum inter Troum & Tantalum* saeculum Hieronymianum respuit. Praeterea *Phanocles Poeta* in tribus PPP. posterioribus *Phandrus Poeta*, uel, *Phander Poeta*, inemendate plane uocatur. Nam et Graecus EVsebii textus contradicit. Nihilominus e deprauata

hac lectione suspicor, Hieronymum, metaplasmo et hic suo usum, scripsisse, *Phanoclus Poeta.* Alteram ad hunc numerum periocham primus Pal. ita scribit, *Tytio conuixit Tantalo. Tytionis autem tempore fuit Latona mater Apollinis.* Sichardina editio habet, *Tityus conuixit Tantalo, Tityonis autem tempore*, et reliqua. Hieronymus supra prooemio lib. II, *Quo* (Trois nempe) *tempore quoque Tantalus et Tityus fuerunt, & Apollo natus est. Nam Latona, Iouis coniux, tempore Tityi fuit.* Ita enim locus ille, ante Pontacum corruptissimus, legendus est. Tityi, ab Apolline interfecti, historiam fabulis palam accenset Strabo lib. IX p. CCCCXXIII. Porro consulendus est de eo omnino Apollonii Scholiasta ad lib. I uers. DCCLX, ubi eum Apollo βάπαις, οὔπω πολλὸς ἐών, occidisse perhibetur. At Pindarus Πυθ. δ' uers. CLX βέλει Ἀρτέμιδος confectum esse tradidit. Sane, si Phemonoe, prima Pythia, hoc tempore uixisse concedetur, Apollinem ab eo non fuisse alienum, liquido constat. Deinde, si cum Tantalo uixit Phemonoe, coaeuus sane fuit Tityo. Nec adeo satis perspicio, cur Scaligero adhuc uideatur a Clemente Alexandrino probandum esse, τὸν Τάνταλον συγχρονίσαι τῷ Τιτυῷ. Καὶ τάδε μὲν δὴ ταῦτα.

NVM. DCLXI

Praesens de Phryxo et Melicerta historia ad num. DCLXVII in primo Pal. et Sichardina editione est relata. Apud Clementem uetus Chronologus a raptu Ganymedis ad Persei usque expeditionem, ὅτε καὶ Γλαῦκος ἐπὶ Μελικέρτῃ τὰ Ἰσθμια ἔθηκεν, annos XV numerat: Quod si uerum est, ad numerum circiter DCLXIX hoc gestum fuisset collocandum.

NVM. DCLXIIX

Haec Pal. primus et Sichardi editio ad num. DCLXX hoc modo referunt, *Pelops Hippodamiam duxit uxorem.* Clemens Alex. στρωματ. α', p. CCCXXI, Κατὰ δὲ, inquit, Ἀφίσιον Πέλοπος ἀπὸ Φρυγίας ἦν διάβασις, καὶ Ἰωνος εἰς Ἀθήνας ἄφιξις. Recte. E Pausania enim

enim liquet, tam Achaeum, Ionis fratrem, Deucalionis fuisse ex Hellene, quam Epeum e Protogenia, pronepotem. Porro Epei temporibus OEnomaum uicisse Pelops, atque adeo Endymion, Epei pater, una generatione maior fuisse Pelope, apud eundem docetur. Consequitur proinde, quod Epeus, Ion, Achaeus, Pelops, Acrisius, aequales fere fuerint. Post Acrisium τὸν δεύτερον regnasse Peloponneso Pelopem, docet Io. Malala χρονογρ. p. CIIII. At quis ille ὁ δεύτερος Ακρίσιος sit, me latet. Sane Acrisium ipse Malala, quemadmodum etiam EVsebius, per XXXI annos regnasse affirmat. Equidem interpretem lapsum arbitror. Non enim Graeca uertenda erant, *Acrisius secundus*, sed, *Acrisius frater Proeti natu minor*. Possis etiam in Graecis legere, Μετὰ δὲ τὴν βασιλείαν τοῦ Προίτου ἐβασίλευσεν ὁ δεύτερος (ἀδελφὸς) Ακρίσιος ἔτη λά. E Pausaniae enim Corinth. cap. XVI, et Apollod. lib. II, aliisque ueterum, satis liquet, fratres fuisse gemellos, Proetum et Acrisium, filios Lycei, qui de regno inter se disceptarint. Iam si sit Pelopis aetas ad Cecropis et Proeti tempora accurate ab EVsebio relata, et saltim statuamus, Pelopem, cum Hippodamiam duceret, annos XX fuisse natum, coniungamusque e num. DCCIV reliquum eius uitae tempus cum ante acto, sequetur, μακροβίων eum fuisse e numero, et ad CXV aetatis annum peruenisse. At Malala Pelopem non per annos LVIII, sed XXXII, imperasse asserit. Robinsonus ex EVsebio, et Gobelinus Persona Cosmodr. aet. III cap. XIII, per annos LIX Pelopem regnasse, uolunt. Ipse EVsebius in Graeca Scaligeri sylloge, lib. I p. XXX, annos tantum XXX ei ascripsit, quamuis adiiciat, alios isti LXIII, alios LIII annos, tribuere. Male enim pro νγ´ in EVsebii Graecis νγ´ legitur, quum priorem scripturam Syncellus χρονογρ. p. CLX etiam agnoscat. Ego reputo, eam annorum regni uarietatem inde esse ortam, quod aliqui Chronologorum annos regni Pisatici tantum annotarint, aliqui regni Argiuorum, aliqui denique regni Peloponnesiaci. ΟΥ μόνον γὰρ, inquit EVsebius, Αργείων, καὶ Μυκηνῶν, ἱστοροῦσι

ἱστοροῦσι Πέλοπα βασιλεῦσαι, ἀλλὰ καὶ πάσης τῆς Πελοποννήσου. Subsumendum ergo est, multo ante, quam Mycenarum imperium adipiscereturr, Pisaticum eum tenuisse, ibique adeo diutius, quam Mycenis, etiam regnare potuisse. Nec hoc praetereundum est, quod pro Pelope per annos illos LVIII Perseum Mycenarum imperio praefuisse statuat Cappellus, ueterum testimoniis non destitutus. Alii, ut e Georgii Syncelli χρονογρ. p. CLVI clarum est, Pelopem tam in Argiuorum, quam Mycenarum, Regum laterculo omittunt. Adde eundem Syncellum p. CXXV, et Thucydid. ἀ ξυγγραφήν.

NVM. DCLXXII

Erichthei frater uocatur Perseus in omnibus codd. et Sichardina quoque editione. Nihil omnino hic proficit Scaliger. Neque enim conciliari cum aliis auctoribus haec possunt, nisi, quod omnino uerum est, repugnantibus etiam omnibus codd., rescribatur, *Erechthei temporibus*, quomodo Gobelinus Persona Cosmodr. aet. III cap. XIII etiam legisse uidetur. Idem *Gorgonae* legit, et, *mentis impotes*. Sed in primo Pal. et Sich. ed. *Gorgonis* habetur. In eodem porro, et quarto Pal., et reliquis libris, scribitur, *spectatores sui:* quod sane non improbandum erat, utut Sich. ed. malit, *spectatores suae mentis*. Deinde pro *perhibet scriptorem eius* Pall. codd. et Sichardus legunt, *praebet scriptorem eius*. In Graeco est παρατίθεται. Ceterum ineptas satis de Perseo fabulas habemus apud Malalam, e nescio quo Pausania, χρονογρ. p. XXXIX. Adde Scholia Apollonii ad Argon. IIII, uerss. ∞ XCI et ∞ DXV, atque e recentioribus Th. Dempsteri ad Rosin. lib. V cap. XXXI, et VVouer. Polym. cap. X, praeter mythologos.

NVM. DCLXXV

Haec historia in Sichardina editione ad num. DCLXXIIX, at in primo Palatino ad num. DCLXXXIII, ascripta est. In Graeca syllogе praecedens ad num. DCLXXI historia cum hac connectitur, scribiturque, Πήγασος τάχα τὶς ἵππος ὀξὺς, κτῆμα τῆς γυναικός. Sed

Hiero-

Hieronymus diuellit non tantum iuncta, sed legere etiam uidetur, κτῆμά τινος γυναικός. Qui articuli Graeci naturam intelligunt, inepte eum ad uocem γυναικὸς addi, si narratio esset absoluta, facile perspexerint. Hinc eodem, quo EVsebius, a Scaligero consarcinatus, modo legit Syncellus quoque χρονογρ. p. CLXII, connectitque posteriorem cum praecedenti narrationem: quae scriptura sane recta est. Verba, Κτῆμα τῆς γυναικὸς, indicant, a Medusa Pegasum fuisse ante possessum. Mythologi etiam uolunt, e Medusae sanguine eum extitisse. Vide Pindari ad Olympia enarratores.

NVM. DCLXXIX

Primus Pal. et Sich. editio ad num. DCLXXXI hanc periocham apponunt, leguntque, *Cyrene ciuitas condita in Libya.* Neque aliter eam laudat Is. Casaubonus ad Strab. p. XXXVII not. Alii codices legunt *Cyrenes ciuitas*, quomodo *flumen Galesi* est apud Horatium. Graeca EVsebii sylloge lib. I p. XXXI habet, Κυρήνη ἐκτίσθη ἐν Λιβύῃ. Sane Cyrenem etiam Silius lib. XI *antiquam Batti urbem* uocauit. Vixit autem Cyrene, eodem, quo Cadmus, tempore. Ἀριστοίῳ γὰρ τῷ Ἀπόλλωνος καὶ Κυρήνης Αὐτονόην τὴν Κάδμου συνοικῆσαι, est apud Pausan. Phocic. cap. XVII. Iam Cadmus secundum quosdam XIV ab hoc anno Thebis regnauit, ut patet e num. DCXCIII. Ergo potuit sane fieri, ut circa haec tempora primum Cyrene urbs sit condita. Georgio Syncello χρονογρ. p. CLXII Κυρὶν uocatur, dialecto fortasse neograeca: nisi legendum Κυρήνη, ἢ καὶ Κίς, ut innuatur, eam in sacris litteris, Am. IX com. VII, alibique, *Kir* uocari. Aristaei illius, a Pausania memorati, meminit etiam Iustinus lib. XIII cap. VII, ubi, etsi omnia truncator ille Troii disturbet, nolim tamen cum Marshamo, aut Simsonio, Aristotelem pro eo reponere. Aristaeus, non nego, ab Aristotele illo plane est diuersus, neque cum eo commutandus, quod tamen ad Stephanum in uoce ΚΥΡΗΝΗ fecit Thomas de Pinedo;

nedo; Eum interim a Iustino cum Aristotele, quia Aristaeus Cyrenae erat filius, confundi, mihi amplius non est dubium. Vide omnino optimum Apollonii Schol. ad lib. II uers. DIII. Porro ergo si Cyrene, Hypsei filia, condidit Cadmi iam tempore Cyrenem, non animaduerto tantum, quantum Scaliger comminiscitur, προχρονισμόν. Nam a Batto, siue Aristotele, colonia tantum eo denique deducta multis post annis mihi uidetur. Pausan. Lacon. cap. XIV, Αγχιόνιν δὲ, inquit, καὶ τῷ τόλῳ μεταχεῖν τῷ Θηραίῳ Βάττῳ, καὶ Κυρήνην οἰκῆσαι σὺν ἐκείνῳ, καὶ Λιβύων παραστέψασθαι τοὺς προσχώρους, λέγουσιν. Eadem tradit Georgius Syncellus p. CCXII χρονογρ., cuius uerba haec sunt, Θηβαῖοι Κυρήνην ᾤκησαν κατὰ χρησμόν. Legendum Θηραῖοι. Pro Θηραῖοι νησιῶται male itidem legitur Θηβαῖοι apud EVstathium ad Dionys. uers. CCIX p. xxxiix. In locis tamen datis Kuhnius ad Pausaniam, et EVsebiana syllogе, οἰκίσαι legunt, non οἰκῆσαι. Causssam nondum perspicio. Graece enim tam οἰκεῖν πόλιν, quam ἐν πόλει, recte dici, iam olim H. Stephanus probauit. Deinde siue dixerimus Cyrenem, quae, secundum Seru. ad AEneid. lib. I, ciuitati nomen dedit, siue Antenoridas, qui Battum, Pindaro πυθ. é auctore, benigne exceperunt, ante ipsum Battum in hac regione fuisse, ille tamen Battus κτιστὴς quidem, et οἰκιστὴς etiam, Cyrenes erit, non uero τῆς πόλεως, in qua κτήτωρ tantum seu οἰκητὴς erat, sed τῆς χώρας, quae Dioni Cassio ἡ περὶ Κυρήνην Λιβύη uocatur. Sic Suetonius c. II Vespas., *Quaestor Cretam*, inquit, *et Cyrenas prouinciam sorte cepit*, hoc est, Legatus et propraetor Cretae et Cyrenaicae constitutus est. Namque et ὁ Κυρηναῖος non tantum dicitur ὁ πολίτης, sed quoque, qui adiacente in regione natus est, quomodo etiam a Catullo Cyrenae uocatae sunt *laserpiciferae*, quia scilicet, iuxta Strabonem, lib. XVII, p. DCCCXXXIX, ὁμορεῖ τῇ Κυρηναίᾳ γῇ ἡ τὸ σίλφιον φέρουσα.

NVM. DCXXCVI

In primo Pal. et Sich. ed. haec historia ad numerum praecedentem

dentem legitur. Ceterum de Nyſſa, quae tum alibi, tum inprimis in Gregorii Nyſſeni libris mſſ. Νύσης nomine non raro uenit, uti Παϱναασὸς et Παϱνασὸς, Πεσινοῦς et Πεσινοῦς, aliaque, διτ/ογϱαφοῦνται, uide fuſius Strabonem lib. XV γεωγϱ. p. DCLXXXVII, EVſtathium ad Dionyſium u. ∞ CLIII p. CCII, Stephanum in NYCAI, alios. Notandum interim, Diodorum Sic. lib. I. βιβλιοθ. pronunciaſſe, quod ab Oſiride condita ſit. Non tamen iccirco pugnat Diodorus cum EVſebio, qui a Baccho extructam eam eſſe autumat. Nam Οσιϱιν τὸν Διονύσιον λέγουσιν εἶναι, ut inquit Herodotus lib. II cap. XLII.

NVM. DCXCIII

Iterum in annotanda hac hiſtoria numerorum ordo turbatus eſt. Eam enim primus Pal. ad numerum DCXC, alii contra cum Sich. ed. ad numerum DCXCI, alii aliis annis, aſcripſerunt. Etiam Chronographus ille, e quo Cadmi tempora EVſebius huc retulit, erraſſe uidetur. Cum enim Cadmus Agenoris filius, et Beli nepos, fuerit, Agenoris autem frater dicatur mythologis Danaus, rectiſſime collocabitur Cadmus ad numerum DLXII, quamuis Scaliger ad eum numerum renitatur, aut ſaltim ad num. DLXXXIIX. Nihilominus ad Perſei tempora reuocatur etiam in Chronographiis Io. Malalae p. XLV, et Georgii Syncelli p. CLXII, manifeſta ἀχϱονογϱαφησία. Nam quomodo, quaeſo, numero DCCXII Laius Chryſippum rapuiſſe dici poteſt, ſi auus Labdaci, quod notum eſt ex omnibus hiſtoricis, cuius filius fuit Laius, Cadmus ὁ Αγηνοϱίδης fuit? Alius ergo plane Cadmus hoc tempore uixiſſe dicendus eſt, quum VI, et plures fortaſſe, Cadmi a ueteribus memorentur. De Cadmo noſtro addendus eſt omnino Apollonii ſcholiaſta ad lib. III uerſ. ∞ CLXXXV, Marsham. can. chron. p. CXXI, et Simſon. Chron. cathol. ad annum mundi ∞ ∞ DXLIX, ut alios praeteream. Idem Simſonius l. d. doctiſſime de raptu EVropae egit, quem ad

hunc numerum primus Palatinus cum Sichardina editione collocarunt, etsi eundem ad sequentem Scaliger retulerit.

NVM. DCXCVI

Ad praecedentem numerum haec historia in Sichardina editione ponitur. Primus, et reliqui Pall. libri, atque Sichardi editio, scribunt, *Pelops Peloponnesi regnans*, et cetera. Scilicet, ut *regnans* sit ὁ βασιλεύσας. Peloponneso autem Pelopem integrae regnasse, satis uel inde colligi potest, quod Πέλοπος μεγάλην νῆσον ideo eam uocet Sophocles, οἰδίπῳ ἐπὶ Κολωνῷ, uers. DCCXXVIII. Vrbem enim unquam fuisse, Πελοπόννησον dictam, cui Pelops imperarit, ut comminiscitur Io. Malala p. CIIII χρονογρ., non magis uerum est, quam Poloniam, aut Saxoniam nostram, Galliasue, oppida esse. Mox *Ramses* ille Rex AEgyptiorum in quibusdam codicibus uocatur *Rames*. Georgio Syncello χρονογρ. p. LXXII dicitur Ραψάκης, at p. LXXIII Ράψης. Prius ex Africano, posterius ex EVsebio est. Ράμψης habetur e Manethone apud Iosephum l. I contra Apion. p. ∞ LIII, si uersioni fidas. At in Graeco est, Τὸν δὲ υἱὸν Σέθων, τὸν καὶ Ραμέσσην ἀπὸ τοῦ πατρὸς ὠνομασμένον. Ράμψις tamen apud Syncell. p. CLX χρονογρ. legitur. E Ράμψης Hieronymi *Rhamses* est ortum. Latini enim *sumtus* rectius, quam *sumptus*, scribunt.

NVM. DCXCVII

De Cadmi aetate satis antea dictum est. At de Spartis hinc inde, quae proferant Apollon. lib. III uers. ∞ CLIV, ibique scholiasta, Paus. Boet. cap. IV, Nonnus Dionys. lib. IIII, Apollod. βιβλ. lib. III, Pindarus Ισθμ. ά, eiusque scholiasta, Palaephatus, et ad eum Corn. Tollius p. CLXXIII, alii. Quod cetera attinet, in primo Pal. legitur, *subito constitisse:* quomodo habetur etiam in Sichardina editione. Respondet haec lectio satius Graecae uoci ἐπελθεῖν, uel, ut in Syncelli χρονογρ. p. CLXII habetur, ἐπανελθεῖν, ideoque repudianda non erat. Deinde in primo Pal. et Sichardina

dina ed. legitur, *et ex omni parte confluentes.* Reliqui codd. habent, *ex omni parte confluitos*, omissa copula. Sane Scaliger locum non cepit, ut fateamur, quod uerum est. Hieronymus in Graeco EVsebio legit, Διὰ τὸ πανταχόθεν, ὡς ἀπὸ γῆς, σύρειν ἐπ' αὐτῷ. Deprauata haec lectio non nisi deprauatam uersionem parere poterat, *propter repentinos quasi de terra contractus.* Ergo cum, inepte haec uersa esse, doctus ὁ δεῖνα librarius uidisset, παρεχάραξεν illa, et, consultis Graecis, ad oram libri sui uertit, *post repentinos ex omni terra conflictus.* Inde ex ora et haec uersio, tanquam melior, in textum tam hic, quam lib. I p. XVII, est recepta. Altera ad hunc numerum periocha, quae de Mida agit, ab omnibus ueteribus libris, et Sichardina quoque editione, ad numerum XL regni Athenienſium, qui est Abrahamiticus DCCIX, refertur. Tam *Mida*, quam *Midas*, recte dicitur, ut probauit egregie V. C. Rich. Bentleius, epist. ad Millium, Malalae annexa, p. LXXXI. Non uideo ergo, cur Sichardus contra mss. auctoritatem *Midas* reposuerit. Phrygia, cui regnasse Mida dicitur, ἡ μεγάλη est intelligenda, ut ὁ γεωγράφος lib. XII p. DLXXI, et ex eo EVstathius ad Dionys. περιηγ. uers. DCCCXII, annotarunt. Ibi enim, quae sunt eorum uerba, ὁ Μίδας ἄρξαι λέγεται.

NVM. DCCIIII

Haec tota paragraphus ita scribitur in primo Palatino, *Argiuorum Reges defecerunt, qui imperarunt annis* DXLIIII, *usque ad Pelopem, qui regnauit annos* LVIIII, *et, in Mycenas imperio translato, post Acrisium regnauit.* Plane ita habetur in Sichardina etiam editione, nisi quod male, nulla praeuia interstinctione, addatur, *EVrystheus, filius Steleni, annos* XLV. Gobelinus Persona Cosmodr. aet. III cap. XIII, *Item*, inquit, *regnum Argiuorum, quod durauit per annos* DXLIV, *defecit, & defertur ad Mycenas, et hoc factum est anno* XIIX *huius Regis Assyriorum, et regnauit apud Mycenas primus Pelops, qui regnauit* LIX *annos.* Ego Gobelini rationes ueras omnino esse puto, modo in eo, et EV-

sebio, rescribas, *per annos DXLVI.* Nam plane haec omnia ad numerum DCCVII erant referenda, si quidem primus annus regni Argiuorum Abrahamiticus CLXI fuerit. Ab eo enim anno usque ad DCCIV, qua ratione DXLIV anni numerari queant, non uideo, quum potius, si rationes subducas, anni tantum DXLIII inueniantur. Reliqua, quae huc pertinere uidebantur, ad retro numerum DCLXIIX ptaeoccupauimus.

NVM. DCCXII

Sichardina editio cum primo Pal. legit, *EVrystheus ann. XLV.* Sed Scaligeri rationes ueriores sunt. Hinc infra ad numerum IIX Atrei, qui est Abrahamiticus DCCLXIII, quasi se correcturus, in primo et tertio Pall. librarius, ut puto, scripsit, *Mycenis regnauit EVrystheus annis XLIII, in aliis XL.* Ibi quoque Sichardina editio habet, *Mycenis regnauit EVrystheus annis XL, uel X, ut aiunt nonnulli AEgisthus.* Pro *Laius Chrysippum rapuit* in eodem primo Pal. et Sichardina ed. corrupte legitur *Lagius.* Quidam, quibuscum quartus Pal. facit, codices agnoscunt, *Iasius Crisppum rapuit.* Georgius Syncellus, χρονογρ. p. CLXII, itidem male Λαΐος habet. Chrysippum intelligo, filium Pelopis, quem memorat interpres Graecus Pindari ad ολ. ά, et EVripidis ad Orestem. Consentit mecum Scholiasta AEschyli, qui in ὑποθέσει τῆς Επτὰ ἐπὶ Θηβῶν ita pergit, Οτι τὸν τοῦ Πέλοπος υἱὸν, Χρύσιππον, Λαΐος ἥρπασεν, ἐραστὴς αὐτοῦ, καὶ αὐτῷ συνεγένετο, καὶ πρῶτος ἐν ἀνθρώποις τὴν ἀῤῥενοφθορίαν ὑπέδειξε, καθάπερ δὴ καὶ ὁ Ζεὺς ἐν Θεοῖς, τὸν Γανυμήδην ἁρπάσας. Alia a Laio *Laus* est, urbs Lucaniae, quam, nisi operarum sit uitium, Marshamus Can. Chron. p. DXLVII contra Strabonis, Apollodori, Stephani, Pliniique, fidem *Laium* uocauit. Mox *Eleusina* metaplasmo Hieronymo familiari uocatur, quae alias est Eleusis. EVsebium imitatur Syncellus, quod iam notatum animaduerto a Goaro p. XLV notarum.

NVM. DCCXX

Periocham hanc de Perseo ad numerum DCCXIII primus Pal. et

et Sichardina editio collocant. Deinde, primus Palatinus, aliique libri, legunt, *refert Dinarchus.* Georgius Syncellus p. CLXII χρονογρ. corrupte habet, ὡς φησι Δήχαρνος, quod iam a Goaro in emendationibus est obseruatum. Pro *aduersus Persen* legendum est, ut extat emendate in Sichardina ἐκδόσει, *aduersus Perseum.* Tamen in Scaligerana quoque EVsebii sylloge, tam lib. II, quam lib. I p. XXXI, Πέρσῃ habetur: quanquam utrobique Περσεῖ malim legere. Neque certe aliter est in Syncelli χρονογρ. p. CLXII. Perses filius Persei fuit. De hoc EVstathius ad Dionysium περιηγ. uers. ∞ LIII p. CLXXXIX ex Herodoto refert, ὅτι ὁ Περσεὺς, ὁ Δαναάης καὶ Διὸς, ἀφίκετο ἐπὶ Κηφέα τὸν Βήλου, καὶ ἔσχεν αὐτοῦ θυγατέρα, τὴν Ανδρομέδαν, καὶ γεννᾷ Πέρσην, ἐξ οὗ τὴν ἐπωνυμίαν ἔσχον οἱ Πέρσαι. Idem tradit Apollodorus. Atqui Persen expeditionem aduersus Bacchum patrasse, nemo ueterum memorauit, sed patrem eius, Perseum, ut etiam e Pausaniae Corinth. capp. XX et XXII cognoscitur: unde patet, legendum plane esse, *aduersus Persea.*

NVM. DCCXXXII

Pro *Minoe* in primo Pal. est *Mineo*, male, nisi fortasse *Mino*, Μίνω, ut κλίσις Ατ]ικὴ sit, scribas. In Sichardina editione legitur *Hiis congruit*, et cetera, demto τῷ *quod.* Etsi uero dicatur, hanc epocham alteri, de Minoe agenti, congruere, non tamen equidem uideo, qui id fieri satis possit. Quodsi enim hoc demum anno rapta EVropa fuerit, qua, quaeso te, ratione Minos, eius filius, tum uix fortasse quinquennis infans, numero DCCXXXVII Cretae iam Rex fuisse dicetur? Sed *quid non Graecia mendax AVdet in historia?*

NVM. DCCXXXV

Historia de Pandione male ad numerum XIIII Hebraicum, qui est DCCXLVI Abrahami, in Pall. codd. reiicitur. Sichardina editio eam ad numerum DCCXLIII locat. Ipsam historiam Apollodorus βιβλ. lib. III, Pausanias Attic. cap. V, Strabo lib. IX p. CCCXCIII, et alii, describunt, a quibus Μητιονίδαι uocantur, qui Hiero-

eronymo sunt *Metionides*, noto metaplasmo. Deinde in primo Pal. *Philamon* nuncupatur, qui aliis codd. *Fidamon* scribitur. In eodem pro, *Delphius nobilis habetur*, exaratum inuenit Salmasius, *diuinus habetur*. Fortasse, qui haec mutauit, in Graeco textu pro Δέλφιος legit δῖος, quemadmodum ante etiam pro Φιλάμμων, Φιδάμμων. Λ enim et Δ litterae sunt librariis εὐμετάβολοι. Mox quidam codd. *Pythis* legunt, non, *apud Pythios*, ut uideatur prima scriptura fuisse *Pythiis*. Statim post *statuit* in Sichardina editione pro *constituit* offenditur. In Syncello p. CLXII χρονογρ. male exhibetur, ὁ πρῶτος ϛήσας Πυθοῖ χῶρον, pro, ὁ πρῶτος ϛήσας Πυθοῖ χορόν. Porro eadem de Philammone narrata habes apud Plutarchum, et scholiastam Homeri breuiorem ad Odyss. τ.

NVM. DCCXXXVII

Quae de Daedalo hic referuntur, in primo Pal. et Sichardi editione ad retro numerum XVII Atticum, et XVI Mycenensem, fuerunt ascripta, quae reduceres ad annos Abrahamiticos DCCXXVI, uel DCCXXIIX. Porro in iisdem codd. legitur, *Ea, quae de Daedalo fabulae ferunt*. Gobelinus Persona aet. III cap. XIV Cosmodromii, *Eo tempore*, inquit, *Daedalus fuit, qui primus statuas disiunctis pedibus fecit, et inde est, quod fabulae de eo dicunt, quod fecerit simulacra se mouentia. Ipse dicitur primum recepisse a Minerua artem fabricandi arietes, et tecta.* Atqui, si Daedalus primus simulacra se mouentia fecit, Fauorinusne apud AGellium, N. A. lib. X cap. XII, columbam uolantem ligneam ab Archyta Tarentino primum inuentam esse, dicere potuit? Nimirum Diodoro etiam lib. IV p. CXC Daedalus tantummodo memoratur ὁ διαβεβηκότα τὰ σκέλη τῶν ἀγαλμάτων πρῶτος ποιήσας. E quo loco apud Syncellum p. CLXIII χρονογρ. lubentissime rescripserim, τῶν πρὸ αὐτοῦ πάντων συμβεβηκότας (non, συμπεφυκότας) αὐτοὺς πλατ]όντων. Ibidem statim post legendum, ut est in sylloge EVsebii Scaligerana, οὗτος ἀποπτῆναι μυθεύεται, et cetera, uerten-

uertendumque EVsebii locum, *Hic arrepta naui cum filio Icaro auolasse fingitur, eoque modo manibus Minois euasisse, propterea, quod a Minoe, ipsum persequente, inuestigari non poterat.* In Goari uersione τὸ ἀποσῆναι saltim uerti debebat, *Minoi fidem non seruasse.* Plutarchus in Theseo P. 100. p. 11 τὸν Δαίδαλον πλοίῳ φυγεῖν εἰς Ἀθήνας commemorauit.

NVM. DCCXLIII

Cyzici natalem annum primus Pal. primum AEgei, Sichardi editio secundum, esse uoluit. Sane iste uel Argonautarum expeditionem proxime debet praecedere, uel saltim comitari. Cyzici enim erat ἱερὸν τῆ Δινδυμήνης μητρὸς τῶν Θεῶν, ἵδρυμα τῶν Ἀργοναυτῶν, referente Strabone lib. XII p. DLXXV, quod deinde, imperante Zenone, Mariae, τῆ τοῦ Θεανθρώπου μητρὶ, est dedicatum, ut ex Cedreno, et Ioanne Malala p. XCV, discimus. Nomen suum ea urbs a Cyzico quodam habet, quem Apollonius lib. I uers. DCCCCXLVI Δολιόνων βασιλεῦσαι narrat. Idem genealogiam quoque eius habet, quod fuerit

Κύζικος, ὃν κούρη δίου τέκεν Εὐσώροιο,
Αἰνήτη. - - - -

Adde ibidem de Cyzici praeterea stirpe scholiastam. Hinc liquet, secundum Apollonium quoque, Cyzici aetatem in Argonautarum tempora incidere, utpote a quibus etiam, Apollonio auctore, est interemtus. Vrbis tamen Cyzici natalem ad annum demum Abrahami ∞ CCCXXXV alii referunt, quibuscum Syncellus facit, qui χρονογρ. p. CCXIII sub Argeo, quinto Macedonum Rege, Κύζικον οἰκισθῆναι, nisi fortasse ἀνακτισθῆναι scribas, asseuerat.

NVM. DCCXLIIII

De Tyro historia ad numerum VI Hebraicum, qui respondet Abrahamitico anno DCCXXXVII, ab omnibus Pall. et Sichardi editione refertur. Sichardus praeterea legit, *Tyriorum ciuitas.* Sane Tyrii, a Palaetyro ita denominati, uetustissimae sunt originis

ginis, quanquam urbs Tyrus insularis, de qua hic sermo, paullo sit recentior. Cum EVsebio sentit Iosephus, qui lib. IIX ἀρχαιολ. IBδ., Ἀπὸ δὲ τῆς οἰκήσεως inquit, Τύρου εἰς τὴν οἰκοδομίαν τοῦ ναοῦ διεγεγόνει χρόνος ἐτῶν τεσσαράκοντα ϗ διακοσίων. At Syncellus χρονογρ. p. CLII multo antiquiorem Tyrum fecit, quum Danai uoluit tempore Φοίνικα ϗ Κάδμον, ἀπὸ Θηβῶν τῶν κατ' Αἴγυπτον ἐξελθόντας εἰς τὴν Εὐρώπην, Τύρου καὶ Σιδῶνος βασιλεῦσαι. Idem est apud EVsebium numero DLXII. Intelligenda haec scilicet erant de Palaetyro, non de Tyro, urbe in insula sita, quae Cadmi tempore posterior est. Palaetyri illius meminit etiam Iosua cap. XIX tm. XXIX. At Cadmi regnum Tyrium incidit in annum Iosuae XVII. Ergo aut nullus plane, aut exiguus, in Syncelli uerbis anachronismus statuendus est. Quodsi a Cadmi regno ad aedificationem Tyri insularis rationes ineas, sequetur, CLXXXII annis Palaetyro istam esse recentiorem. Marshamus tamen Canon. chron. p. CCCV maluit Iosuae librum nescio cui inferioris aeui scriptori tribuere, quam ueritatem fateri. Scilicet ideo hoc fecit, ut p. DLXXIIX asserere posset, Palaetyrum, a Nabuchodonosore excisam, ortum dedisse nouae Tyro, quum illa tamen Tyrus, quam nouam uocat, stetisset iam, si Tyri expugnatio contigit, ut uult Petauius lib. IX cap. LXIX de D. T., anno Nabuchodonosoris XXIX, qui praecedebat uno anno primum imperii Seruii, sexti Romanorum Regis, per annos secundum computum EVsebianum, DCCXI integros. Sed Palaetyrus illa Graecis, ut puto, uix satis nota erat. Meminit quidem eius et Strabo, et Stephanus. Verum, τὴν ἀρχαιότητα utriusque Tyri ἐκ πολλῶν μύθων δεδόσθαι, prior affirmauit. De Stephano uide Vossium ad Scylacem p. LI ed. Hudsonii. Deinde, si uel maxime cum Marshamo affirmemus, nouam Tyrum ortum e Palaetyro, quae *Sarrae* nomen a Romanis accepit, trahere: quomodo tamen dictis suis conuenient Hieronymi uerba, quae una ad probandam suam sententiam

tentiam Marshamus attulit. Hieronymus in Ezechielis cap. XXIX p. DCCCLXXI, *Cum uiderent*, inquit, *Tyrii, quod percussione arietum murorum fundamenta quaterentur, quicquid pretiosum in auro, argento, uestibusque, et uaria supellectile nobilitas habuit, imposita nauibus ad insulas* (Marshamus corrigit, *insulam*) *asportauit, ita, ut, urbe capta, nihil labore suo dignum inueniret Nabuchodonosor.* Si accipimus emendationem Marshami, qui *insulam*, ut dixi, reponit, dic, sodes, quid effari possit Hieronymus ineptius? Si Nabuchodonosor enim per XIII, et ultra, annos urbis maritimae oppugnationem sustinere potuit, quis reputauerit, insulam Tyrum, quae tunc, secundum quidem ipsius Marshami opinionem, urbe, atque adeo praesidiis quoque, caruit, et ab Alexandro postea ad continentem terram per aggerem adiungi potuit, a Nabuchodonosore non expugnatam fuisse? Si expugnatio fuit porro haut difficilis, quum stadiorum IIII tantummodo intercapedine a continenti fuerit rescissa, quae Phoenicum fuit dementia, ut eo se contulerint, ubi aeque minus tuti erant, quam in Palaetyro? Omnino ergo haec sunt ἀσύστατα, retinendaque adeo est uulgata Hieronymi lectio, *insulas*. *Insulae* dicebantur saeculo Hieronymi συνοικίαι, ἀποικίαι. Tales habuit colonias plurimas Tyrus, fatente etiam Strabone lib. XVI p. DCCLVII, e quibus nota inprimis Karthago est, trecentis circiter ante Tyrum, a Nabuchodonosore excisam, annis condita. In eas ergo nobiles sua cimelia asportanda curauerunt, eaque adeo manibus Babyloniorum facile eripuerunt. Postea, cum iterum exscinderetur Tyrus ab Alexandro, ut supra dixi, utraque demum Tyrus per aggerem est iuncta, qua de re uidendus est, praeter Strabonem, Plinius H. N. lib. V cap. XIX, Curtius lib. IIII cap. V, Plutarchus in Alexandro Tom. I OO. p. DCLXIIX, Arrianus lib. II, Diodorus, alii.

NVM. DCCXLVI

Ad numerum insequentem in primo Pal. habetur, *Argonau-*

tarum historia. Sichardina editio ad numerum DCCXLIX eandem ῥῆσιν ponit. Argonautorum epocha, quae frigidius quodammodo a Scaligero ad numerum DCCLIIII fuit pertractata, accurate postea excussa est a Robinsono lib. IIX annal. p. CCCCLXI, et Simsonio Chron. cathol. Part. II p. XXXII, ut aliorum iam mentionem non iniiciam.

NVM. DCCXLVII

Orphei aetatem ad numerum DCCLII collocauit praeter Sichardi editionem primus Palatinus codex. An de cetero Orpheus, qui Argonautarum expeditioni interfuit, Poeta ille fuerit, cuius, ut uolunt, hodieque aliqua habemus, merito dubitamus. Sane si dialecto Dorica scripsit Orpheus, uti ex Metrodoro, medico Pythagoreo, uult Iamblichus cap. XXXIV de uita Pythagorae, iunior sit, necesse est. Nam etiam, Philammonis oracula supposita esse, Pausanias Corinth. cap. XXXVII euincit, ὅτι ἐπὶ Φιλάμμωνος οὐδὲ τὸ ὄνομα τῶν Δωριέων (ἐμοὶ δοκεῖν) εἰς ἅπαντας ἠκούετο Ελληνας. Iam Philammonis tantum non aequalis fuit Orpheus. Ergo, si Philammonis tempore nondum Δωριστὶ scribebatur, quomodo Orphei? At hodie neque Dorica dialectus inuenitur in scriptis Orphei. Quare ea uel iterum a Grammatistis esse interpolata, uel olim iam aliis auctoribus attributa, uidentur. Ego, quantum ex iis, quae Marbodeus περὶ κουραλίου ex Orpheo habet, coniicere possum, ipsi Metrodoro adscribendum iudico περὶ λίθων librum, Orphei nomen hactenus mentitum, putoque, alios etiam Orphei libros Pythagoreorum potius esse ὑποβολιμαῖα scripta, quam Orphei illius uetustissimi, qui Pelasgicis adhuc litteris usus esse a Diodoro Siculo lib. III p. CXL dicitur, γνησίους foetus. Praetereo Dionysii, Aristotelis, et Ciceronis, sententias, qui, quia Orpheus includitur in historia mythica, eum unquam extitisse, inficiati sunt, qua de sententia Mattius Opin. lib. I cap. IV p. CCCLXI, et Albericus Gentilis Virgil. lect. cap. XI p. CV, egerunt.

NVM.

NVM. DCCLIII

Inachus male in *AEchus* a primo Pal. conuertitur. Georgius Syncellus χρονογρ. p. CXLIIX Ινάχον quidem eum uocat, sed imperii annos XLV isti assignat. Adrastum interponit inter Inachum, qui Pausaniae dicitur Ianiscus, et Polybum, tam Seruius ad AEneid. lib. VI, quam Pausanius Corinth. cap. VI. A Manethone Picus iunior, Rex Aboriginum, refertur, si EVsebii ineas rationes, ad numerum circiter DCCXLVI. Hic Inachi filiam, Io, ui rapuisse a Ioanne Malala χρονογρ. pp. XXX, et sequenti, perhibetur. Nos manifestam prioris Inachi cum posteriore confusionem agnoscimus, quam si refutaremus pluribus, bonum nostrum ocium male conterere uideremur.

NVM. DCCLIIII

Periocham de Hypsipyle numero sequenti DCCLV primus Pal. apponit. Pindarus, solus fortasse ex iis, qui in nostras manus deuenerunt, ea, quae de Hypsipyle sub reditu Argonautarum in Lemno gesta esse memorantur, Πυθ. δ fusius exposuit. Scaliger ineptiae arguit eum, qui crederet, octo ab expeditione Argonautica annis hoc demum gestum contigisse. Et sane, si intra IIII statim menses ista, ut Apollonius uult, confecta fuit, ineptum erit credere, ea, quae narrantur, uel sub reditu contigisse. At alii de interuallo ταύτης τῆς ἀναβάσεως aliter sentiunt. Praeterea fortasse EVsebius non tam Argonautarum factum indigitauit, quam ipsarum Lemniadum, qui, quod patrem Thoantem non interfecerat Hypsipyle, ipsam eam interficere decreuerunt, non post unum forte ab Argonautarum abitu annum, et interfeciſſent sane, nisi fuga sibi consuluisset. Tota res a Pindari Scholiasta ad Nemea satis bene explicatur, quem, si tanti est, uide.

NVM. DCCLVI

Omnia, quae ad hunc numerum a Scaligero sunt relata, in Pall. codd. et edd. ueteribus ad num DCCLII leguntur. Iidem libri tam editi, quam scripti, ultima uerba scribunt, *Sphingam uero scribit*

Palaephatus uxorem Cadmi, et propter zelum Harmoniae a uiro recedentem contra Cadmios iniisse bellum. In alio codice pro *constitisse* legitur *iniisse certamen.* Syncellus cum hac lectione facit, quando ex EVsebio eadem his uerbis refert, Καὶ σφιγξὶν (γρ. σφὶγξ ἦν, ἣν) Παλαίφατος Κάδμε γυναῖκά φησι γενομένην, διὰ ζῆλον Ἁρμονίας ἀποστᾶσαν, Καδμείοις πολεμεῖν. De Sphinge tam muliere, quam animali, uideatur Diodorus lib. IIII, Strabo lib. XVI p. DCCLXXV, Agatharchides apud Photium cod. CCL p. ∞CCCLXII, Hyginus fab. CLI, Cedrenus, Malala, et poetae. Harmoniae aetatem dubiam antea examinauimus ad num. DCX.

NVM. DCCLXIIX

Haec de Hercule periocha ad sequentem num. DCCLXIX in primo Pal. reiicitur, qui, una cum reliquis tribus et Sichardina editione, *callidissimam sophistam* male omnino legit. Syncellus χρονογρ. p. CLXIII, τὴν δὲ Ὑδραν, inquit, τὸ μυθευόμενον ζῶον, ὁ Πλάτων σοφίστριαν λέγει δι' ἣν. Αὐτὸς Ἡρακλῆς τὸν Ἐιλεον ἐπόρθησεν. Goarus uoces δι' ἣν redundare arbitratur, locumque ita uertit, *Hydram autem animalis nomine celebratam Plato Sophisticam interpretatur. Hercules Ilium depopulatus est.* Ego hunc στίχον ita emendo, Τὴν δὲ Ὑδραν, τὸ μυθευόμενον ζῶον, ὁ Πλάτων σοφίστριαν λέγει θείαν εἶναι. Ὁ αὐτὸς Ἡρακλῆς τὸ Ἰλιον ἐπόρθησε. Suidas, ΣΦΙΓΓΟΣ ΠΡΑΓΜΑΤΑ ΠΑΡΕΧΩΝ ΠΟΛΛΑ, ἐπὶ πολλαῖς ταῖς ζητήσεσι τῶν ἀτόπων τούτων αἰνιγμάτων, οὐ τῆς Καδμείας Σφιγγὸς, ἀλλὰ Σφιγγὸς μέν τινος ἀτεχνῶς, ἔτι δὲ θειοτέρας, καὶ πολὺ σοφωτέρας. Herculem Ilium cepisse, Pindarus Ισθμ. ε testatur, de AEacidis canens,

δὶς πόλιν Τρώων πράθον, ἑσπόμενοι
Ἡρακλῆϊ πρότερον,
καὶ σὺν Ἀτρείδαις. – . –

Platonis locus in eius EVthydemo habetur. Ille *Sophistriam*, non

non, *Sophiſtam*, uel *Sophiſticam*, legendum eſſe, plane perſuadet.

NVM. DCCLXXII

Bellum hoc primus Pal. ad numerum DCCLXXIII, Sichardina uero editio ad numerum DCCLXXV, collocant. Eadem auctior eſt, quum legit, *libro de incredibilibus primo*, quemadmodum P. Oroſius quoque lib. I cap. XIII habet. Eodem modo in Graeco textu tam in ſylloges EVſebii Scaligeranae lib. I p. XXXI, et lib. II, quam apud Syncell. χρονογρ. p. CLXIII, ſcribitur, ὡς φησι Παλαίφατος ἐν πρώτῃ ἀπίστων. Apud Pauſaniam, lib. I Eliac. cap. X, ἡ ἐν τῷ Πειρίθου γάμῳ Λαπιθῶν πρὸς τοὺς Κενταύρους μάχη itidem memoratur. Nos fabulam illam omnibus ſatis notam iam eſſe cenſemus.

NVM. DCCLXXVI

Turbata hoc in capitulo ſunt omnia. Primus Pal. legit, *agonem ſtatuerit*, et mox, *et ille, in agone fortiſſimus, in contentione uniuerſos ſuperabat*. Quilibet αὐτόθεν perſpicere poteſt, uerba *in contentione* e gloſſa eſſe. Idem pro *Gnoſios* inepte agnoſcit *Gnoſticos*. Reliqui tres Pall. *Goſſios* habent. Legendum ergo eſt *Gnoſſios:* Quanquam uulgatam lectionem damnare plane nolim. Syncellus enim p. CLXIII χρονογραφ. etiam habet, ΑΤτοὶ δὲ Κνώσιοι λέγουσι. Catullus, epithalamio Pelei et Thetidis, uerſ. CLXXII,

Gnoſia Cecropiae tetigiſſent littora puppes.

Porro Homero eodem modo Od. τ Minois regia ἡ Κνωσὸς fuiſſe dicitur, quem ſequitur Plutarchus in Theſeo. At Catullus l. d. uerſ. LXXV, *Gortynia tecta* eius fuiſſe ſedem Regiam, mauult. Taurum τὸν Πασιφάης νοτάριον uocat cum Cedreno Io. Malala χρονογρ. p. CVI. EVſebius eum στρατηγὸν nuncupat, quem Hieronymus interpretatur *magiſtratum*. Gloſſae, ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ, *magiſtratus, duumuir*. Modeſtino ICto ὁ τῆς πόλεως ἄρχων ἐστὶν ὁ στρατηγός. Non ergo audiendus eſt Garcia de Loaiſa ad Iſidori Chron. p. XXVI,

qui non *magistrum Minois*, sed *magistrum militum* e Plutarchi Theseo, et Seruio ad VI AEneid., scribendum esse asseruit. Porro Scaliger malae uersionis EVsebium arguit in iis uerbis, *Ob quod Athenienses pueri tributaria poena liberati sunt.* Non enim, inquit ille, pueri, sed Athenienses, puerorum tributo liberati sunt. Apud Syncellum χρονογρ. p. CLXIII habetur, συνέβη δὲ τοὺς παῖδας διασωθῆναι. AVt igitur in Hieronymi uerbis enallage numeri statuenda est, ut uox *pueri* adeo generandi, non nominandi casu posita sit, aut potius ῥῆσις illa Hieronymi exprimit haec Graeca uerba, Διὸ καὶ οἱ τῶν Ἀθηναίων παῖδες, ὁ δῆπου παρ' Ἀθήναις νόμιζόμενος δασμὸς, ἐσώθησαν. Catullus *electos iuuenes simul et decus innuptarum* dapem Minotauro oblatam esse tradit. Adde EVripidis Herculem furentem, Virgilium lib. VI AEneid., Dionem Chrysost. Orat. XI, et, quae Meursius in Theseo suo collegit.

NVM. DCCLXXXV

Androgei caedem ad numerum DCCLXXXIII, qui est imperii Thesei primus, primus Pal. codex posuit. Mihi potius haec historia uidetur ad numerum saltim DCCLXXX referenda, alteraque de Minotauro ad numerum DCCLXXXIII locanda. Raptum Helenae, a Theseo patratum, Dio Prusaensis Orat. XI commemorauit.

NVM. DCCLXXXIX

Plerique, praeter primum Palatinum, codices alii cum Sichardina editione legunt, *primus ipse constituens.* Pauca hac de re alibi inueniuntur. Nam certe, Strabone teste, τὰ Θησεῖ συμβάντα, ὁποτέρως ἔχει, χαλεπόν ἐστιν εἰπεῖν. Interim de Thesei ad inferos peregrinatione, captaque interea AEthra, Thesei matre, a Castoribus, uide omnino scholiastam Apollonii ad lib. I uers. CI.

NVM. DCCCI

Quidam codices legunt, *leges ac fora constituit.* Si *fora* legendum est, interpretabimur eam uocem per ἀγορὰν, seu *personas*

sonas forenses, quomodo etiam *magistratus* uocem ἀμφιβόλως sumi supra demonstrauimus. Φόρου uocabulum, eodem modo sumtum, in Glosſ. Dufresnii p. ∞ DCXC est inueniendum. De Minoe νομοθέτῃ Lactantius lib. I cap. LXXII, Nicolaus Damascenus in excerptis, Suetonius in Tiberio cap. LXX, Meursius denique in Creta lib. III, sunt conferendi. Paulo post AEgyptiorum Rex *Ammenemes* in nonnullis codicibus *Ammes* uocatur. Georgius Syncellus χρονογρ. p. CLX, Αἰγυπτίων, inquit, νέ ἐβασίλευσεν Αμενσὴς, καὶ Αμενέμης, ἔτη κς'. Lege, ὁ καὶ Αμενέμης. Adde eundem p. LXXIII, ubi ex Africano Αμμενεμνῆς, et p. LXXIII, ubi ex EVsebio Αμμενεμμῆς, scribitur.

ANN. DCCCIIII

Hanc de Karthagine historiam primus Palatinus ad numerum DCCCIIX apponit. Secundum Iosephum, apud Syncellum p. CLXXXII χρονογραφ. laudatum, Karthaginis natalis annus Abrahamiticus esset ∞ CXXVII, si quidem anno post templum Hierosolymis conditum CXLIII contigit eius conditus. Καρχηδόνα, nescio quem Phoenicem, conditorem eius esse, tradit e Stephano Ethnicographo EVstathius ad Dionys. περιηγ. u. CXCIV p. XXXV. Idem e Philisto EVsebius tradit apud Syncell. p. CLXXII χρονογραφίας. *Carthaginem* uocat Hieronymus. At *Carthago* sane non est masculum nomen. Quare etiam Cicero, in De natura Deorum, Karthaginem filiam facit Herculis quarti, Iouis et Astartae filii, quem Tyrii maxime colunt. Sane Herculem Tyrium ad tempora Minois anonymus scriptor apud Suidam in ΗΡΑΚΛΗΣ retulit. Porro *Zorum*, non *Ezorum*, ut syllogeEVsebiiScaligerana, etSyncellus p. CLXXII χρονογρ., male legunt, praeter Hieronymum Karthaginis conditorem uocauit etiam Appianus Λιβυκῶν principio. *Zorus* est *Tsor*, prout Tyrum olim appellarunt. Vide quae hac de re ante Marshamum Simsonius Part. II chron. cathol. p. XLIV obseruauit. In quarto Palatino legitur, *Philistus scribit Azaro ac Tyriis hoc tempore Karthaginem canditam.* In secundo est, *A Roro*

Roro et Carthagine. Vtraque lectio corrupta est. Consule et Petauium de doctrina temporum lib. IX cap. LXIIX. Statim post Sicyoniorum Rex, qui *Polyphides* ab optimo Pal. primo et edd. uocatur, in reliquis libris PPP. *Polipedes* dicitur, pro quo rescribendum fortasse est *Polyphedes.* Πολυφείδης enim Graece scribitur.

NVM. DCCCXII

Primus Palatinus legit, *Sub isto Tautano Rege*, et reliqua. Deinde adscripta ab antiquario, saepius laudato, sunt haec uerba, *Alius codex haec non habet.* Reliqui tamen Palatini, si unum tertium exceperis, pericopen illam agnoscunt. Georgio Syncello, χρονογρ. p. CL, Τεύταμος, ὁ καὶ Ταυτάνης παρά τισι λεγόμενος, nominatur, additurque, Επὶ τούτου Ιλιον ΕΥσέβιός φησιν ἁλῶναι. Idem p. CLXVI, Ταυτάνου γὰρ βασιλεύοντος, inquit, τῆς Ασίας φασὶ τοὺς μετ' Αγαμέμονος Ελληνας ἐπὶ Τρόιαν στρατεῦσαι. Inde perspicere licet, eum Ταυτάνην uocari a Cephalione, EVsebiumque sua e Cephalione atque Diodoro habere. At Diodorus, quum narrat, duce Memnone, auxilium ab isto Priamum accepisse, Teutamum cum Tithono uidetur confudisse, cuius nempe filium Memnonem fuisse, statuunt rerum Troicarum scriptores. Gobelinus Persona Cosmodrom. aet. III cap. XXII, anno Tautanis XVI bellum cepisse Troianum, tradit, quod tamen in EVsebio explicite non habetur. Iornandes de regnorum successione p. IIX etiam docet, Tautanis tempore Graecos Troiam diripuisse. Sequiorum scriptorum consensum sciens praetereo. Sequentem de Theseo periocham ad numerum praecedentem Sichardina editio et primus Pal. retulere. Sequatur hic lector, quod iudicio suo maxime probat. Nos monemus tantum, Theseum Athenas uel, ut supra dixit EVsebius, ἐξοστρακισθέντα, uel cum Pirithoo ad inferos profectum, ad tempus reliquisse.

NVM. DCCCXIII

Sichardi editio hanc ῥῆσιν ad numerum DCCCXVII apposuit, legitque,

legitque, *arma corripiens*, quomodo habetur etiam in libris calamo scriptis. In Graecis est, στρατεύσας διὰ Δαίδαλον, quod est, *propter Daedalum*, et non, *aduersus Daedalum*. Res tamen eodem redit, quocumque demum modo transtuleris uerba. Syncellus χρονογρ. p. CLXIII legit, Ὑπὸ τῶν Κοκάλου θυγατέρων, minus castigate. Strabo lib. VI p. CCLXXIII, OI Καμικοὶ, inquit, τὸ Κωκάλου βασίλειον, παρ' ᾧ Μίνως δολοφονηθῆναι λέγεται. Plutarchus in Theseo Tom. I OO. p. IIX, Δαιδάλου δὲ πλοίῳ φυγόντος εἰς Ἀθήνας, Μίνως, παρὰ τὰ δόγματα μακραῖς ναυσὶ διώκων, ὑπὸ χειμῶνος εἰς Σικελίαν ἀπηνέχθη, κἀκεῖ κατέστρεψε τὸν βίον. Adde porro Strabonem lib. VI p. CCLXXIX, Herodotum lib. VII, Stephanum in ΚΑΜΙΚΟΣ, Athenaeum lib. I, Zenobium cent. IV prouerb. XCII, Iustinum lib. IV, praeter eos, qui a Scaligero iam sunt laudati.

NVM. DCCCXVI

Phaedram Hippolytum amasse, ad numerum XXV Thesei regnantis, qui est Abrahamiticus DCCCVII, in primo Pal. et Sichardina editione annotatur. In iisdem codd. altera de Hercule periocha ad eiusdem imperii annum XXVII, qui respondet Abrahamitico DCCCIX, refertur. Miror ergo Scaligerum, quum in notis fateatur, anachronismum non esse ferendum, si Hippolyti amores, qui sub Theseo contigerint, huc referantur, cur uulgatam ἔκδοσιν Hieronymi non sit sequutus. Georgius Syncellus p. CLXIIII minus itidem commode ad AEgei tempora refert, Φαῖδρα (lege Φαίδρα) Ἱππολύτου ἠράσθη.

NVM. DCCCXIX

Ammanitae legitur in plurimis codicibus, non *Ammonitae*. Nec improbanda est altera scriptura, quanquam non negem, etiam in Scaligerana EVsebii sylloge eos Ἀμμωνίτας uocari. Minori enim in scriptura α et ω facile possunt a librariis confundi. Stephanus Byzantius in ΑΜΑΝΟΝ, Εἰσὶ καὶ Ἀμμανίται, διὰ δύο μμ, γένος τῶν Ναβαταίων Ἀράβων, ὡς Ἰώσηππος. Ἐκλήθησαν δὲ ἀπὸ Ἀμάνου, τοῦ παιδὸς Λώτου, καὶ τῆς νεωτέρας θυγατρός. Consentiunt huic scripturae οἱ ὁ, Ge-

nes. XIX tm. XXXVII, et Syncellus ipse p. CLXIV χρονογρ., ut Cedrenum, Zonaram, Scylitzem, aliosque, praeteream.

NVM. DCCCXXI

Omnia hic tam in editis, quam scriptis libris, turbata sunt. Sichardina editio legit, *Agamemnon Mycenarum annis XIIX*, et deinde ad numerum II Menesthei, qui est DCCCXIII Abrahamiticus, denuo, *Mycenis Agamemnon imperat annis XXXV, cuius regni XIIX anno Troia capitur.* At ipse hoc non capio, si quidem Agamemnon, domum reuersus ex illo bello, ut est apud Virgilium AEneid. lib. XI,

Coniugis infandae prima intra limina dextra
Oppetiit. - - -

Adde Homerum Odyss. Δ. Palatinus primus legit, *Mycenis imperat Agamemnon ann. XIIX, cuius regni anno XV Troia capitur.* Syncellus χρονογρ. p. CLXX, Ἀργείων, inquit, ιζ' ἐβασίλευσεν Ἀγαμέμνων ἔτη ιή, κατὰ δὲ τοὺς ἄλλους, ἔτη λέ. Τῷ ή ἔτει Ἀγαμέμνονος, ὁ κατὰ τῆς Τροίας ἤρξατο πόλεμος, ... καὶ διήνεσεν ἔτη ί, ἕως ἁλώσεως Ἰλίου, εἴτι (lege ἥτις, non ἤτοι, ut Goarus legi posse putat) τῷ ὑποκειμένῳ ιζ' (lege, ιή) ἔτει Ἀγαμέμνονος γέγονεν. Eadem haec, mutila tamen, leguntur in collectaneis EVsebii Scaligeranis, lib. I p. XXXIII. Goarus in notis p. XLVII b. Agamemnonem per XIX annos imperasse existimat, quia nempe non, nisi concessis his annis, annum epochae mundi IIIIMCCCXXX, qui Troiana clade celebris est, attingere potuit. Vetus Chronologus, apud Clementem Alex. στρωμ. ά, per annos XVII regnasse eundem affirmat, quem Dionysius Petauius libro XIII de D.T. sequitur. Nos etiam, in tanta sententiarum uarietate, non temere, quid sequendum sit, pronunciare possumus. Alteram, quae huic numero assignatur, pericopam primus Pal. et Sichardina editio ad penultimum regni Thesei annum, seu numerum DCCCXI, reducit. E Strabonis lib. IIX p. CCCLXIIX constat, Menelaum Castori et Polluci in Laconia successisse, qui, Tyndareo adhuc superstite, e uita, ut ex Apollodoro patet, excesserant.

NVM.

NVM. DCCCXXV

Hanc de Hercule periocham Sichardina editio ad numerum LXIV Mycenarum, qui est Abrahamiticus DCCCXIX, reiicit, ultimaque uerba auctiora ita legit, *Quidam autem anno XXX periisse scribunt. Alii uero ante XXX annos lethum suscepisse ferunt.* Vltima uerba librarii cuiusdam sunt, e margine in textum recepta, qui notarat, aliis in codicibus scribi, *Quidam ante XXX annos lethum eum suscepisse ferunt:* nisi forte in prioribus legas, *ante XX annos*, prout in primo Palatino habetur, a quo tamen reliqui omnes abeunt. In Graecis alia plane, tum lib. I collectionis EVsebii Scaligeranae p. XXXI, tum lib. II p. CXXVII, tum etiam apud Syncellum χρονογρ. p. CLXIIII, e quo prior EVsebii locus corrigendus est, offenduntur.

NVM. DCCCXXVI

Praesens de Alexandro periocha in primo Palatino ad numerum I Mycenarum, qui est Abrahamiticus DCCCXXI, refertur. Subscripsit tamen antiquarius, *Superscripta historia in codice antiquo ad numerum VI Mycenarum habetur, in nouo ponitur, ut hic.* Et sane tres Pall. reliqui, et Sichardina editio, ad numerum DCCCXXI eam collocant. Porro uerba illa *caussa belli* absunt a primo Palatino. Quartus Palatinus *caussae mali* legit, quod ortum est e uera quorundam codicum, inter quos et Sichardinus, lectione *caussa mali. Caussa mali*, uoce *caussa* auferendi casu sumta, nihil aliud est, quam ἕνεκα μήλου χρυσοῦ, ὃ καλλους ἔπαθλον ἦν, prout apud Syncellum p. CLXXII χρονογρ. habetur. AVreum illud Eridis pomum adeo notum est, ut pudeat mentionem eius hic iniicere, nec iniecta esset, si Scaliger locum satis cepisset.

NVM. DCCCXXXIII

Priami hos foederatos Pall. omnes ad unum codd. numero IX Mycenarum, qui est Abrahamiticus DCCCXXIX, apponunt. Iidem, quemadmodum etiam editio Sichardina, *tulere* legunt, non *tetulere*. De Amazonum pugna praeter alios legendus est Malala χρονογρ. p. CLXI. Etiam Syncellus p. CLXXII, Ἀμαζόνες, inquit, Πριάμῳ συνεμάχησαν.

χησαν. At Strabo lib. XII γεωγρ. p. DLII, Αἱ μὲν οὖν Ἀμαζόνες, ait, οὐ συνεμάχουν (τῷ Πριάμῳ) διὰ τὸ τὸν Πρίαμον πολεμῆσαι πρὸς αὐτοὺς συμμαχοῦντα τοῖς Τρωσί. Vide ibi et reliqua. Post Amazones subsidio Priamo uenisse Τιθῶνά τινα Ινδὸν ait Malala p. CLXII χρονογραφίας. Hunc deinde uocat Memnonem; unde suspicor, priori in loco potius scribendum esse, Τιθωνιάδην τινα Ινδὸν, uel Τιθωνοῦ τινος υἱόν. Memnonem hunc et ipsum Troiam uenisse unquam, Philostratus, ut notauit iam Scaliger, inficiatus est.

NVM. DCCCXXXIIII

Mopsum regnasse in Cilicia, innuit etiam Strabo lib. XIV p. DCLXXVI. Ab hoc ergo denominationem accepit, tam Mopsuhestia, quam Mopsucrene, quae tamen diuersa sunt oppida. Mopsuhestia uocatur in omnibus Pall. libris *Mopsiistie*, uel *Mopsistie*, Μόψου ἱστίη uidelicet, *iasi*. Neograece tamen, Μόψου ἱστία, *Mopsiistia*, recte dicitur. Ibi a Malala memoratur, χρονογρ. Part. II p. XIV, Constantius AVG. decessisse. Contra Cedrenus, Zonaras, AVrelius Victor, Hieronymus, alii, Mopsucrenae id contigisse asserunt. Videtur ergo Malala Mopsucrenem, πολίχνιον τῆς Κιλικίας, ut Photio cod. CCLIIX p. ∞ CCCCXLVI uocatur, male cum Mosuhestia, famigeratissima urbe, confudisse.

NVM. DCCCXXXV

Male hic AEgypti Rex in primo Pal. *Thaoris* uocatur. Virgilius lib. XI AEn. *Proteum* tum in AEgypto regnasse prodidit. Secundum Plinium sub *Ramisis* imperio Ilium est captum. Vide eum H. N. lib. XXXVI cap. VIII. Ceterum *Thuori* huic Scaliger non satis accurate sex tantum annos, ut ad Syncellum not. p. XXVI Goarus iam notauit, assignat. Syncellus χρονογραφ. p. CLXIX, Αἰγυπτίων, inquit, νῦ ἐβασίλευσε Θουώρις, ἔτη ι'. At ab Africano, cui Θουωρὶς dicitur, et EVsebio, apud eundem pp. LXXII et LXXIII, tribuuntur eidem anni tantum VII. Ab aliis hic Thuoris *Thonis* nuncupatur. Strabo lib. XVII p. DCC, Τὸ δὲ παλαιὸν, inquit, καὶ Θῶνίν τινα πόλιν ἐνθαῦθά φασιν, ἐπώνυμον τοῦ βασιλέως τοῦ δεξαμένου Μενέλαόν τε καὶ Ελένην ξενίᾳ. Adde

Stepha-

Stephanum Ethnicographum in ΘΩΝΙC, et EVstathium ad Od. Δ uerſ. CCXXIIX. Deinde in conciliatione epocharum in uetuſtis codd. legitur, *a uiceſimo ſecundo anno EVropis ſimiliter anni* DCCCXXXV. Mox in iiſdem habetur, *uſque ad uiceſimum tertium annum Meneſthei:* quae ſcriptura eſt plane emendata. Deinde plane legendum eſt, ut tam in mſſ., quam Sichardi editione extat, *fiunt anni* CCCLXXV. Triceſimus enim quinctus aetatis Moyſis annus eſt Abrahamiticus CCCCLX, quo etiam Cecrops in Attica regnum ſuum inchoaſſe perhibetur ab Hieronymo. Ille enim Syrorum more annum Iulianum a Kl. Octobribus inchoat. Paullo inferius ad eundem hunc numerum primus Pal. legit, *de libro tertio Manethonis.* Flexionem *Manethonis* etiam Sichardina editio agnoſcit. In Graeco textu non βίβλος ſed τόμος habetur. Meminit τοῦ Μανεθῶ τρίτου τόμου etiam G. Syncellus χρονογρ. p. CCLV, e quo loco conſtare poteſt, plures eum non confeciſſe.

NVM. DCCCXXXIIX

Sichardina editio cum primo Pal. legit, *poſt tertium annum*. Solinus ex Caſſii Heminae annalibus AEneam aeſtate poſt Ilium captum ſecunda in Italia ſedem fixiſſe, affirmat. AVguſtinus, tom. V OO. fol. CCXXXIII ſub Meneſtheo id contigiſſe, aſſerit, quem ſequitur e recentioribus Conſtantinus Phrygio. In eodem primo Palatino ad ſequentem numerum adduntur uerba, *Ante AEneam Ianus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus, in Italia regnauerunt annos circiter* CL. Supraſcriptum tamen eſt ab antiquario, al'. *annos circiter* DCL. Vltima haec ſcriptura non inepta eſſe uidetur. Nam Latinis ante Cecropem quoque τὸν διφυῆ Saturnus regnaſſe memoratur. Immo Cedrenus, a quo non multum excerpta, Ioanni Malalae χρονογρ. p. XIX inſerta, abludunt, Saturnum cum Nembrodo eundem fuiſſe uoluit, ὃ δὴ μὲν ὅμως ἐστὶν αἴτημα λίαν μέγα. At prior lectio cum computo Syncelli conuenit, quem conſulere de hac controuerſia, χρονογρ. p. CLXXI, atque cum Gobelino Perſona, Coſmodrom. aet. III cap. XXII, componere, operae precium erit. Equidem

uulgatam ſcripturam et ipſe praetulerim. Quinque enim quinque dictorum Regum aetates, ſi γενεὰ ſecundum Herodotum pro XXX annorum ſpatio ſumatur, annos CL conſtituunt.

NVM. DCCCXL

Primi ſunt Lydi inter eos, quos e Caſtore Rhodio maris fuiſſe dominos EVſebius, et ex eo Syncellus, recenſuerunt. Apud Syncellum ergo p. CLXXII χρονογρ. legendum eſſe iudico, Λυδοὶ, οἱ καὶ Μαίονες, ἐθαλασοκράτησαν ἔτη λβ΄ πρῶτοι. Vltima enim uox nullo modo uel redundat, ut Goaro uidebatur, uel ad ſequentem rubricam, ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΒΑCΙΛΕΙC, referenda eſt. Sic apud eundem p. CLXXX, Πελασγοὶ δεύτεροι ἐθαλασοκράτησαν, et p. CLXXXI, Θρᾷκες τρίτοι, τέταρτοι δὲ Ρόδιοι, καὶ Φρύγες πέμπτοι, ἐθαλασοκράτουν.

NVM. DCCCXLIII

Teuteum hunc, Aſſyriorum Regem, qui ita a Iornande etiam uocatur, *Tantaeum* Sichardi editio appellat. Nec Conſtantinus Phrygio hanc lectionem diſſimulat. In primo Pal. nominatur *Tautaeus*. Gobelinus Perſona Coſmodr. aet. III cap. XXIII cum Scaligeranis editionibus conſentit, in quibus tamen *Teutaeus*, cum Τευταῖος in Graeco textu inueniatur, legere malim. Statim poſt idem Gobelinus rectius legit, *Aſcanius, AEneae filius, Albam longam condidit*. Iornandes de regnorum ſucceſſione p. XIV, *Alba tum erat*, inquit, *Latio caput, Iuli opus*. Vide Varronem lib. IIII de L. L., et lib. II cap. IV de R.R. Cedrenus enim, et ante eum Malala p. CCXIII χρονογραφίας, rerum Romanarum inſigniter ſe imperitos eſſe, cum de hac urbe agunt, fidem fecerunt. Virgilius lib. V AEneid.

Aſcanius longam muris cum cingeret Albam.

Adde Liuium lib. I, ut alios mittam. Mox in ſequenti periocha primus Palatinus, plurimique alii, plane emendate legunt, *quomodo trierem, Tyrrhenorum nauem, fugerit*. Antiquarius tamen ibi annotauit, al'. *trientirenorum*, et, *Scyllam*. Ipſe ergo poſt *nauem* adiecerim uocem *Scyllam* lubentiſſime. Quartus Pal., eadem manente ſententia, cum Sichardi exemplari legit, *quomodo triremi*. Heſychius, ΣΚΥΤΑΛΑ, ναῦς

ΑΑ, ναῦς τις πολεμικὴ, ἴσως ἀπὸ τοῦ σκυλεύειν. De Scylla adde, quae collegit scholiasta Apollonii ad Argonaut. lib. IV uers. DCCCXXIIX.

NVM. DCCCLIII

Hoc gestum omnes Pall. libri cum Sichardina editione ad numerum XXI Latinum, qui est Abrahamiticus DCCCLXII, transferunt. Primus Pal. legit, *Ascanius derelicto nouercae suae Lauinû albam condidit.* Malim exinde rescribere, *Ascanius, derelicta nouerca sua Lauinii, longam Albam condidit.* Falsum enim est, ideo Ascanium statim regnum dereliquisse, quia Albam maluit esse metropolim. Deduxit potius Ascanius, filius, ut Dionysius uoluit, Lauiniae, uerius uero eius priuignus, coloniam, condiditque, μετὰ τῶν ἀπὸ τοῦ Λαβινίου Λατίνων, Τρώων ὄντων, Albam longam. Adde Syncellum χρονογρ. pp. CLXXVII et CXCIV. Nihilo minus Rex Latinorum esse non desiit, neque Lauinia eius loco dominata esse apud ullum scriptorem legitur, uel etiam Romanum imperium diuisum fuisse. Suspicatur tamen Dionysius Halicarnassensis, sub muliebri aliquando tutela regnum Latinorum fuisse, cum nondum fuerit post obitum AEneae Ascanius imperio maturus, nec diffitetur tamen, omnia esse ἄπορα, καὶ παραδόσεων γεμοῦντα, quae eruant οἱ τὰ Διὸς ἐνύπνια assecuti.

NVM. DCCCLIIII

Sacerdos ille Delphicus Straboni lib. IX p. CCCCXXI, et Syncello p. CLXXI χρονογρ. MAXAIPETC nuncupatur. Primus Pal. hoc in loco *Macherei*, reliqui cum Sichardino libro *Macharei* legunt. Scribendum omnino est *Machaerei.* Non nego, *Macareum* nomen Graecum esse. Noui enim ἕνα τῶν ΗΛΙΑ παίδων scholiastae Pindari ad Olymp. ζ' ita uocari. Sed ille ad nostrum Machaereum non pertinet. De Pyrrhi caede consule omnino Simsonium Chron. cathol. Part. II p. XCI. In eodem primo Pal. legitur, *quo tempore quidam Homerum fuisse dicunt*, demto τῶ etiam.

NVM. DCCCLVII

Haec de Tisameno periocha ad num. XXVI Latinum, qui est Abraha-

Abrahamiticus DCCCLXVII, in primo Palatino collocatur. Sichardi editio eam ad numerum XXVI Atticum, qui Abrahami anno DCCCLXI respondet, appoſuit. Perperam a tribus PPP. libris *Tyſamenus*, et in Sichardi editione *Tiſſamenus*, hic Tiſamenus uocatur. Ineptam λατρῶ τῶ λεγομένου Ζευξίππα etymologiam ante nos excuſſit Scaliger. Vide de eo, praeter auctores ab eo laudatos, Chronicum Paſchale p. DCXX, et Io. Malalam χρονογρ. p. CCCLXXXIV, quibus iunge Dufreſnium in CPoli Chriſtiana lib. I Sect. XXVII. Pro *Byzantiorum*, quod gentile agnoſcit etiam Stephanus ὁ ἐθνογράφος, ipſe etiam Byzantius, ut ex Tzetzae Chil. III hiſt. C conſtat, quemque *auctorem Ethnicon*, non *auctorem ethnicum*, id eſt, *gentilem*, uocauit ad Ariſtophanem Chriſtianus. Alteram enim ſcripturam typothetae oſcitantiae, non auctoris inſcitiae, deberi, ſecus, quam A. Berkelius in praefatione ad Stephanum uoluit, omnes fatebuntur, quibus Chriſtiani illius eruditio eſt cognita.

NVM. DCCCLXII

Palatinus primus et Sichardi editio hanc pericopem ad numerum XLIII Latinum, qui cum Abrahamitico DCCCLV conuenit, reiiciunt. Iidem codd. alteram, a Scaligero numero DCCCLXVI appoſitam, ad numerum XX Latinum, qui eſt DCCCLXI Abrahamiticus, referunt. Syncellus χρονογρ. p. CLXXI, OI Ἐκτορῶν, inquit, παῖδες τὸ Ἴλιον ἀνεκτίσαντο, τὰς Ἀντηνορίδας ἐκβαλόντες, Ἑλένου γνώμῃ, μετὰ τὴν ἅλωσιν Τροίας. Antenoridae ergo non tam urbem Troiam tenuerunt; Eam enim reſtaurarunt Hectoridae: quam ditionem Troicam poſſederunt. In EVſebii tamen eclogis Scaligeranis, lib. II, p. CXXX, τὸ Ἴλιον ἀνεκτήσαντο legitur. Quamnam partem τῆς Τρωικῆς πεδίας Antenoridae inſederint, Strabo lib. XIII p. DCVII docet, qui, p. DCVII, eosdem Ἀντηνορίδας, τὰς Αἰνείᾳ συνάρχοντας, uocauit.

NVM. DCCCLXVII

Iulium filium primus Palatinus nominat *Iulum filium*. In eodem annotauit antiquarius, al⁹. *Iulium Syluium*, quam lectionem retinent tres PPP. et Sichardina editio. *Iulum* ſane uocant Strabo

Strabo lib. XIII p. DXCV, et plerique alii. *Siluium* si retinemus, meminerimus, quod dicatur numero DCCCLXXIX, omnes a Siluio Postumo, Albanorum Rege, *Siluios* esse dictos. ὁ τρόπος, ἀναχρονισμός. οὕτω γὰρ ἦν ὁ Σιλούϊος ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ ἡ τῶν βασιλέων ἐπωνυμία. Adde eclogas ex EVsebio Scaligeranas, lib. I p. XXXIV, et Syncellum, p. CLXXVII, ubi utrobique uocatur Σιλούϊος Ιούλιος. Mox pro *Oxyntes* primus Pal. legit *Oxintes*. Syncello χρονογρ. p. CLXXIII ὁ Ζύνης scribitur, pro quo, etsi Goarus id non monuerit, οξύντης legendum erat.

NVM. DCCCLXXXIX

Reges Sicyonios tam hic, quam paullo post, omnes codd. Pall. regnasse aiunt *annis* DCCCLXII; quod miror, quum satis constet, per rationes EVsebii chronologicas, scribendum esse, annis DCCCCLXII. AVgustinus, lib. XIX de C. D. cap. XIX, annos DCCCCLIX colligit, quot etiam Castor, apud Syncellum p. XCVII χρονογρ., supputasse perhibetur. Syncellus tamen ipse p. CLII quinque annis maiorem, quam EVsebius, subduxit annorum summam. Vide, quae ibi Goarus obseruet. Africanus apud Malalam χρονογρ. p. LXXXIII cum Hieronymiana supputatione etiam non facit, quando ait, Τῶν δὲ Σικυωνίων ἐβασίλευσε πρῶτος ὁ Αἰγιαλεὺς, ἔτη νβ', καὶ λοιπὸν ἄλλοι βασιλεῖς κς', (scribendum est, κέ. Alioquin enim XXVII Reges Sicyoniorum fuisse dicerentur, quod ἀνιστόρητον) ἕως Ζευξίππου τοῦ βασιλεύσαντος αὐτῶν ἔτη λβ', καὶ λοιποὶ οἱ ἱερεῖς αὐτῶν ἐδιοίκουν τὴν χώραν, καὶ κατέσχεν ἡ βασιλεία αὐτῶν ἔτη ἐνακόσια πέ. Scilicet, secundum Africanum, si Regum δυναστείαν annorum DCCCCLIII, et sacerdotum annorum XXXIII, uni summae includas, numerus inde resultat DCCCCLXXXV. Cedrenus annos DCCCCLXXX tantum numerat, ut adeo, si XXXIII annos reseces, regnum ipsum durasse ei dicatur per annos DCCCCXLVII. Sed intricatiora haec mittamus, ne e fabulis ueritatem extorquere uideamur. Mox in tribus PPP. *Sacerdotes carnis* inepte legitur. Sacerdotes Carnii sunt οἱ τοῦ Καρνείου (Ἀπόλλωνος) ἱερεῖς. Hi, cum Reges defecissent, non quidem Reges fuere, sum-

mam tamen apud Sicyonios auctoritatem obtinuere, quemadmodum apud Hebraeos etiam non semel est factum. Per annos XXXIII eos gubernationi imperii praefuisse, apud Syncellum etiam p. XCVII dicitur, qui tamen inemendate Χαξιδήμοσον uocat ultimum, non Χαρίδημον. In Latinis codd. etiam hoc nomen corrupte scribitur. Quidam enim libri *Cariademum*, primus Pal. *Chariademum*, habet. In eodem legitur, *Castoris Chronographi de Sicyoniorum regno, Exponimus*, et, quae sequuntur. Puto huic ῥήσει in Graecis exemplaribus suprascriptum fuisse, ΚΑCΤΟΡΟC ΧΡΟΝΟΓΡΑΦΟΥ ΠΕΡΙ CΙΚΥΩΝΙΩΝ ΒΑCΙΛΕΙΑC. Ita enim Graeci ἐλλειπτικῶς, ut uel ex Anthologia Graeca patet, loqui amant. Marshamus omnia haec ἀγνοήματα ἱστορικὰ, quae Castor Rhodius prodidit, suspecta habet, qui omnino, cum non contemnendis argumentis pugnet, hanc in rem pp. XV et CCCLIII Can. chron. uidendus est. Torniellus tamen, Labbaeus, Cappellus, aliique recentiorum Chronologorum, EVsebium κατὰ πόδα sequuti sunt. Mox, cum Attica epocha tractatur, primus Pal. legit, *prouocasset ad pugnam Xanthus*. Alii plerique codd. perperam Xanthum illum uocant *Sanctum*. In Graeco enim textu itidem uocatur Ξάνθος apud Syncell. χρονογρ. p. CLXXI, quem recte sequitur Sichardus. Porro in eodem primo Pal. legitur, *quia uictoria fraude processerit*. Sichardus edidit, *qui ad uictoriam fraude processerat*. In eodem *Erechtheidae* uocantur, qui uulgo scribuntur *Erechthidae*, e Graeco Ἐρεχθεῖδαι.

NVM. DCCCCIIX

Mira omnium scriptorum de aetate Homeri est discrepantia. Plinius lib. VII H. N. ante annos prope mille Homerum floruisse uoluit. Hunc sequitur Io. Harduinus in Chronologia V. T. p. LXIIII. Scripsit Plinius anno Titi primo historiam suam. Ab eo si retro numeres annos ∞, ad numerum Abrahamiticum ∞ CLXXXV Homeri aetas esset referenda. Nos in praesenti istius controuersiae non faciemus nos participes, cum alia restent examinanda. Primus Pal. legit, *Eratosthenes post centesimum annum*. In eclogis

EVsebii

EVsebii Graecis, p. CXXXII lib. II, habetur, μετὰ ἔτη ρτ΄ Τρωϊκῶν, minus castigate. Rectius apud Syncellum χρονογρ. p. CLXXX legitur, ἔτη ρ΄. Idem Palatinus postea correctius legit, *Philochorus emigrationis Ionicae tempore, sub Archippo.* EVsebiana collectanea, οἱ δὲ περὶ Φιλόχορον ἐπὶ τῆς Ἰωνικῆς ἀποικίας καθ' ἕνα, καὶ λοιπά. Syncellus, οἱ δὲ περὶ Φιλόχορον, τὸν τοῖς Ἰωνικῆς ἀποικίας (γραφέα,) καθ' ἕνα, et reliqua. Ita emendat locum Goarus, Scaligerumque EVsebii textum deprauasse asserit. Ratio eius est, quod, si Scaligeri emendationem sequamur, Aristarchus idem iam dixerit. Nos istam rationem, ut mitissime dicamus, ualde lubricam esse, ad oculum cuiuis demonstraturi sumus. Nimirum Aristarchus Ionicae migrationis epocham ad annum a Troia capta c, Philochorus contra ad annum CLXXX, referebat. Etsi igitur uterque Homeri aetatem ad ἀποικίαν τηνδὶ referebant, tamen non eodem respectu id faciebant, neque adeo inde, Philochorum unquam in Aristarchi sententiam transiisse, a quo in aetate migrationi Ionicae assignanda dissentiebat, plane existimo. Altera Goari ratio est, EVsebium Latinum Graeca uerba uertere, *post emigrationem Ionicam.* Goarum omnes κρητίζοντα agnoscunt, quibus iste ad manus est. Neque putandum, e Scaligeri officina primum eam prodiisse. Sichardus enim eodem fere tenore habet, *Philochorus emigrationis Ionicae tempore, sub Archippo.* Mss. libri itidem non uariant. Qua fronte igitur Goarus EVsebium interpolet, equidem nescio, et miror ualde, inprimis cum et altera lectio parum faueat eius emendationi, quae scriptum in EVsebio esse, μετὰ τῆς Ἰωνικῆς ἀποικίας, fidem potius faceret. Tandem per Philochorum, τῆς Ἰωνικῆς ἀποικίας γραφέα, Philochorum, τὸν Ἀτθίδος συγγραφέα intelligit, quia uidelicet in iis libris de Ionica migratione actum fuerit. Quaero iam ex Goaro, si Ionicae emigrationis tempore negauit Homerum fuisse Philochorus, quia nempe id affirmarat ad Archilochi carmina Aristarchus, cur eum iam a pericopa aliqua Ἀτθίδος librorum τὸν ἀποικίας Ἰωνικῆς ἱστορίαν συγκαμένον uocet? Deinde uidendum est, an omnino haec di-

xerit, ἔν τινι τῆς Ατθίδος βίβλῳ. Namque, quia nomen Archontis additur, potuit hoc etiam dixisse ἐν βιβλίοις ις' περὶ τῶν Αθήνησιν ἀρξάντων, quos, tanquam diuersos ab Atthide eius libros, recensuit Suidas: quanquam, ut, quod res est, fatear, uidetur libros Ατθίδος, et chronologiam Archontum male a se Suidas separare. Neque iuuerit Goarum, si uel maxime hi libri sint iidem, quin potius, si Homeri meminit, ubi agit de Ionica expeditione, Philochorus, uero simillimum est, eum eodem etiam tempore statuere Homerum uixisse. Si statuit, quid inepti tandem fecit Scaliger, quod uocem ΤΟΝ in ΕΠΙ mutarit, ex mente Hieronymi, quum ipse Goarus lacunam, quam sibi uidetur obseruasse, non nisi commentis suis repleat, et discere adhuc debeat, τοὺς περὶ Απολλόδωρον, τοὺς περὶ Φιλόχορον, τοὺς περὶ Ερατοσθένην, non esse *eos, qui Apollodoro fauent, et Eratosthenis asseclas, et Philochorum sequentes:* sed *Apollodorum, Philochorum, Eratosthenem;* nisi fortasse τὰς περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίαν Io. XI com. XIX *mulieres Marthae et Mariae fauentes* eodem delirio interpretari uelit. Adde, si tanti est, de hac periphrasi, Graecis tam familiari, Rualdum in uita Plutarchi, Tomo I OO. praefixa, cap. ult. p. LXII. b. Archippum hunc Tzetzes Grammaticus, ad Hesiodum prolegomenis, Αρξιππον uocauit. Ita enim ille, οἱ μὲν, inquit, προγενέστερον εἶναι Ησίοδον Ομήρου διϊσχυριζόμενοι, ἐν ἀρχαῖς φασιν Αρξίππου ἀρχῆς Ησίοδον, Ομηρον δὲ ἐν τῷ τέλει, βιῶναι. Secundum EVsebium ad numerum ∞ XV, si quidem CLXXX anni inter Homeri aetatem et halosim Troiae intercedere debent, qui est Archippi XII, Poetae tempora referenda sunt. Syncellus χρονογρ. p. CLXXII anno Menesthei ultimo Troiam captam ait. Ab eo usque ad ultimum Archippi annum, colliguntur intercessisse CLXXXIIX anni. Sequitur ergo omnino, circa annum XI Archippi Homerum secundum calculum Syncellianum floruisse, non tempore Therspi, quod uoluit Goarus. Porro tam in primo, quam reliquis codd. Pall., legitur, *Apollodorus Athenienſis CCXL anno euerſionis*

euersionis Ilii. Miror Scaligerum, non tam, quod dicat, in omnibus codd. fuisse CCLX, quam, se primum emendasse CCXL. Vtrumque enim falsum est, nisi suos tamen codd. tantum intellexerit. Sed Sichardina editio quoque, ne Scaligero iniuria uideatur facta, conceptis uerbis habet, *CCXL anno.* Porro neque Philochorus, neque Aristarchus, quod Scaliger ait, Ionicam migrationem anno ab euersa Troia CXL statuunt: Sed Aristarchus quidem anno tantum C, ut supra dictum est, Philochorus uero anno CLXXX. Neque tamen conueniunt Eratosthenes, et Aristarchus, prout uideri posset, omnino. Eratosthenes enim τῶν Ἡρακλειδῶν κάθοδον post Troiam captam anno LXXX contigisse apud Clement. Alexandr. στρωμ. ά affirmat. Porro post Heraclidarum reditum annis XL colonia Ionica deducta est. Vixit ergo Homerus, secundum Eratosthenem, annis XX ante coloniam deductam Ionicam. Sed Aristarchus ipse coloniae istius deductae tempore uixisse Homerum memorat, scilicet, quia cum Strabone anno LX post Troiam captam Ἡρακλειδῶν κάθοδον ἀναγράφει. Philochorus tempore quidem deductae coloniae Ionicae Homerum uixisse scribit, sed annis LXXX posteriorem eam fecit, quam Aristarchus, ut adeo Homeri aeuum secundum Philochorum in annum CLXXX post captam Troiam conueniat. Goarus Syncellum uertit, *Quidam, ad Aristarchi mentem, post alios annos centum, quibus Ionicae coloniae deducebantur.* Si haec mens Syncelli esset, uixisset secundum Aristarchum Homerus, siquidem CXL anno ab excidio Troiae Ionica migratio accidit, annis CCXL post Troiana tempora. At omnia haec λῆροι. Enimuero in Graeco est, οἱ δὲ περὶ Ἀρίσταρχον, κατὰ τὴν Ἰωνικὴν ἀποικίαν, μετὰ ἔτη ε'. Verte, *Aristarchus uoluit, Homerum uixisse Ionicae migrationis tempore, post euersum Ilium anno C.* Εν μεταξὺ enim addendum est ad Graeca uerba, τῶν Τρωϊκῶν, quod statim praecesserat. Qui Graece sciunt, lingaeque genium

um intelligunt, aliter haec uerba uerti non debere, facile concedent, et in Syncello, si Goari uersio probanda esset, legendum iudicabunt, ΟΙ δὲ περὶ Ἀρίσταρχον μετὰ τὴν Ἰωνικὴν ἀποικίαν ἔτη ϛ'. Statim post omnes Pall., et Sichardi editio, legunt, *CCCC retro annis Troianae captiuitatis:* quomodo paullo ante legitur, *CCXL anno euersionis Ilii.* Deinde in iisdem Pall. libris scribitur, *licet Archilochus uicesima tertia Olympiade, et quingentesimum Troiae euersionis annum supputet.* Excidit fortasse post uocem *Olympiade* uel *affirmet*, uel simile uerbum, uel legendum est, *circiter quingentesimum*, prout in Graeco textu est, μετὰ ἔτη Φ' που τῆς ἁλώσεως. In altera de AEnea Siluio periocha mss. codd. iterum in diuersas lectiones abeunt. Alii enim agnoscunt cum primo Palatino, *quarto Latinum Siluium, ... et quinto, qui nunc hic ponitur quartus Siluius, AEneam Postumi filium.* In aliis est, *Siluium AEneae Postumi filium.* Lectio primi Palatini uera est. Omnes enim Albanorum Reges Siluii uocati sunt, ut numero DCCCLXXIX docetur. Quartus ergo Siluius nemo alius est, quam quartus Rex Latinorum. Posset tamen etiam legi, *qui nunc hic ponitur quartus Siluius, Siluium AEneam, Siluii Postumi filium.*

NVM. DCCCCXII

Dercilum hunc Assyriorum Regem, etsi tres PPP. per I Latinum scribant, malim tamen cum antiquissimo libro, et Iornande, *Dercylum* uocare. Sylloge EVsebii Scaligerana, lib. I p. XXIX, Δέρκυλος legit. At Syncellus, χρονογρ. p. CLV Δερκύλος habet. Gobelinus Persona Cosmodr. aet. III cap. XXV, *Dercillum* eum nuncupat, eiusque ait tempore Homerum secundum quosdam fuisse. *Dercyllidas* Lacedaemonius mihi quidem non ignoratur, tamen *Dercyllus* reponere, quum nomen requiratur Assyrium, temere cum quibusdam nolim.

NVM.

NVM. DCCCCXV

Pericopae hae ita leguntur in primo Palatino, *EVryſtheus primus Rex regnauit in Lacedaemone, an.* XLII. Et mox *Aletes primus Rex regnauit in Corintho ann.* XXXV. Eodem modo Gobelinus Perſona, *Anno tertio Dercilli*, inquit, *incepit regnum Lacedaemoniorum, ubi primus regnauit EVryſtheus. Eodem anno incepit regnum Corinthiorum, ubi primus regnauit Aletes.* Adde ex Africano Io. Malalam p. CXI χρονογραφίας.

NVM. DCCCCXXX

Iones profugiſſe Athenas ad numerum XIIII Spartanum, qui eſt DCCCCXIX Abrahamiticus, annotant codd. ſcripti, et Sichardi editio. Metachroniſmum Scaliger hic comminiſcitur, atque fugam ait illam Melanthi tempore accidiſſe. Atqui ſciendum erat, poſt Melanthi mortem, Codri tempore, Heraclidas bellum denuo Atticae mouiſſe, Megaricaque ditione occupata, incolas ex Ionibus Dores feciſſe. Probo, quae dixi, e Strabonis lib. IX γεωγρ. p. CCCXCIII, qui, οἱ δὲ Ἡρακλεῖδαι, inquit, ὅτε Κόδρῳ ἐβασίλευσε τῆς Ἀττικῆς, ἐστράτευσαν ἐπὶ τὴν Ἀττικήν. Ἡττηθέντες δὲ μάχῃ, τῆς μὲν ἄλλης ἐξέστησαν γῆς, τὴν δὲ Μεγαρικὴν κατέσχον, καὶ τοὺς ἀνθρώπους Δωριέας ἀντὶ Ἰώνων ἐποίησαν.

NVM. DCCCCXLVI

Haec pericopa in primo Pal. et Sichardina editione hic quidem deeſt, binis tamen aliis in locis, uidelicet tam ad numerum XIIX Spartanum, qui eſt DCCCCXXXIII Abrahamiticus, quam ad numerum XXXVII Lacedaemonium, qui eſt DCCCCLII EVſebianus, uiſitur. Pro *Peloponnenſes* tres PPP. poſteriores *Peloponeſes*, primus *Peloponneſſes*, legunt. Sichardus, ut Scaliger,

liger, *Peloponnenſes* edidit. Sane *Peloponneſſes* ueteri ſcribendi more pro *Peloponnenſes* ſcriptum eſſe uidetur, quomodo COSS. exarabatur pro CONSVLES, et CESS. apud Varronem pro CENSORES, et REPRESSO apud Sueton. Calig. cap. IX, quod L. Torrentius ad l. d. p. CCLXXXVI uidit, pro REPRENSO, ut alia exempla praeteream. Salmaſius tamen hic addit, legendum eſſe, *Peloponneſenſes*, quod ſaepe corruptum occurrere apud ueteres teſtatur.

NVM. DCCCCXLVII

Gad, Nathan, & Aſaph, prophetae, in primo Pal. et Sichardina editione ad numerum X Hebraeum, qui eſt Abrahamiticus DCCCCL, referuntur. Syncellus χρονογρ. p. CLXXVII, Οἐπ' αὐτοῦ (lege, Οἱ ἐπ' αὐτοῦ) Γὰδ, καὶ Νάθαν, καὶ Ασὰφ, προεφήτευον. In ſecunda ad hunc numerum periocha primus Palatinus, ut ſupra, *Erechtheidarum* legit, et deinde ſcribit, *quod CCCCLXXX annis perſeuerarat.* Notauit ibi antiquarius, aliis in codd. legi *uel CCCLXXXII annis, uel CCCCLXXVII annis.* Et certe duo Palatini habent, *CCCLXXXII annis.* Sane uero a Cecrope uſque ad hunc numerum anni intercedunt CCCCLXXXVII. Error eſt e uetuſtiore ſcriptura CCCCLXXXII, ubi V ultimo X imponebatur. Poſteriora uerba in CCCXXVII *annis* mutanda. Doctus enim librarius tam a primo Cecropis anno, quam a primo Erechthei, tempora ſupputauit. Porro nec, cum Codro Erechthidarum imperium defeciſſe, dici poteſt, quum Medon eius filius fuerit. Syncellus χρονογρ. p. CLXXIIX, Επὶ Θυμίτου, inquit, (ſcribe Θυμοίτου) ἡ τῶν Ερεχθειδῶν βασιλεία κατελύθη παρ' Αθηναίοις. Adde EVſebium Latinum numero DCCCLXXXIX. Tum uero interceſſerant, a Cecrope ſi rationes ineas, anni CCCCXXX. Fortaſſe Hieronymus dicere tantum uoluit, certe debuit, cum Codro Regum nomen Athenis eſſe abolitum. Sichardus legit, *In quo Heraclidarum imperium deſtructum eſt, quod CCCLXXXII annis perſeuerarat.*

At

At ista lectio uel ex eo falsitatis arguitur, quod inter mortem Herculis, qui est ad numerum DCCCXV, et Codri, uix CXLII anni intercedant. Porro, quae tertia ad hunc numerum est pericopa, ea in primo Palatino praecedenti annectitur hoc modo, *post quem principes, siue magistratus, quos mors finiebat* (*finierat* est in Sichardina editione, et tribus PPP. reliquis) *quorum primus MEDON, Codri filius, annis xx.* Syncellus χρονογρ. p. CLXXIIX, Αθηναίων, inquit, ιή ἐβασίλευσε Μελόδων, ἔτη κ΄. ΟΥΤΟΣ πρῶτος τῶν διὰ βίου λεγομένων ἀρχόντων παρ' Αθηναίοις. Corrupta haec leguntur uerba etiam in eclogis EVsebii Scaligeranis lib. I p. XXXV. Vtrobique nempe, etsi Goarus id praetereat, plane legendum est, ἐβασίλευσε Μέδων. Αρχὴν ὑπεύθυνον enim in Medonte hoc coepisse, Velleius docet sequentibus, *Codri filius, Medon; primus Archon Athenis fuit. Ab hoc posteri apud Atticos dicti Medontidae:* qui scilicet Straboni sunt *Codridae.* Adde Pausaniam cap. V extrem. Messen. Porro Medon βασιλεύειν hoc in loco ἀκύρως dicitur Syncello pro ἄρξαι. Idem tamen fit in marmore quoque Arundelliano, in cuius epocha XXIX, cum in marmore sit, ΒΑCΙΛΕΥΟΝΤΟC ΑΘΗΝΩΝ ΜΕΝΕCΘΟC, malim emendare, βασιλεύοντος Αθηνῶν Μέδοντος, quam cum Lydiato et Humfredo Prideaux reponere, βασιλεύοντος Αθηνῶν μὲν Νηλέως. Nullus sane unquam Chronographus Neleum inter Atticos recensuit Archontas, etsi multi, eum cum Medonte de imperio dissidia fouisse, prodant. Eadem cetero-qui ratione Antigonus Carystius, παραδόξων συναγωγῇ, cap. CXXXIII, ἐπὶ βασιλέως Επαινέτου, pro, *Archonte Athenis Epaeneto*, dixit. Neque enim caussae quid, his obseruatis, subest, cur Io. Meursius p. CLXXVI notarum miraretur, Epaenetum Regem uocari, cum tamen ante Olymp. XXXIII, cuius ibi mentio iniicitur, Regum dudum Athenis nomen usurpari, desierit.

NVM. DCCCCLIIX

Agis hic, Lacedaemoniorum secundus Rex, a quo *Agidae*, male in primo Palatino *AEgis*, in reliquis *Egis*, in Sichardina

editione *Argis* uocatur. Ille Simsonio Chron. Cathol. Part. III p. V, per VII annos regnasse uidetur. Alii Chronologi cum Hieronymo faciunt. Mox in omnibus codd. legitur, *post quem Archestratus an.* XXXV. Annotatur tamen ad primum Palatinum uaria lectio, al'. *Ecbestratus*: quam tres PPP. posteriores retinent, quaeque Graecis Syncelli uerbis, χρονογρ. p. CLXXIX, confirmatur. Interim eodem modo, qui Ἀρχέλαος ὁ Πενθίλου uocatur Straboni lib. III p. DLXXXII, Pausaniae cap. II Lacon. Ἐχέλαος ὁ Πενθίλου dicitur, ut adeo E cum Syllaba AP a librariis non raro commutatum fuisse uideatur.

NVM. DCCCCLXVI

Primus Palatinus ad numerum DCCCCLXV legit, *Mycena in Italia condita, quae nunc Cumae.* Eodem modo habet et Sichardina editio. Reliqui PPP. legunt, *Mycena condita in Italia.* In uno eadem historia ad numerum DCCCCLXVII est apposita. Scaliger emendat, *Cyme in Italia condita, quae nunc Cumae.* Fortasse haec emendatio recte se habet. Nam quia *Myrina* praecesserat, librarius oscitabundus syllabam primam eius uocis repetiisse, monstrumque illud lectionis inde efformasse, uidetur. Ipse tamen ueri similius puto, Hieronymum *Misenum* non *Mycena* scripsisse, illamque urbem cum Cumis confudisse, quia ea a Cumis non procul distabat. Dio, lib. XLIIX, Ἐν τῇ Κύμῃ, inquit, τῇ Καμπανίδι χωρίον τι μεταξὺ Μισηνοῦ καὶ Παλαιόλων, μηνοειδές ἐστι. Tacitus Annal. lib. XV cap. XLVI, *Et graui*, ait, *Africo, dum promontorium Miseni superare contendunt, Cumanis littoribus impacti, triremium plerasque amiserunt.* Strabo lib. XV p. CCXLIII, Πλησίον δὲ τῆς Κύμης τὸ Μισηνὸν ἀκρωτήριον. Apud Iosephum ergo lib. XIX cap. I legendum esse censeo, ἀπὸ Διπαιαρχίας, τῆς πόλεως ἐν Καμπανίᾳ κειμένης, εἰς Μισηνὸν, (non, Μεσηνὲ) ἑτέραν πόλιν ἐπιθαλάσσιον. Plane igitur uerum est, prout olim etiam Abrahamus Ortelius in Thesauro Geographico, uoce MYCENA, suspicatus est, duo diuersa loca ab Hieronymo hac in periocha confundi.

NVM.

NVM. DCCCCLXIIX

Epheſi conditorem *Androcum* uocant duo codd. Palatini. Primus tamen et ultimus cum Sichardina editione legunt, *Epheſus condita ab Androco, ſiue Andronico.* Stephanus alia omnia de conditu Epheſi habet. Ego puto, tam in Graeco, quam Latino, EVſebio olim fuiſſe, ὑπὸ Ἀνδρονίκῳ, *ab Andronico.* Sane adhuc Syncellus χρονογρ. p. CLXXXI, ΕΦΕΣΟΣ, ait, ἐκτίσθη ἐν Ασίᾳ ὑπὸ Ἀνδρονίκῳ. Poſtea doctus librarius ad marginem appoſuit, eum aliis auctoribus *Androclum* uocari: unde et illud ipſum in textum eſt receptum. Athenaeus lib. IIX e Creophylo narrat, partem Epheſi, Τρηχεῖαν dictam, ab Androclo oppido eſſe incluſam. Atqui hoc non erat, totam Epheſum condidiſſe. Arbitror ergo in Graeco textu fuiſſe, ΕΦΕΣΟΣ πόλις, quod male uertit interpres, *Epheſus.* Πόλεις enim dicebantur non ſemper integrae urbes, ſed interdum etiam partes urbis maioris, e quibus urbs integra coaleſcebat. Hinc Syracuſae et Athenae μεγαλοπόλεις uocantur a Pindaro in Pythiis, ipſique Stephano Κορισσὸς, ὑπὲρ ὄν, teſte Strabone, ἡ Τρηχεῖα ἦν πωρώδει, πόλις τῆς ΕΦΕΣΙΑΣ uocatur.

NVM. DCCCCLXXXIV

Periochen ad hunc numerum alteram Sichardina editio ita legit, *Colligitur autem omne tempus a Moſe et egreſſu Iſrael ex AEgypto, uſque ad praeſentem annum, anni* CCCCLXXX, *ut Regnorum liber primus in teſtimonium eſt. Secundum tertium librum Regnorum a Moſe et egreſſu Iſrael ex AEgypto uſque ad Solomonem, et aedificationem templi, computantur anni* CCCCLXXX. Vltima prioris paragraphi uerba in primo Palatino leguntur, *ut Regnorum liber* III *teſtimonio eſt.* Et tamen adduntur et ibi uerba, *Secundum tertium*, et reliqua, quae uaria lectio erant. Lectionem priorem Palatini codicis primi approbat Syncellus p. CLXXIV χρονογρ., quem uide, et ad eum animaduerſiones Goari,

pp. XLIX et L, adde. Scaligerana enim Critica ibi ad examen, nec immerito, nec negligenter, uocata est.

NVM. ∞ III

Primus Pal. periocham, quae in Scaligerana editione ad numerum ∞I habetur, huc refert, legitque, *Karthago secundum nonnullos conditur a Didone.* Vide, quae diximus supra ad numerum DCCCIV, et adde Syncellum χρονογραφ. p. CLXXXI. Mox post Acastum, quem alii *Agastum*, Syncellusque pp. CLXXIIX et CLXXXV Ακαστον, uocauit, Archippus imperauit, quem mss. codd. quidam *Acrippum* corrupte scribunt. Αρξιππον Io. Tzetzae ad Hesiodum eundem nominari, ad numerum DCCCCIIX iam docuimus.

NVM. ∞ XIII

Smendis uocatur in scriptis codd. et Sichardi editione, qui *Semendis* est Scaligeranae. In eclogis EVsebii Scaligeranis eodem modo σέμενδις habetur. At Syncellus χρονογρ. p. LXXIV ex EVsebio Σμένδιν nominat, quem Africanum σμενδῆν appellare, p. LXXIII memoriae prodidit. Ei, eodem auctore, tam EVsebius, quam Africanus, e lib. III Manethonis, annos imperii XXVI assignauerunt, ut mirari liceat, qua tandem Hieronymus auctoritate nixus, tantum XIX annos eidem tribuerit. Sed recte Sichardina editio istum annos ait XXVI regnasse, quod cum numero ∞XXXIX conuenit. Foedum igitur hoc operarum uitium ex utraque EVsebii editione eiiciendum est, cui similes mendae saepius insunt, et in qua eodem errore numero DCCXLV, *AEgeus Pandionis filius annis* XLVII, pro, *annis* XLVIII, scribitur. Huic porro numero, Thracas θαλασσοκρατῆσαι, in primo Palatino apponitur. At Sichardina editio hoc gestum ad numerum praecedentem ∞XII collocauit.

NVM. ∞ XXV

Quartus hic Corinthiorum Rex *Pryminas* in Sichardina

na ἐκδόσει uocatur. Primus Palatinus *Prymnias* habet. In reliquis codd. abest nomen Regis, atque in uno additum est, *Hic deficit nomen Regis, qui regnauit annos xxxv.* Sane Πρῶμνις in eclogis EVsebianis lib. II, et Pausaniae cap. IV Corinth., dicitur. Syncello tamen, χρονογρ. p. CLXXX, Πρύμνης, et Diodoro apud eundem, p. CLXXIX, Πρόμνης, nuncupatur. Eodem modo est in collectaneis EVsebii Scaligeranis lib. I p. XXV. E Syncello enim ἕως πρὸς ἕπ῾ eo transtulit Scaliger. Sequentis periochae fine Sichardina editio cum scriptis libris *templum spoliat* scribit. Eadem legit, *Susachin, Rex AEgyptiorum.*

NVM. ∞XXIX

Septimus hic Latinorum Rex, *Siluius Atys, siue AEgyptus*, in primo Palatino uocatur. Eadem ratione reliqui etiam PPP. codices legunt. Quidam libri *Athis* malunt. In Sichardi editione est *Athys.* In Graeco textu habetur, Ἄτυς, ἤτοι Αἰγυπτ῾. Apud EVtropium *Siluius Athis* legitur. Syncellus Regum Latinorum nomina non satis fideliter nobis seruauit. Vocat tamen iste, χρονογρ. p. CLXXXI, VIII eorum Regem, Αἰγύπτιον Σιλβίον. Sane *Atis* nomen Romanum. EVgenius V. C., epigrammate inter fragmenta Petroniana relato,

Dux Atis, armiger at Scaeua, Rufinus eques.

Alius est *Atys ille Phryx, absciſſus*, secundum Arnobium lib. I aduersus gentes p. CXLI ed. Barr., *et spoliatus uir*, (lege, *uiro*) *quem magnae Matris in adytis, DEVM PROPITIVM, DEVM SANCTVM, Gallorum conclamatio testatur*, qui etiam *Attys*, et *Attis*, et *Attin* scribitur, et de quo plura in Galliambo suo Catullus habet.

NVM. ∞XXX

Doryſſus hic tam in eclogis EVsebii Scaligeranis, quam Pausania Laconic. cap. II, Δόρυσ῾ uocatur. Primus Palatinus *Dorysthus*

sthus legit: et sane Δόρυθος est etiam apud Syncellum χρονογρ. p. CLXXIX. Reliqui Palatini corrupte habent *Dorintus:* quidam etiam cum aspiratione, *Dorinthus.* Sequenti in periocha primus Palatinus legit, *in urbis modum amplificata.* Supra numero DCCCCLXIV in eclogis EVsebii Scaligeranis habetur, Μύρινα, παρά τισι Σμύρνα λεγομένη, ἐκτίσθη ἐν Ασίᾳ. Quid ergo, si hoc loco Hieronymus uelit, partem urbis Ephesiae, τὴν μεταξὺ τειχείης τε καὶ Λέπρης ἀκτῆς, quae Smyrna, teste ex Hipponacte Strabone lib. XIV γεωγρ. p. DCXXXIII, uocabatur, hoc tempore esse conditum? Nemini tamen obtrudimus sententiam nostram: At hoc tantum adiungimus, inscriptionem ueteris numi, a Patino euulgati, ΕΠΙ ΑΡΧΙΕΡ. ΑΣΚΛΗΠ. ΕΦΕ. ΠΑΡΑΛ. ΣΜΥΡΝΑΣ, inde mihi uideri explicandam. Patinus putat, de tribus diuersis locis, Epheso, ora maritima, et Smyrna, quorum Asclepiades pontifex esset, agi. Spanhemius de duobus locis, Epheso, et Smyrna, quia utraque παραλία dicta, inscriptionem accipit. Nos eam de una Epheso interpretamur, sed nec tamen de tota, uerum de ista tantum eius parte, uel πόλει, quae mare uersus sita erat, quaeque ΕΦέσϖ παραλίας σμύρνα uocata est. Sane illam Ephesi partem παραλίαν fuisse, mentio Λέπρης ἀκτῆς, quae eo loci erat, satis declarat, et potest idem e reliquis Strabonis uerbis haut difficulter colligi.

NVM. ∞ XXXVI

Rursum τῶν κυρίων ὀνομάτων ποικιλογραφία in mss. codd. deprehenditur. Primus Palatinus enim hunc Assyriorem Regem *Piritiaden* uocat. *Piriciades* tamen tam in Sichardina editione, quam Gobelino Persona Cosmodr. aet. IV cap. IV, habetur. Quidam codices *Pertiades*, alii *Partiades*, exhibent. In eclogis EVsebii Scaligeranis, lib. I p. XXX, Πυρτιάδης dicitur, qui lib. II Πυριτιάδης appellatur. *Pyritiades* sane Iornandi, et aliis, nomina-

minatur. Syncello tamen p. CLIX χρονογρ. plane ad quorundam codd. ſcripturam Latinam, Πεζιάδης nuncupatur.

NVM. ∞ XL

Hunc *Pſeuſennem* quidam Palatini codd. *Pſouſemnem*, alii *Pſouſemenem*, alius *Pſeuſemnem*, primus Palatinus *Pſuſennem*, Sichardi exemplar *Pſeuſenſem*, uocauerunt. Graeca ſcriptura eodem modo uariat. Africano apud Syncellum χρονογρ. p. LXXIII Ψαΰένης, ἢ Ψανέσης, dicitur, et annis XLVI imperaſſe, affirmatur. Ita enim legendum eſt, ut recte edidit Goarus, non, ut Scaliger uult in notis, annis XLII. Quodſi enim haec lectio reciperetur, falſum eſſet, quod ſubiunxit Africanus, dynaſtiam uiceſimam primam AEgyptiorum ὁμῦ ἔτη ϱλ΄ duraſſe. EVſebius apud eundem p. LXXIV Ψασέννης habet, prout in primo Palatino *Pſuſennes* legi animaduertimus. Scaliger tamen in eclogarum EVſebianarum lib. II Ψευσέννης edidit. Ipſe Syncellus p. CLXXVII χρονογρ. poſt Cσασακεὶμ, cuius numero ∞XXV mentio fuit, quique a noſtro Pſuſenne alius eſſe uix uidetur, Ψάενον ἔτη κέ βασιλεῦσαι, aſſeruit. Statim poſt, an Aſa *iuſti* cognomine unquam mactatus fuerit, uellem, ut edocuiſſet nos Scaliger. Sane enim in mſſ. nihil tale habetur, quamuis in quibusdam libris male legatur *Aſaph*. Ioſephus lib. IIX ἀρχαιολ. Ιουδ. cap. VI, Ο δὲ Ασαν, inquit, (ille eſt Ασὰ EVſebii) Ιεροσολύμων ἦν βασιλεύς, ἀνὴρ τὸν τρόπον ἄριστος, καὶ πρὸς τὸ θεῖον ἀφορῶν, καὶ μηδὲν μήτε πράττων, μήτε ἐννοούμενος, ὃ μὴ πρὸς τὴν εὐσέβειαν εἶχε, καὶ τὴν τῶν νομίμων φύσικὴν (lege, καὶ τὴν τῶν νομίμων φύσιν, neque uerte, *legibus naturae conſonum*, ſed potius, *naturae legum*. Τὸ τὴν ἀναφορὰν enim cum uerbo εἶχεν eſt copulandum) τὴν ἀναφοράν.

NVM. ∞ XLIV

Ieu ille eſt, qui, aſpiratione interpoſita, *Iehu* alias uocatur. In eclogis EVſebii Scaligeranis, lib. II p. CXXXIX, Ιῆ dicitur. At rectius, lib. I p. XXXVII, et, apud Syncellum χρονογρ. p. CLXXXVII,

Ιηῦ

Ιηῦ legitur. Suidas etiam Ιηῦ ſcribit. Apud Ioſephum ἀρχαιολ Ιηδ. lib. IX cap. I Ιηῦς appellatur. Pro *Ioed*, uel, ut eſt in Sichardina editione, *Ioede*, legitur in Graecis Ιωὴλ, *Ioel*. Eodem modo habetur apud Syncellum p. CLXXXVI: Niſi tamen Ιωδαὲ, ὁ θεοφιλὴς ἀρχιερεὺς, qui eidem p. CLXXXVII χρονογρ. memoratur, hoc loco intelligendus potius ueniat.

NVM. ∞ XLV

Hiſtoria de Thracibus, Bebryciam occupantibus, in primo Palatino numero ∞ XXXVI addita inuenitur: neque aliter Scaliger in quibusdam codd. inuenit. De Bebrycibus multis egit A. Berkelius ad Stephanum. Strabo profecto lib. XII p. DXLI Τὰς Βέβρυκας Θρᾷκας εἰκάζει. Neque aliud uult Apollonius lib. II Argon. initio. Sane enim et Bithyni Thraces erant. Thucydides lib. IV Βιθυνῶν Θρᾳκῶν, ὅι εἰσι πέραν ἐν τῇ Ασίᾳ, meminit. Ibi ſcholiaſta p. CCCII, ed. Stephani, σημείωσαι, inquit, ὅτι καὶ οἱ Βιθυνοὶ Θρᾷκες. Salluſtius apud Iſidorum, *Bithynia*, ait, *multis nominibus appellata fuit. Nam prius Bebrycia dicta, deinde Mygdonia*, et reliqua. Hinc mythologi Bithyniam ἀπὸ Βιθυνῦ τῦ Διὸς, καὶ Θρᾴκης Τῆς Τιτανίδος, apud ἑθνογράφον dictam uolunt. Arrianus etiam, περίπλῳ πόντῳ ΕΥξείνῳ, p. XIV Vol. I Geogr. min., Μέχρι τῦδε, inquit, Θρᾷκες οἱ Βιθυνοὶ, ὧν καὶ Ξενοφῶν ἐν τῇ συγγραφῇ (ἀναβάσ. lib. VI cap. III) μνήμην ἐποιήσατο, ὅτι μαχιμώτατοι εἶεν τῶν κατὰ τὴν Ασίαν. Porro hic addo, in tribus poſterioribus PPP. tam ad numerum ∞ XLVII, quam ∞ LIII, repeti periocham, *Thraces mare obtinuerunt*. At primus Palatinus poſteriori uice eam tantummodo ad annum I Latinum agnoſcit. Syncellus etiam p. CLXXXI χρονογρ. repetit eandem rem, Θρᾷκες ἐθαλασσοκράτησαν.

NVM. ∞ LIII

Capis hic Latinorum Rex *Caſpis* uocatur in primo Palatino, in reliquis *Cipis*. In omnibus codd. et Sichardina editione abſunt uerba, *Siluius Attii*. *Capys* uocatur Gobelino Perſonae

sonae. Eundem Κάπυν uocat Strabo lib. XIII p. DCIIX τὸν τῆς Κατύας κτίστην. Syncello p. CLXXXIV χρονογρ. corrupte nominatur Κάσπιος βασιλεύς, regnasseque per annos XXX dicitur.

NVM. ∞ LX

Bacchiadae in primo Palatino uocantur *Bacchidae*. *Baclidae* in editione Sichardi habetur. Βαχχίδαι etiam est in Diodori fragmento apud Syncellum, p. CLXXIX χρονογρ., et in ipso Syncello, p. CLXXX, immo et in eclogis Scaligeranis EVsebii, lib. II p. CXL. Non tamen interim nego, eos et Βαχχίδας, et Βαχχιάδας recte uocari. Vide omnino, quae hac de re dixit politissimus Pausaniae interpres, Frid. Sylburgius, ad Eliacorum lib. I cap. XIX.

NVM. ∞ LXVI

Ophrateum hunc Assyriae Regem nominat etiam primus Palatinus. Iornandi *Ophratheus* dicitur. Reliqui Palatini *Ophrates* habent. Vulgatae lectioni conuenienter scribunt et Sichardina editio, et Gobelinus Persona. Graecis est Ὀφραΐτης. Mox *Ela*, Rex Israelis a quibusdam codd. uocatur *Hela*. Ηλανον appellat Iosephus ἀρχαιολ. ιδ. lib. VIII cap. VI. *Hela* habet etiam Sichardina editio: in qua, qui hic *Amri* dicitur, *Amrias* quoque nuncupatus est: Atque ita tres PPP. codd. scribunt. Graece Αμβρὴ uocatur, et semel apud Syncellum, χρονογρ. CLXXXIX, Αμρή. Αμαρῖνον eum Iosephus lib. VIII cap. VII appellauit.

NVM. ∞ LXXX

Nonus hic Latinorum Rex *Carpentius* in primo Palatino uocatur. Sichardus et Gobelinus Persona *Capetus* legunt. Addit tamen Sichardus in margine, al'. *Carpentus* et *Calpetus*. Sic Καρπηϊανὸς ὃς Καλπεινὸς ἔνιες λέγουσιν, apud Stephanum in ΚΑΛΠΑΙ. EVsebianae eclogae eum, lib. II p. CXLI, Κάλπετον nominant. Hunc fratrem, non filium, superioris Regis, nescio, quam ue-

re, uocat Constantinus Phrygio. Mox, numero ∞ LXXXIV, qui *Ammenophas* aliis codd., uel *Amenophas*, dicitur, in primo Palatino *Amenophthis* uocatur, quae scriptura Africani est, et, si Syncello, χρονογρ. pp. LXXIII, et LXXIV, credimus, ipsius EVsebii. Vtrique enim Rex ille Αμένωφθις, uel, ut Goarus legit, Αμενωφθὶς uocatur. Alibi de ποικιλογραφίᾳ huius uocis plura iam diximus.

NVM. ∞ *LXXXVI*

Hunc *Ophratenem* primus Palatinus *Ofraganem*, reliqui *Ofratanem*, uocant. *Ophrathanes* Iornandi dicitur. *Ophratanes* nominatur Gobelino Personae, et in editione Sichardina. Graeci codices non saniores sunt. Eclogis EVsebianis, lib. II, Οφρακτένης uocatur. In earundem lib. I p. XXX legitur, Ασσυρίων ἐβασίλευσε λέ Εφαχερῆς, ἔτη υβ΄. Idem est in Syncelli χρονογρ. p. CLX, ubi tamen Εφεχερὴς Regis nomen scribitur.

NVM. ∞ *XCIIII*

Tiberinus hic Τιβέριος uocatur eclogis EVsebianis, et Syncello χρονογρ. p. CLXXXIV. In Syncello legitur, ὅτι ἐβασίλευσεν ἔτη ν΄. Pro eo Goarus recte reponit, ἔτη νά. Idem Scaligerum ἔτη ή reposuisse, τῶν ν̄ ϗ η̄ similitudine delusum, uoluit. Equidem malim affirmare, Scaligerum Chronographiam Hieronymi esse secutum. Vox ultima *uocabatur* in mss. codd. deest. Vide de tota re Liuium, et EVtropium, eorundemque interpretes. In Graeco textu legendum est, Αφ' οὗ ϗ ὁ ποταμὸς Τίβερις προσηγορεύθη, ὁ τοπρὶν Αλβουλα καλούμενος. Τίβερος, pro Τίβερις, et Αλβὰς, pro Αλβουλα, quae sunt in Syncelli χρονογρ. p. CLXXXIII, corrupta sunt, quamuis ea Goarus non emendet, qui sane Syncellum usque adeo deprauatum reliquit, ut nisi chronologica ζητήματα felicius, quam critica, tractasset, eius ἔκδοσις οὐκ ἀξία ἂν εἴη ὀλιγίστης τινὸς ἐπικροτήσεως.

NVM.

NVM. ∞C

Pſinaces hic AEgyptius in quibusdam codd. non adeo male *Pinaces* dicitur. Nam Africano certe apud Syncellum χρονογρ. p. LXXIII Πιναχὴς uocatur. At EVſebius tamen apud eundem p. LXXIV ſcripſiſſe Ψινάχης dicitur, quomodo in EVſebianis eclogis, lib. II p. CXLII, extat, quibuſcum conſentit Syncellus ipſe, χρονογρ. p. CLXXVII.

NVM. ∞CI

EVphorbium hiſtoricum neſciunt quidem eruditi. *EVphorbus* uocatur a primo Palatino, quomodo Marianus quoque legit. Rectiſſime Scaliger repoſuit *Ephorus*, qui Tatiano, et Plutarcho, atque AGellio, de Homero ſcripſiſſe dicitur. Sane ΕΥΦορϱ pro ΕΦορϱ ſcriptum etiam inuenies apud EVſtathium ad Iliad. Δ p. CCCLXIII, tametſi indicis in hunc ſcholiaſtam auctores apud Fabricium lib. II Bibliothecae Graecae, tanquam diuerſum ab Ephoro ſcriptorem, eum conſiderarint. Noui tamen alios, qui malunt *EVphorion* in Hieronymo reſcribere. Suſpicantur enim eum in ἀτάκτοις ſuis hac de re egiſſe. Et uerum eſt, quod et ipſe ſaepius ἱστορεῖν, ut apud ſcholiaſtam Pindari ad Πυθ. β ὑποθέσει, et EVſtathium ad Od. Υ p. ∞DCCCLXX, dicatur. Verum illi abundent ſuo ſenſu. Nos, cum Scaligero facere, tutius putamus. De Ephoro enim conſtat, quod Heſiodum Homero, Heſiodi ἀνεψιῷ, multo maiorem eſſe uoluerit, iſtiusque aetatem ad numerum Abrahami DCCCLXXXI retulerit. Vide Syncellum χρονογρ. p. CLXXIII, et, quae ad numerum ∞CCIIX dicemus. Contra EVphorion apud Clementem Alexandrinum Homerum Gygis aequalem credidit, cuius regni initium Olympiadi XIIX, quae incidit in numerum ∞CCCIX, aſſignauit.

NVM. ∞ CXXV

Archon hic in primo Palatino *Diognetus* uocatur, quae

uera lectio est, non altera *Diogenetus*, quam alii habent Palatini, et Sichardina editio. Graece enim dicitur Διόγνητος. Sub hoc Homerum uixisse uult marmor Arundellianum, quod eum, eodem cum Syncello modo, Διόγνητον nuncupauit. Apud eundem Syncellum, χρονογρ. p. CLXXXI, habetur, quod circa tempora VI Corinthiorum Regis, κατά τινας ἤκμαζεν Ομηρος, quemadmodum apud EVtropium est, *quod Siluii Agrippae tempore in Graecia Homerus floruerit*. Corinthiorum Rex, EVdemus, in primo Palatino *EVdaemon uel EVdaemus* uocatur. Puto legendum *EVdamus*. ΕΥδαμος Δωρις pro ΕΥδημος scribitur. Et sane ΕΥδαμος in Diodoro Siculo est, a Syncello, χρονογραφ. p. CLXXX, laudato, quanquam et ibi Goarus correxerit ΕΥδημος.

NVM. ∞ *CXXVII*

Hanc Phrygum θαλασσοκρατίαν ad sequentem numerum eclogae EVsebii Scaligeranae apponunt. Sichardina editio eandem ad numerum ∞ CXXV collocat. In primo Palatino hoc gestum nusquam legitur. Syncellus χρονογραφ. p. CLXXI, Φρύγες, inquit, πέμπτοι ἐθαλασσοκράτησαν, ἔτη νέ, κατὰ δέ τινας ἔτη ς'. Vult autem Syncellus, contigisse istud paullo ante ceptum EVdami imperium. Quartus Palatinus legit, *Quinti mare obtinuerunt Phrygene*, in reliquis habetur, *Phrygenas*. Fortasse *Phrygiani* legendum est. Stephanus, Τὸ ἐθνικὸν Φρὺξ, καὶ Φρύγιος, καὶ Φρυγιανὸς ἄνθρωπος. Ita enim ex Salmasiana emendatione legendum est, non, ut editur, καὶ φρυγία ἄνθρωπος.

NVM. ∞ *CXXXVI*

Rex hic Assyriorum XXXVII in eclogis EVsebianis Scaligeri, lib. II p. CXLIV, Ονραζάπης uocatur, unde *Ocrazapen* Sichardinum et duo Palatina exemplaria eum appellant. At in iisdem eclogis, lib. I p. XXX, Ακραγάνης legitur, prout in Syncelli χρονογρ. p. CLX extat. Gobelinus Cosmodrom. aet. IV cap. VII *Acrazapes* habet, quam lectionem primus Palatinus amplectitur.

Iornan-

Iornandes *Acratapes* exhibet. In quarto Palatino corrupte est *Octazapes*. Neque hoc prætereundum est, paullo ante ad numerum ∞CXXXIV in primo Palatino legi, *Lycurgus insignis habetur*. De eius aetate uide, quae afferant Io. Meursius miscell. lib. II cap. I, et Henricus Doduuellus p. XXXIX annal. Thucyd.

NVM. ∞ CXLI

Principium huius paragraphi haec in primo Palatino et Sichardina editione occupant uerba, *Siluius Aremulus, siue Remulus*. Reliqui Palatini habent, *Siluius Aremulus, siue Romulus*. Sane uero *Romulus Siluius* Liuio uocatur. At *Aremulus* AVrelio Victori, Orosio, Syncello, aliis, dicitur. Orosius praeterea annos tantum XIIX imperii ei assignauit, contra quam EVsebius, et Dionysius Halicarnassensis, qui eum Αλλάδιον uocauit.

NVM. ∞ CXLIV

Sysonchosis hic in editione Sichardina *Sensoris*, in primo Palatino *Sesonchosis*, in reliquis tribus scriptis libris *Sensecoris*, uocatus est. In Palatinis primo et quarto, nec non et in Sichardi editione, additur, *Huius Sesonchosis* (*Sensecoris*), *AEgypti Regis, pater fuit Siropis* (Sich. *Siparis*). *Hunc ferunt quidam post mortem ab AEgyptiis Deum nuncupatum, eumque Serapim appellatum*. Africano uocatut σέσογχις apud Syncellum, χρονογραφ. p. LXXXIII, et EVsebio σεσέγχωσις. Quae adduntur adscripta superius uerba, si ab alia sunt manu, a manu sane sunt librarii alicuius haut indocti. Apud Syncellum enim χρονογρ. p. XCI in Regum τῆς πάλαι Μεμφαίας laterculo legitur, Αἰγυπτίων ὁ σέσογχις ἔτη κγ', τῷ δὲ κόσμῳ ἦν ἔτους γ, ις'. Et iterum, Αἰγυπτίων ἡ βασίλευσεν ὁ σεσόγχωσις ἔτη μθ', τῷ δὲ κόσμῳ ἦν ἔτους γ, λθ'. Sesonchosis huius tempora, si Dicaearchum audimus, in annum ante primam Olympiadem ∞∞DCCCCXXXVI incidunt. Apollonii scholiasta ad Argonaut. lib. IV uers. CCLXXV, Δικαίαρχος, inquit, ἐν πρώτῳ μετὰ τὸν Ισιδος καὶ Οσιριδος χρόνον βασιλέα γεγονέναι

νέαν Σεσόγχωσιν λέγει, ὥστε γίγνεσθαι ἀπὸ τῆς Σεσογχώσιδος βασιλείας μέχρι τῆς Νείλου, ἔτη βφ', ἀπὸ δὲ τῆς τοῦ Νείλου βασιλείας μέχρι τῆς πρώτης Ολυμπιάδος, ἔτη υλς', ὡς εἶναι ἐξῆς τὰ πάντα ὁμοῦ, ἔτη βψλς'. Et paullo ante, Σεσόγχωσις Αἰγύπτου πάσης ἐβασίλευε μετὰ Ωρον τὸν Ισιδος καὶ Οσίριδος παῖδα. Et iterum: Θεόπομπος δὲ ἐν τρίτῳ Σέσωστριν αὐτὸν καλεῖ. Orus ille idem erat cum Serapide. Vide Plutarchum περὶ Ισιδος καὶ Οσίριδος libro. EVstathius ad Odyss. M, οἱ μὲν φασὶ τὴν προφῆτιν τινα θυγατέρα Ωρου, ἱερέως Ισιδος. Legendum uidetur, υἱέως Ισιδος. Etiam Σεσύγχωσις olim fortasse lectum est. Vide Syncellum χρονογρ. p. LX, et adde Goari chronographicum in Syncellum canonem p. CCCCXXVII, ubi tamen *Sesonchoris* uocatur. Sed et alius Αχεγχερὴς, Ori filius, in eiusdem χρονογρ. p. CLI habetur. Suidas, CECOΩCIC, ὄνομα κύριον. Ita puto a Diodoro Siculo Sesonchosin fuisse appellatum, quemadmodum Paullinus apud AVsonium *Sesooſtrem* eum nominauit. His adiice, quae Marshamus in Canone chronico a p. CCCLXX de eodem Rege obseruauit.

NVM. ∞ *CL*

Duo Palatini codices *Restomedes* legunt: at primus et quartus *Aristomedes* habent. Sichardus *Aristhemedes* male edidit. Syncellus χρονογρ. p. CLXXXV, Κορινθίων, inquit, ἡ ἐβασίλευσεν Αριστομήδης, ἔτη λά. Sed Goarus emendat, ἔτη λέ, quomodo ante p. CLXXX legebatur. Non aliter idem Rex in eodem p. CLXXIX a Diodoro nuncupatur. Tamen in eclogis Scaligeri EVsebianis, lib. II p. CXLIV, Αριστόδημος dicitur, qui lib. I, p. XXXVII, e Syncello Αριστομήδης appellatus erat. Porro ad hunc numerum in primo Palatino legitur, *Quinto mare obtinuerunt Cyprii annos xxiii.* Notat antiquarius, al'. *annos xxxii.* Eandem pericopam ad eundem numerum reliqui quoque Palatini retulerunt. Sichardus legit, *Sexto mare obtinuerunt Cyprii, annis xxxii.* Sane Strabo, lib. XIV γεωγρ. p. DCLXXXIV, antiquioribus affirmat temporibus

poribus προσγενέσθαι τὴν ναυπηγίαν τῶν στόλων τοῖς Κυπρίοις, ἤδη πλεομένης ἀδεῶς τῆς θαλάττης, καὶ μετὰ δυνάμεων.

NVM. ∞ CLIII

Praetor hic Atticus *Ferecles* in Palatino primo uocatur. In reliquis libris scriptis nunc *Pereclus* nunc *Phereclus*, nunc *Pheredus*, habetur: scilicet, ut supra sextus in quibusdam codicibus *Mezades* pro *Megacles* male scribitur. *Pherecles* sane recta uidetur esse lectio. In Graecis eclogis enim Φερεκλῆς habetur, lib. I p. XXXVII, et apud Syncellum, χρονογρ. CLXXXV, quanquam Φέρεκλ@, ad formam τῶ Τήλεκλ@ effictum, lib. II sylloges EVsebianae p. CXLIV, edatur. Mox, numero ∞ CLXI, omnes Palatini cum Sichardi ἐκδόσει legunt, *Auentinus, Remuli superioris Regis filius maior, in eo monte*, et reliqua. Historiam memorat EVtropius, ubi uide.

NVM. ∞ *CLXIV.*

Hic *Teleclus* in tribus Palatinis posterioribus uocatur *Telechus.* Sichardi editio *Thelecus* habet. In optimo, et uetustissimo, quem primum indigetamus, codice Palatino scripto *Teleuchus* extat, unde suspicio aliquando nobis erat, in EVsebii textu Graeco uel Τέλευχ@, uel Τήλευχ@, fuisse. In eclogis Scaligeri EVsebianis, lib. II p. XXXV, Τέλεκλ@ habetur: non satis emendate. Rectius lib. I p. XXXVII Τήλεκλ@, ut in Pausania quoque est, nuncupatur. Nam Syncellus, apud quem, χρονογρ. p. CLXXXV, Τήλεκ]@ excusum, non minus deprauatus est. Porro ad hunc numerum in Palatino primo refertur de conditu Karthaginis periocha, quae infra, ad numerum ∞ CLXVI, habetur. Deinde *Osorthon*, AEgyptiorum Rex, *Osortona* dicitur in tribus Palatinis posterioribus. Eclogae Scaligeri EVsebianae Οσορθὼν scribunt, quanquam apud Syncellum, χρονογρ. p. LXXIV, Οσωρθὼν inueniatur, qui idem p. LXXIII Africanum hunc Regem Οσωρὼθ uocare asserit. Postea Africanus addit, Ἄλλοι]ρεῖς, ἔτη κε βασίλευσαν, dein-

deindeque demum ponit Ταχέλλωθιν. Verum EVsebius ἀνωνύμως istos Reges praeteriit.

NVM. ∞ *CLXXII*

Archon hic *Amphron* minus emendate in quibusdam codd. uocatur. Syncellus, χρονογρ. p. CLXXXV, ipsum κατὰ Αφρικανὸν ἔτη λά βασιλεῦσαι, obseruauit. Mox legitur in quibusdam libris, *Sub Aristone Assyriorum regnum destructum, et Sardanapalo, ut nonnulli scriptitant.* Sichardus legit, *sub Artiphrone*, et deinde, duas periochas iungens, ita dedit, *Et Sardanapallus, ut nonnulli scriptitant, eodem tempore Tarsum atque Anchialum condidit, et, in praelio uictus ab Arbace Medo, semet incendio concremauit.* Pro *sub Aristone* fortasse legendum est, *sub Archonte hoc.* In Graeco textu extat, Κατὰ τοῦτον τὸν Ἀρίφρονα ἡ τῶν Ασυρίων καταλύθη ἀρχή, ὡς πάντες συμφωνοῦσιν. Idem est apud Syncellum, χρονογρ. p. CLXXXV, nisi quod hic legatur, ὡς πάντα συμφωνοῦσιν. Emendat Goarus, Scaligerum sequutus, ὡς πάντες. Male, ut opinor. Nam EVsebius non uult, omnes auctores id statuere; sed potius, alia omnia, summam nempe annorum, plurimorum auctorum consensum, et siqua sunt alia, in eo concordare, ut huc potius catastrophe Assyrii imperii referatur, quam ad Thespieum. Si dixisset EVsebius, Ariphronem et Sardanapalam συγχρόνους fuisse, ferendum utique id esset. Iam, si ab eo affirmatur, omnes auctores in eo consentire, quod in istius praeturam quadret ἡ τῆς βασιλείας Ασυρίων κατάλυσις, quomodo ipse primus ab eorum sententiis, nulla ratione addit, aabiit, atque eam VI anno sequentis Archontis Thespiei contigisse, numero ∞CXCVII tradidit? Porro in Sichardi adiuncta periocha, quam etiam scripti libri agnoscunt, omnes Pall. *ab Arbato Medo*, uel, *ab Arbaco Medo*, legunt, quae ultima lectio, secundum metaplasmum Hieronymo familiarem, ferenda uenit, uel a librario est, qui ἀπὸ Αρβάκου mafuit uertere *ab Arbaco*, non recordatus, ἀπὸ τοῦ ΑΡΒΑΚΗΣ, ἀλλὰ δὲ ἀπὸ τοῦ ΑΡΒΑΚΟΣ, εἶναι τὴν γενικὴν πάντων.

NVM.

NVM. ∞ CLXXIIX

Sardanapali cognomen primus Palatinus, tanquam duo essent diuersa uocabula, *Tonus Concolerus* legit. Apud Syncellum p. XCII χρονογρ. habetur Μακοσκόλεῤ. In EVsebianis eclogis, et apud Syncellum, χρονογρ. p. CLXV, legitur, Ασυρίων μὰ ἐβασίλευσε θῶν, ὁ λεγόμεν Κονκόλεῤ, Ελληνιστὶ Σαρδανάπαλ, ἔτη ιέ. Suidas, ΚΟΝΟΣΚΟΓΚΟΛΕΡΟΣ, ὁ Ελληνιστὶ ὀνομαζόμεν Σαρδανάπαλ. Delirant Grammatici. Dicendum potius erat, ὁ Ελλησιν ὀνομαζόμεν Σαρδανάπαλ. Ex hoc loco EVsebium emendat Simsonius Chron. cathol. Part. III p. XXXIII. Apud Iornandem tamen eodem modo bis uocatur *Thonos Concoloros, quem Graeci Sardanapalum nominant.* Equidem, cum Hieronymi Latina uersio Graeco omnino textui respondeat, ab EVsebio potius, si erratum fuit, erratum esse, quam Hieronymo, crediderim, qui dormitare alias quoque deprehenditur. EVsebium sequuntur, et Iornandem, Gobelinus Persona, aliique. Sunt tamen, inter quos Thomas de Pinedo, qui ad hoc nominis monstrum debellandum nescio quo Hercule opus esse, contendunt. De uoce *Sardanapalus* docta est Io. Harduini, in Chronologia V. T. p. LXXXIX, coniectura, qui id nominis ex duabus conflatum uocibus, una *Sardon*, siue *Sardan*, contracte pro *Assarhaddon* scripta, et altera Graeca ΑΠΑΛΟΣ, deriuauit. Nolim tamen consensum meum ei praebere. Vt enim iam taceam, ualde adhuc dubium esse, quod *Assarhaddon* fuerit *Sardanapalus*, quis unquam ita, ut ille uult, Hebraeis uoces contrahi inaudiuit, ut uidelicet ultima utriusque uocis syllaba, reiectis prioribus, retineatur? Deinde etiam tempus alterius in ἀπαλὸς syllabae, quod breue est, obstat. Nam in *Sardanapalus* quidem proxima ab ultima syllaba semper extenditur. Longius et ii abeunt, qui omnem Ctesiae apud Diodorum narrationem in suspicionem uocant, atque in eo Marshamum, Can. Chron. p. DXXVI, sequuntur, qui omnia, quae Diodorus tradit, non modo a ueritate

prorsus aliena, sed etiam sacris litteris contraria esse, affirmat. Eodem instituto Christianus Schotanus, de rebus externis ab exodo ad primam monarchiam, p. ∞XXIX, omnem Ctesiae et Diodoro fidem derogauit. Paullo post AEgyptiorum Regem *Tacelothem*, Palatini codd. et Sichardina editio *Tachelothim* uocant. EVsebius ipse non minus, quam Africanus, apud Syncellum, χρονογρ. pp. LXXIII et LXXIV, Ταχέλωθις scribunt. Ipsi Syncello, p. CLXXXIV, Ταχελόφις dicitur. Omnino mirum oporteret esse OEdipum, et Kircheriano isto magis multo hariolum, qui nomina illa AEgyptiaca et Assyria omnia, quae, ut plane credo, nec Africanus, nec EVsebius, unquam ipsi intellexerunt, in EVsebio restitueret.

NVM. ∞ *CLXXXV*

Rex hic Corinthiorum *Agamon* in primo Palatino dicitur. Tertius, et Sichardina editio, *Egemnon*, quartus *Egennas* legunt, Apud Syncellum, χρονογρ. p. CLXXX, semel Αγήμνων, sed corrupte, ut uidetur, scribitur. Adde Diodorum, p. CLXXIX χρονογραφ. Syncellianae, laudatum.

NVM. ∞ *CXCII*

Perioche haec, suo loco mota, ad numerum ∞CLXXX superiorem his uerbis legitur, *Septimo Phoenices mare obtinuerunt annis* XIV. Neque in Graeco textu, neque apud Syncellum, tale quid habetur. Sichardi editio periochen istam ad numerum ∞CXCI collocauit. Porro *Petubastes*, cuius ad sequentem numerum iniicitur mentio, in secundo Palatino *Petubristis* dicitur. Africanus eum multo iuniorem facit. Primam enim sub ipso Olympiadem celebratam esse asseuerat. Idem eundem per annos XL, apud Syncellum χρονογρ. p. LXXIV, imperasse affirmat, ubi Πετσβάτης uocatur. Delendum quoque in utraque Scaligerii editione mendum est typothetae, qui per XXXV annos regnasse eum

se eum uoluit. Tantum enim per XXV annos istius principatum durasse, uel e numero ∞CCXVII liquet.

NVM. ∞ CXCVII

Primus Palatinus legit, *usque ad Deiocum*: quo metaplasmo paullo ante Hieronymus *Arbaco*, pro *Arbace*, et alibi similia sexcenta, dixit. Inepte Sichardina editio habet, *usque ad Dioclem*. Eadem porro habentur apud Gobelinum Personam, Cosmodrom. aet. IV cap. VII, ubi obseruat quoque, *Arbacem* ab aliis mss. libris *Abarcem* uocari, nullo ueteri auctore, quantum quidem mihi constat, consentiente, etsi non nesciam a Iustino eum *Arbactum*, et a Velleio *Pharnacem* dici.

NVM. ∞ CCX

Haec de Hesiodo pericopa ab omnibus Palatinis ad numerum ∞CXCVII collocatur, ubi etiam plenus legitur, *Hesiodus insignis habetur, ut uult Porphyrius*. Excerpta Latinobarbara addunt, *in historia Philosophica*, quam sane citat etiam ὁ ἐθνογράφος, ut alios praetereat. Syncellus multo antiquiorem fecit, qui ad Simsonis aetatem, seu numerum DCCCLXXXI, Hesiodum retulit. Apud eum, p. CLXXIII χρονογρ., legitur, Ἡσίοδος δὲ ἐγνωρίζετο, ὃν Ἔφορος ἀνεψιὸν, καὶ σύγχρονον ὁμῦ φησι. Goarus uertit, *quem Ephorus nepotem et sibi coaeuum celebrat*. Quomodo ἀνεψιὸν, si σύγχρονον, et quomodo σύγχρονον, si ἀνεψιὸν, ἀκριβῶς, uocarit, non satis capio. Nam sane sunt ἀσύστατα. De uocis ΑΝΕΨΙΟΣ notione satis dixit Iacobus Cuiacius Obseruatt. lib. et cap. VI. Ego mihi uideor, ueram plane lectionem eruisse, si scribatur, καὶ σύγχρονον ὁμήρῳ φησί. Altera lectio tachygraphiae debetur, quod rerum peritis obscurum esse nequit. Nam potuerunt tamen ad tempus fuisse σύγχρονοι, etsi non ὁμήλικες fuerint. Ephorum, historiae scriptorem, omnino inter eos esse, qui Homerum Hesiodo minorem statuerunt, ex AGellii N. A. lib. III cap. XI constat. Adde et nos supra ad numerum ∞CI. Porro

Proclus in Homeri uita, ab Allatio edita, et refert quorundam, et explodit, opinionem, qui Homerum Hesiodi ἀνεψιὸν fuisse, statuerunt, in quorum numero Ephorum fuisse, iam plane ex Syncello liquet, ut iudicio careat, qui de nostra emendatione dubitare uelit.

NVM. ∞ *CCXVII*

Etiam haec periocha in omnibus Palatinis ad numerum ∞CXCVII relata legitur. Sichardina editio eam ad numerum ∞CCXIV collocat. Omnes libri scripti *inuenit* legunt, non, *instituit*. In Graeco est ἐφεῦρεν. Syncellus rem accuratius, χρονογρ. p. CXCIIX, sequentibus uerbis exponit, Φείδων Ἀργὰς κραταιὸν, ἀδελφὸς Καρανὰ, τοῦ ἀ βασιλέως Μακεδόνων, μέτρα καὶ στάθμια πρῶτος ἐφεῦρεν, ὡς Τινες. Ησαν δὲ καὶ πρὸ τούτου. Strabo lib. IIX p. CCCLIIX, Καὶ Φείδων δὲ, inquit, τὰ μέτρα ἐξεῦρε, τὰ Φειδώνεια καλούμενα, καὶ στάθμας. Adde Plinii H. N. lib. VII cap. LVI, et Polluc. lib. X cap. XLV, atque, ante reliquos, Herodotum lib. VI cap. CXXVII, ac scholia prisca Pindari ad Olymp. XIII ᾠδ. Marmor Arundellianum, linea XLV ΑΦ' Ὃ Φείδων ὁ Ἀργεῖος ἐδημοσίευσεν ἐν Ἄργει, καὶ μέτρα, καὶ στάθμα, ἐσκεύασε. Thomas Lydiatus, p. XLI notarum, Phidonem hunc ab altero, de quo Pausanias agit, Argolidis tyranno, distinguit, quod ante eum nemo ausus erat, ne Scaliger quidem, qui tamen alioqui satis multa sibi indulget, etsi Scaliger subdubitat, an recte ab EVsebio gestum hoc ad hunc numernm sit notatum, quum eo modo admodum senem Phidonem decessisse oporteret, unde Marshamus, Canon. chron. p. CCCCLXXXIX, ipsum Olympiade ab Iphito IIX, ne tum tamen constantibus sibi rationibus, uixisse, opinatus est.

NVM. ∞ *CCXIIX*

Historiam de Lycurgo primus Palatinus ad numerum ∞CCXV reiecit, recteque legit, *in Lacedaemone*. Haut satius congrua EVsebio de Lycurgi aetate apud Suidam habentur. Si enim

nim Nicander e Proclidarum familia Lycurgo succeſſit ἐπιτροπεύσαντι, et regnauit annos XXXIIX, eorumque quartus et triceſimus in Olympiadem primam incidit, ut uult Soſibius Laco apud Clementem Alexandrinum, στρωμ. α', ſequitur ſane, Lycurgi obitum ad numerum Abrahamiticum ∞ CCVII eſſe referendum.. De aetate Lycurgi tamen nolumus aliorum labores excutere. Mox, numero ∞ CCXX, Sichardi editio legit, *adimendae ſpei partus gratia uirgo Veſtalis lecta.* *Lecta* etiam in primo Palatino legitur. Vox *partus* fortaſſe e gloſſa eſt. Olim enim poſteri omnes *ſpei* nomine ueniebant. Porro eadem editio ſcribit, *patrui ſui anno*, et mox, *in terram.* Deinde uox *uerum* in quibusdam codd. deſideratur. Statim poſt Sichardus legit, *prope ripam*, et deinde omnes codices, tam ſcripti, quam editi, *ad noſtram uſque memoriam.*

NVM. ∞ CCXXX

Hic quoque cum Scaligero inconſtantiam codicum animaduertimus. Primus Palatinus periochen de prima trieri ad numerum ∞ CCXXIX retulit, legitque, *Prima trieres nauigat in Corintho.* Etiam quartus, *Triremis prima nauigatio in Corintho*, habet. Omnes denique reliqui *triremis*, non, *trieres*, legunt, quod idem eſt. Graecis enim τριήρης eſt, quod Latinis *triremis.* Quodſi tamen nunc demum triremis eſt inuenta, quomodo, ſodes, Palaephatus, ab EVſebio numero DCCCXLIV laudatus, Vlyſſem trieri Tyrrhenorum Scyllam fugiſſe, potuit aſſerere. AVt ergo iam ante trieres debuit eſſe in uſu, aut longa naui Scyllam Vlyſſes fugit. Eundem tamen ἀναχρονισμὸν Virgilius quoque lib. V AEn. commiſit, quando canit,

-- *triplici conſurgunt ordine remi.*

Sed Virgilius fortaſſe excuſandus eſt, qui, more Tragicorum ſibi hoc indulget. Vide ſcholia Sophoclis ad Trachin. p. CCCXXX, et AEſchyli ad Prometh. p. XLI ed. Stephani. Patet deinde, ex

lectione primi et quarti Palatinorum, emendandum esse, *in Corintho*. *In Corintho* stilo Hieronymiano dicitur, ut paullo ante *in Lacedaemone*. Sichardus ad numerum ∞ CCXLV apponit, *Athenis primum trieres nauigauit cursum dirigente Aminedeo*. Eadem in Palatinis codicibus ad numerum ∞ CCXLIIX leguntur. In Graecis EVsebii eclogis ad numerum ∞ CCLV habetur, Ἀθήνησι πρώτη ἐναυπηγήθη τριήρης ὑπὸ Μηνοκλέους. Eodem modo legit Syncellus, χρονογρ. p. CCXIII Goarus e Thucydidis lib. I emendat, Ἀμεινοκλέους. Atqui ibi dicitur, Φάινεται δὲ ἡ Σαμίοις. Ἀμεινοκλῆς, Κορίνθιος ναυπηγός, ναῦς ποιήσας Τέσσαρας. Corinthius igitur fuit, qui triremem nauim primam, uel apud Samios primo, uel apud Athenienses, fecit, quum Corinthi eae iam essent antea in usu. Primus Palatinus Aminoclem uocat *Medyclum*, corrupte, ut equidem opinor.

NVM. ∞ *CCXXXIIX*

AVtomenes, ultimus Corinthiorum Rex, recte etiam in primo Palatino appellatur. In reliquis *Atomenes*, et in Sichardi editione *Antomenes*, deprauate scribitur. Porro in eodem sane quam emendato codice Palatino primo recte etiam legitur, *constituti sunt annui Prytanis*. Tertius tamen, et quartus, solito metaplasmo exaratum habent, *annui Prytani*. Secundus, *annui principatus*, et Sichardi editio *annui principes* legunt. Suidas, ΠΡΥΤΑΝΙΣ, διοικηταὶ, προεδρεύοντες, φύλαξ, βασιλεὺς, ἄρχων, ταμίας, ἔξαρχος. Ioannes Malala, χρονογρ. p. CXI, Τῶν δὲ Κορινθίων, inquit, ἐβασιλεύσε τότε Αλήτης, ἔτη λέ, ἡ ἄλλοι βασιλεῖς ια, ἔτη σοζ, ἡ ὕστερον ἐβασίλευσεν * ἔτος α. Chilmeadus in notis lacunam supplere conatur per uocem ΑΥτομένης. Infeliciter. Aletes enim, et alii undecim Reges iuncti, iam includunt duodecimum AVtomenem. Repone ergo, et supple, Καὶ ὕστερον ἐβασίλευσαν Πρυτάνεις, ἔτος ἓν. Eniausios enim fuisse πρυτάνεις, e Syncelli χρονογρ. p. CLXXXVI apparet.

NVM.

NVM. ∞ CCXXXIX

Lydorum Rex primus a primo Palatino codice *Ardisius, filius Alyattis*, uocatur. Reliqui peſſime legunt, *filius Aluatis*. Edd. ea uerba omittunt. Ex Atyadis eum fuiſſe, Herodotus, lib. I cap. VII, docuit. Etiam Syncellus, χρονογρ. p. CCXXXIX, male habet, Αρδυσ@ Αλύτ8, pro Αλυάτ8, uel, Αλυάτ]8. Vtrumque enim ſcribitur. Sylloge Scaligeri EVſebiana, lib. II p. CXLIX, ita de hoc negocio ait, Λυδῶν ἐβασίλευσε πρῶτ@ Αρδυσ@ Αλυάτ]8, ἔτη λϛ'. Malala, χρονογρ. p. CXCI, Καὶ ἐβασίλευσεν, inquit, τῶν Λυδῶν πρῶτ@ ὁ Αρδεύς, ἔτη λϛ'. Vtrobique legendum eſſe puto Αρδυς, cuius nominis Rex inter Lydos etiam numero ∞ CCCLIV memoratur, quanquam et eum Αρδυσον Syncellus uocauerit. Porro Lydorum regnum quum multo uetuſtius facit Marshamus, accipiendum id eſſe cum grano ſalis uidetur. Sane quidem Lydia uetuſtiores Ardye Reges habuit, ſed eo tempore, quum multo plures Aſiae non tam Reges eſſent, quam Tyranni. Hos poſtea in poteſtatem ſuam plurimos Lydi redegerunt, et, ab hoc Ardy uſque, Aſiae quaſi fuerunt monarchae, unde et marmor Arundellianum, linea LVI, Κρῖσον τῆς Ασίας βασιλεύον]α uocauit. Neque enim aliud quoque cauſſae ſubeſt, quam iſtud, cur a minus potentibus Lydiae regulis Regum Lydiae ſeriem auctores pertexere noluerint.

NVM. ∞ CCXL

In primo Palatino, et Sichardina editione, poſita hunc ad numerum periocha ita legitur, *AEſchyli, Athenienſium iudicis, ſecundo anno prima Olympias acta eſt, quae erat agon Gymnicus, in quo Coroebus, Helienſis, uictor extitit. Helii agunt quinquennale certamen*, et reliqua. Eodem modo iungit haec Gobelinus Perſona, Coſmodrom. aet. IV cap. IIX, cui per omnia conuenit cum EVſebio: ſed in eo errat, quod a monte Olympo ludos hos nominatos eſſe aſſerat, quum EVſtathius, ad Iliad. A, p. XXIIX, diſertis

disertis uerbis tradat, Olympica certamina παρονομάζεσθαι Ολυμπίῳ Δὶι, καὶ οὐ τῷ Ολύμπῳ. Praecesserant hanc Olympiades ἀνολυμπιάδες aliae XXVII, si Syncello, χρονογρ. p. CXCVI, fides est; Verum eae, tanquam ignobiles, praetereuntur, quia uidelicet uictorum nomina ignorantur. Ceterum Corinthus ille *Elidensis* fortasse potius diceretur AGellio N. A. lib. II cap. XIIX, cui ibi Phaedon Elidensis memoratur. Nec ineptum plane est, *Heliensis* scribere. EVstathius enim ad Dionysii περιηγ. uers. CCCCXIII, p. LXXIIX, obseruat, Οτι ἡ Ηλις, ἀφ' ἧς οἱ Ηλεῖοι, διαφορεῖται κατὰ τὸ πνεῦμα. Καὶ δασύνεται γὰρ, ἀπὸ τοῦ ἁλίζω, τὸ ἀθροίζω, διὰ τὸ πολλοὺς ἐκεῖ ἐν τῷ ἀγῶνι τῶν Ολυμπίων ἀθροίζεσθαι, καὶ ψιλοῦται μάλιστα, διὰ τὸν κανόνα, τὸν λέγοντα, τὸ Ηπροτοῦ Λψιλοῦσθαι. Africanum nondum dicere, quod uoluit EVsebius, Petauius, de D. T. lib. IX cap. LVI, egregie plane contra Scaligerum docuit. Sunt porro, qui ad primum et quinquagesimum Azariae annum primam Olympiadem retulerunt. Anonymus enim Chronici scriptor, nondum in lucem emissus, apud Garciam de Loaisa, ad Isidori Chronicum p. XXXV, Ετει νά Οζίου, inquit, τοῦ καὶ Αζαρίου, βασιλέως Ιούδα, πρώτη Ολυμπιὰς ἐτέθη ὑπ' Ιφίτου. De AEschyli annorum imperii serie discordant et auctores, et libri scripti. In Africani uerbis primus Palatinus legit, annis XXIV. In Graeco textu tamen est, ἔτη κγ'. Eius anno secundo Olympias prima secundum EVsebium acta est. At Syncellus, χρονογρ. p. CXCV, ΑΙσχύλον ἔτη ιδ' imperasse perhibet, additque, ὅτι ΑΙσχύλου τῷ β' ἔτει πληρουμένῳ, καὶ ἀρχομένῳ τῷ γ' αὐτοῦ ἔτει ἡ πρώτη Ολυμπιὰς ἤχθη. Goarus mauult scribi, *Anno undecimo expleto, et ineunte duodecimo.* Rursus Cappellus XIIX tantum annis AEschylum regnasse statuit: quod ipsum tamen nondum satis firmiter probari posse puto, quum potius in praecedentis praetoris Agamestoris annis a librariis peccatum esse censeam, quippe quorum EVsebius XX, Syncellus XVII, alii denique apud Syncellum, XL numerarunt. Sane, si tanta est, quanta merito suo esse debet, marmoris Arundelliani auctoritas: sequitur saltim, AEschy-

AEſchylum ultra XXI annum principatum ſuum extendiſſe. In eius enim linea XLVII legitur, Οτι Αρχίας, ΕΥαγήτȣ, ἤγαγε τὴν ἀποικίαν εἰς Συρακȣ́σας, βασιλεύοντος Αθηνῶν ΑΙσχύλȣ ἔτȣς εἰκοστȣ̃ ϗ ἑνός. Miror deinde, nihil Scaligerum de Iphiti genealogia monuiſſe. Sane enim plane legendum eſt, ut in Sichardina editione habetur, *Iphitus, filius Praxonidis, ſiue Haemonis, primus conſtituit.* Conſentiunt huic ſcripturae omnes ad unum Palatini codices, niſi, quod primus habeat, *filius Praxonidae, ſiue Haemonis.* Confirmo hanc lectionem auctoritate Pauſaniae, qui, lib. I Eliac. cap. IV, refert, ὅτι τὸν Ιφιτον τὸ ἐπίγραμμα τὸ ἐν Ολυμπίᾳ φησὶν ΑΙμονος παῖδα εἶναι, Ελλήνων δὲ οἱ πολλοὶ Πραξωνίδȣ, ϗ ȣ̓χ ΑΙμονος, εἶναί φασι. Nihilominus *Haemonis nepotem* Iphitum uocauit Simſonius Chronic. cathol. Part. III p. XL b. Sylloge Scaligeri EVſebiana, Ην Ιφιτος, ὁ ΑΙμονος, κατὰ δὲ ἄλλȣς Πραξωνίδȣ τινὸς τῶν ἀπὸ Ηρακλέος, Ηλεῖος, ἀνῆγεν. ΑΝΗΓΕΝ hoc loco idem eſt, quod ΔΙΕΘΗΚΕ. Pauſanias, Χρόνῳ δὲ ὕστερον Ιφιτος τὸν ἀγῶνα διέθηκεν ἐν Ολυμπίᾳ. ΔΙΕΘΗΚΕ, per *conſtituit, ordinauit*, reddendum eſt. Quanquam enim etiam inſtaurarit Olympica certamina Iphitus, tamen ui uocis hoc non liquido infertur. Praeterea in eo flore tum erant ludi iſti, ut non tam de inſtauratione, quam de eorum diſpoſitione, Graecos inter ſeſe certaſſe, demonſtrarit ſatis ad Pauſaniam Ioachimus Kuhnius. Spatium, inter haloſim Troianam et primam Olympiadem intercedens, numerantur ab Hieronymo *CCCCV anni* in omnibus, ut quidem uult Scaliger, editis ſcriptis ue libris. Sed Sichardina tamen editio habet, *A captiuitate Troiae ad primam Olympiadem anni CCCCVI, alias CCCCV.* Eadem ἔκδοσις in praefatione libri II habet, *A captiuitate Troiae usque ad I Olympiadem anni* CCCCLX. Male omnino. Nam numero DCCCXXXV quoque anni tantum CCCCVI numerantur, quot ſane intercedunt inter numeros DCCCXXXV et ∞CCXL, ad quem ultimum haec omnia leguntur. Quum enim annus primus primae Olympiadis in numerum ∞CCXLI incidat, legendum ſane eſt, *anni CCCCVI.*

Qui aliorum auctorum sententias de distantia annorum inter primam Olympiadem, et Troiae euersionem, cognoscere cupit, Censorinum adeat de die natali cap. XXI, et addat, quae de egregio plane loco illo disputarunt, praeter alios, Io. Marshamus Canon. Chron. p. CCCXX, et Petauius de D. T. lib. IX cap. XLV. Etiam de Lacedaemoniorum regno, cum de eo ultima agat ad hunc numerum periocha, aliquot paragraphis agendum nobis restat. Africanus, si fides est Ioannis Malalae, χρονογραφ. p. CXI, uerbis, Lacedaemoniorum regnum sub Regibus X per CCCXXV annos duraſſe affirmauit. Locus Malalae prolixior est, quam, ut huc transcribatur. Dicit, EVrysthea regnasse annos XLII, quod asserit etiam EVsebius: post eumque alios VIII Reges, annos CCXLVI. Sed mendum est in his uerbis, Καὶ ἄλλοι βασιλεῖς μεθ' αὐτὸν ἡ, ὁμῶ ἐβασίλευσαν ἔτη σμς'. Lege, Καὶ ἄλλοι βασιλεῖς μετ' αὐτὸν ζ'. Agis regnat annum I, Echestratus annos XXXV, Labotes annos XXXVII, Doryssus annos XXIX, Agesilaus annos XLIV, Archelaus annos LX, Teleclus annos XL. Ομῶ fiunt anni CCXLVI. Ante hos septem Reges EVrystheus annos XLII, post eos Alcamenes annos XXXVII regnauit. Iuncti omnes anni fiunt CCCXXV. EVsebius ergo Africanum hic κατὰ πόδα sequutus est, non uero Syncellus, qui Agesilao tantum XLI annos tribuit. Secundum enim has rationes si annos subducas, regnum Lacedaemoniorum per CCCXXII tantum annos durauit. Idem porro Syncellus, quid sibi, χρονογρ. CLXXXVI, uelit, non expeditum est. Ait enim, Οἱ Λακεδαιμόνιοι βασιλεῖς, ἀφ' οὗ Κορινθίων, ἕως τοῦδε τοῦ χρόνου διήρκεσαν ἔτεσιν τνʹ, μεθ' ὃς ἐνιαύσιοι Πρυτάνεις, ὡς μέν τινες ἐπὶ Αἰχύλου ἄρχοντος, ἀφ' ἧς πρώτης Ολυμπιάδος, ὡς δέ τινες μετὰ ταῦτα. Goarus emendat, ἔτεσι ψλδον τνʹ. Omnia illa, non minus, quam Goari animaduersiones, Sibyllae folia dixeris, quae nec ipsa curatius rem excutientibus satisfaciunt. Tamen et Hieronymus numero ∞ CCLVI, *Fuit autem*, inquit, *sub Regibus Lacedaemon an.* CCCL. Illa uerba Scaliger capit, quasi Hieronymus de duratione ephoro-

ephororum loquatur: quod non puto. Etsi enim de Archontibus Athenienſium conſtet, βασιλεύσαντας eos aliquando dictos fuiſſe, de Ephoris tamen non memini id me legere. Arbitror igitur, neque etiam de annis Agidarum ullam ibi diſputationem eſſe, ſed eos ab Hieronymo numerari annos, per quos Proclidarum familia ſine Ephoris regnauit. Equidem ſatis ſcio, antiquis ſcriptoribus non quoque conuenire in annis Regum ex Agidis familia determinandis. EVſebius enim, ex Africano, Doryſſo et Ageſilao ὁμῶ tribuit annos LXXIII, cum tamen Pauſanias, Lacon. cap. II, Τὰς δὲ ἐφεξῆς, inquiat, βασιλεύσαντας τῆς οἰκίας ταύτης, Δόρυσσον τὸν Λαβώτα, καὶ Ἀγησίλαον Δορύσσῳ, δι' ὀλίγου σφᾶς τὸ χρεὼν ἐπέλαβεν ἀμφοτέρους. Sequitur ergo, Pauſaniam, ſi quidem in reliquis cum EVſebio conuenit, non ultra CCC annum Lacedaemonii imperii epocham extendiſſe. At Hieronymus, eumque ſecutus Syncellus, cum ad annum CCCL iſtam protendunt, non dicunt, ut ſupra dixi, quot per annos Agidae, neque quot per annos cum Ephoris Proclidae, annumeratis nimirum EVryſthei annis, neque etiam, quot per annos Ephori imperarint, ſed tantummodo, quot per annos abſque inſpectione Ephororum Proclidae, Agidarum imperio iam reſciſſo, fuerint. Hoc tamen ab Hieronymo referendum erat ad numerum ∞ CCLXV, ſiquidem CCCL anni a primo EVryſthei numerandi ueniunt, et non ad numerum ∞ CCLVI, uel etiam ∞ CCLVII, ut eſt in eclogis Graecis, uel ∞ CCLX, ut eſt in aliis editionibus. Plutarchus, in uita Lycurgi, p. XLIII tom. I OO., teſtatur, Theopompi tempore, alterius ex Procle familiae Rege, ἔτεσί πῳ μάλιστα ϛ΄ μετὰ Λυκοῦργον, τὴν τῶν ΕΦόρων δύναμιν καταστῆναι. Si ἐπὶ Θεοπόμπῳ id factum, quod ſane et Ariſtoteles, lib. V. πολιτ., et Cicero lib. III de LL., et alii, ſcribunt, poſt primam id factum eſt Olympiadem, cuius annus I, ſecundum Soſibium apud Clementem Alexandrinum, quartus et uiceſimus Nicandri, Theopompi Patris, fuit. Supra diximus, Suidae fide, annum mortis

Lycurgi incidere in annum Abrahami ∞ ccvii. Adde cxxx annos, et dicet Plutarchus, Ephoros anno Abrahami ∞ cccxxxvii esse introductos : quod satis differt ab EVsebio, nisi Plutarchus alium, quam Suidas, fatalem Lycurgi annum, de quo iam olim disceptatum fuit, intellexerit. Enimuero aliter rationes sunt ineundae. Lycurgum cum Iphito Olympiadas instauasse, auctor est Aristoteles, quem Plutarchus id refert e disco Olympico didicisse. Hunc alii magno consensu sequuti sunt, Pausanias nimirum, lib. I Eliac. cap. IV, Polybius, Aristodemus, apud Syncellum, χρονογρ. p. CXCCVI, et si qui plures. Intercedunt inter primam Olympiadem, in quo Coroebus stadio uicit, et illam ἀνολυμπιάδα primam ab Iphito διαθεῖσαν, Olympiades XXVII, ut ex Polybio, et Aristodemo, Syncellus d. l. docet, hoc est, anni CVIII. Iis subiice, ut constituantur anni illi CXXX Plutarchi, alios XXII, et dicet Plutarchus, circa annum II Olympiadis VI, qui est Abrahamiticus ∞ CCLXII, Ephoros esse constitutos, quod tempus proxime accedit ad calculum EVsebianum.

NVM. ∞ CCXLII

Supra, numero ∞ CCXL, hic dicitur *Arctinus, uersificator prope omni metro et opere clarus.* Secundus Palatinus hoc loco legit, *Arctinus Milesius, uersificator, clarus habetur.* Primus, *Artimus*, tertius *Aretinus*, male legunt. Vide, quae infra de eo dicturi sumus. Porro tertius Macedoniae Rex a primo Palatino *Tyrimmas*, a reliquis *Triminas*, a Sichardo *Tyrimas*, nuncupatur. In Graeco textu est Τυρίμμας. Sed tamen lib. I eclogarum EVsebianarum, p. XLVII, refertur, ὅτι Τύρμας ἐβασίλευσεν ἔτη μέ. Eadem habentur apud Syncellum, χρονογρ. p. CCLXII. Apud eundem, χρονογρ. p. CCLXII, idem Rex Τυρίμμας quidem uocatur, anni tamen et ibi imperii XLV ei tribuuntur, non, ut apud Hieronymum, XXXIIX, quod non praetereundum erat.

NVM.

NVM. ∞ CCL

Omnia hic corrumpit Sichardi editio. Nam et EVmelum uocat *Cumelum*, et Bugoniam *Bugomam*, et Arctinum *Archinum*. De EVmelo accurate egit Lil. Gregorius Gyraldus dial. III de Poetis, et T. Faber ad lib. IV Phaedri. Corinthium eum uocauit, praeter alios, Ioannes Tzetzes ad Hesiodi principium. Hinc eius Κορινθίαν συγγραφὴν aliquoties in Corinthiacis laudauit Pausanias, etsi dubitauit, εἰ δὴ ΕΥμήλȣ ἡ συγγραφή. Bugoniam Scaliger interpretatur *opus de apibus agens*. Sane βȣγενεῖς apes sunt. Varro de R. R. lib. II, *Denique*, ait, *ex boue putrefacto nasci dulcissimas apes, mellis matres, a quo eas Graeci* βȣγενεῖς *appellant*. Antigonus Carystius, παραδόξων συναγωγῇ, cap. XXXIII, p. XXI, Προσαγορεύει ȣ̃ν, nquit, ϗ Φιλήτας τὰς μελίσσας ΒΟΥΓΕΝΕΙϹ, λέγων,

Βȣγενέας φάμενος προσεβήσαο μακρὰ μελίσσας.

Haec etsi uera sint, uellem nihilominus, Scaligerum satius probasse, quod Bugoniam, quae Βȣγενογονία hoc modo potius esset dicenda, EVmelus scripserit. Equidem repono, inuitis etiam omnibus libris, *Theogoniam*. Constat enim e Clementis Aleandrini στρωμ. ϛ', p. DCXXIX, EVmelum Corinthium Hesiodi Theogoniam, καταλογάδην expressam, pro sua uenditasse. ΕΥρωπίαν eius, praeter Clementem τὸν στρωματέα, citauit etiam scholiasta Homeri minor, quem Didymum uulgo uocant, ad Iliad. Z, uers. CXXX. Non ergo *EVropam* hoc loco contra tam mss., quam editionum, fidem reponendum est. Sane quidem Pausanias, Boeot. cap. IV, τȣ̃ τὰ ἔπη τὰ ἐς ΕΥρώπην ποιήσαντος meminit, nomen uero auctoris non addidit. Quare merito, secus, quam Scaliger facit, diuersum hoc opus ab EVmeli EVropia esse autumo, et potius ΕΥρώπην, quam EVmeli, alius denique cuiuscunque, intelligo. Deinde in primo Palatino legitur, *Et Archimus, qui AEthiopicam composuit, et Iliacam uastationem*. Eodem modo habet et Sichardina editio. Reliqui Palatini ultima uerba legunt, *et ibi Persis agnoscitur*, pla-

ne inepte. De Arctino uide Suidam, qui eum, ut Cyrillus, circa Olympiadem IX uixisse dixit. Syncellus, p. CCXII χρονογρ., de eodem, Ἀκτίων, inquit, ὁ Μιλήσιος ἤκμαζε. Lege, ut Scaliger in EVsebianis eclogis habet, Ἀρκτῖνος.

NVM. ∞ *CCLIX*

Κιναίθωνα Λακεδαιμόνιον ἐν ἔπεσι γενεαλογεῖσθαι, Pausanias Corinth. cap. III auctor est. Primus Palatinus recte uocauit opus hoc *Thelegoniam*, nisi, quod *Telegoniam* scribendum est. Sic *Theleboas* librarii interdum scribunt pro *Teleboas*, ut iam animaduersum Theodoro Ryckio ad Tacitum p. XCIIX. Reliqui Palatini omnes inemendate habent *Thegelontam*, unde fortasse *Theogoniam* coniecit legendum esse Gyraldus, tacito nomine propterea a Scaligero iam notatus. Vide ad eum, quae uiri docti commentantur. Scripsere et alii olim Telegonias, inter quos est EVgamon, ὁ Κυρηναῖος, ὁ τὴν Τηλεγονίαν ποιήσας, memoratus in EVsebiana Scaligeri sylloge, lib. I p. L, et Hieronymo, numero ∞ CCCCLII, atque Syncello, χρονογρ. p. CCXXXIX, nec non et EVstathio ad Odyss. Π, p. ∞ DCCC, ubi tamen κατ' ἐξοχὴν uocatur ὁ Κυρηναῖος, quo nomine gaudet alioqui Callimachus. Gyraldus, dialogo III de Poet. Tom. II OO. p. CXXVI, male eum EVgamum Cyrenaeum nuncupauit, tametsi doctissimus eius editor nihil monuerit. Periocham de Cyrenes conditu primus Palatinus et Sichardi editio ad numerum ∞ CCLIII collocant, deindeque legunt, *Theraei Cyrenem condiderunt ex responso Phoebi.* Porro pro *Aristoteles* omnes libri habent *Aristeus*, prout *Aristaeus* legitur apud Iustinum lib. XIII cap. VII. Vide omnino, quae de Aristotele hoc proferat Ez. Spanhemius ad Callimachum, a p. XCIII, et quae supra ad numerum DCLXXXI, diximus.

NVM. ∞ *CCLXIV*

Charopem, primum δεκαετῆ ἄρχοντα, Χάροπα Dionysius, Syn-

Syncellus, χρονογραφ. p. CCXI, et eclogae EVsebianae lib. I p. XLVII, uocant. Eaedem tamen, lib. II p. CLI, Χάρωπα scribunt. Suidas, ΧΑΡΟΨ, ἢ κλίνεται Χάρωπος. Deinde primus Palatinus legit, *Mare obtinuerunt Milesii annos XVIII.* Atqui intercedunt anni XIX inter hunc et CCLXXXIV numerum, quo ad Caras eius dominatus peruenisse dicitur. Fortasse unius anni ἀναρχία fuerat interserenda. De Naucrati eadem habet Suidas, quem uide in ΝΑΥΚΡΑΤΙC. Si tamen Straboni, lib. XVII p. DCCCI, fides est, πλεύσαντες ἐπὶ Ψαμμιτίχου νανσὶ Μιλησίοις κατὰ Κυαξάρην, πόλιν ἔκτισαν Ναύκρατιν. Secundum Strabonem ergo neque ante annum Abrahamiticum ∞ CCCLXXXVI, neque post ∞ CCCCI haec urbs fuit condita. Athenaeus interim, ipse Naucratites, lib. XV δειπνοσ., iam Olympiade XXIII Naucratim floruisse, ex Polycharmo Naucratite refert. Id si uerum est, saltim ante annum ∞ CCCXXX condita illa fuit.

NVM. ∞ *CCLXV*

Rectius omnia in primo Pal. et Sich. editione hoc modo leguntur, *Roma Parilibus, qui nunc dies festus est, condita. Remus rastro pastorali a Fabio, Romuli duce, occisus est.* Parilium die, qui erat XI kl. Malas, Romam esse conditam, nemo nescit paullo humanior. Mss. libri in orthographia festi huius diei uariant. Alii enim cum *Parilia*, alii *Palilia*, uocitarunt. *Parilia* appellantur Ciceroni lib. II de Diuinat., Athenaeo, Suidae, fastis marmoreis, Festo, aliis. *Palilia* extat apud Varronem lib. V de LL., Tibullum, lib. II Eleg. V, Propertium lib. IV Elegg. I et IV, Ouidium, lib. IV Fast., paucosque alios scriptores uetustiores. Adde Laetinum Torrentium ad Suetonii Calig., cap. XVI, p. CCXCVI. Hinc Victorinus Afer *Parilia* a *pariendo* duxit, repugnantibus aliis Grammaticis, qui a Pale, Dea, id uocabuli deriuant. In Palatino quarto legitur *rutro pastorali.* *Rutrum* quid sit, docuit olim in Coniectaneis ad Varronem Scaliger. Vltimam, quae ad hunc numerum in Scaligerana editione legitur, periochan primus

mus Palatino ad numerum ∞ CCLXIIX retulit. *Patres* fuisse appellatos τὴν γερουσίαν, notum est. Noti sunt *Patres conscripti.* Propertius,

Curia, praetexto quae nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit, rustica corda, Patres.

Thaletis Milesii aetatem idem Palatinus ad numerum ∞ CCLXVII retulit. Cretensem, non Milesium, fuisse alterum Thaletem, probauit Io. Albertus Fabricius, bibl. Graec. lib. I. cap. XXXV, quem de hac re consule.

NVM. ∞ CCLXVII

Aradi conditum primus Palatinus ad numerum ∞ CCLV, Cyzici uero ad numerum ∞ CCLVI, reiecit. De Cyzico alibi dictum est. Aradum, in Phoenicio mari insulam, totam oppidum, Plinius lib. V cap. XX H. N. memorat. Adde de ea Stephanum in ΑΡΑΔΟC, et eiusdem interpretes. *Talasius* in Sichardina editione, omnibusque Palatinis libris, *Thalassus* nominatur. In mss. codicibus est aliquando *Thalassius.* Scaligeri tamen scriptura rectior est. Plutarchus, in uita Romuli, Tom. I OO. p. XXVI, ΑΦ' ἧς δὲ, inquit, τὸν Ταλάσιον ἄχρι νῦν, ὡς Ἕλληνες τὸν Γαμήλιον, ἐπῴδουσι Ῥωμαῖοι τοῖς γάμοις. Καὶ γὰρ εὐτυχίᾳ φασὶ χρήσασθαι περὶ τὴν γυναῖκα τὸν Ταλάσιον. Adde et aliorum de ea re adductas ibi sententias, nec non et Liuium, Catullum, Festum, atque, e recentioribus, ad ἀνωνύμως de uiris illustribus cap. II Andream Schottum, ac M. Mantuam Benauidium, Polymath. lib. VII, cap. XII.

NVM. ∞ CCLXX

Addita est ad hunc numerum in primo Palatino sequens periocha, *Romulus, ut quidam ferunt, recondidit Romam, atque nominauit.* Reliqui Palatini hoc gestum habent quidem, sed ad alium numerum apponunt. Ab sunt deinde in Palatinis codicibus uoces, *qui et Salmanassar.* Vide, quae de hac deportatione disputarunt Simsonius, Chron. cathol. Part. III p. LVII, Fulle-

Fullerus Miscell. lib. II cap. V, Petauius de D. T. lib. IX cap. LXII, Goarus ad Syncellum p. LXVI notarum, Vsserius in annalibus V. et N. T. p. LV, et P. D. Huetius ad Originem p. XIII. *Ceninenses* in primo Palatino *Cenitenses*, in aliis *Caninenses*, corrupte uocantur. Quartus Palatinus *Caeninenses* per diphthongum scriptum legit, quod rectum est, habeturque etiam apud Iornandem. Stephanus, ΚΑΙΝΙΝΗ, πόλις Θυρρηνῶν, ἡ ἀπὸ Ρωμύλε ἁλῶσα. Τὸ ἐθνικὸν Καινίτας. At *Ceniten* conditorem eius uocat Festus. Mallem in Stephano legere, Καινινίτας, quomodo et Salmasio olim ad Florum est uisum. Suidas, ΚΑΙΝΗ, πόλις. Lege, ΚΑΙΝΙΝΗ. Adde Cluuerum lib. II Ital. antiq. cap. IX. *Cenitenses* tamen fortasse non plane improbandum est Nam et Stephani uetustiores tam editi, quam scripti, codd. habent, ΚΑΙΝΙΤΗ, non, ΚΑΙΝΙΝΗ, quod ex Xylandri demum officina est. Iterum noua forma *Ceninus* occurrit apud Propertium, lib. IV, Eleg. X. Pro *Crustumeni* in quibusdam codicibus est *Crustumeri*, quod etiam rectum. Virgilius lib. VII AEneid.,

Ardea, Crustumerique, et terrigenae Antemnae.

Notius tamen est gentile, *Crustuminus*, uel, e Varrone, *Crustumerinus*. Adde et de hac urbe Stephanum, eiusque explanatores. Deinde in primo Palatino legitur, *A Curibus Quirites appellari*. Propertius, lib. IV, Eleg. IX

Sic Sanctum Tatii composuere Cures.

Stephanus idem refert in uoce ΚΟΥΡΙΟΙ, ubi uide Thomam de Pinedo.

NVM. ∞ *CCLXXIV*

AEsimedes uocatur hic ἄρχων in unico primo Palatino codice, et editione Sichardina. Reliqui tres scripti *AEsimides* legunt, prout Αἰσιμίδης quoque dicitur Syncello, χρονογραφ. p. CCXI, et Pausaniae, Atticorum cap. III. At Αἰσιμήδης scribitur in utro-

que eclogarum Scaligeri EVsebianarum libro, et Pausania, Messen. cap. v.

NVM. ∞ CCLXXX

Primus Palatinus ad numerum ∞ CCLXXXII apposuit, *Sabacon, AEthiops, Boccorim uicit, et uiuum exussit, AEgyptoque regnauit.* Reliqui Palatini eandem periocham ad hunc numerum habent, leguntque *Sabacona.* Eclogae EVsebianae, lib. I p. XVII, Εἰκοστὴ πέμπτη δυναστεία Αἰθιόπων βασιλέων γ'. Πρῶτος Σαββακῶν, ὃς ἀϊχμάλωτον Βόκχωριν ἐλὼν ἔκαυσε ζῶντα, καὶ ἐβασίλευσεν ἔτη ιβ'. Idem est tam ex EVsebio, quam Africano, apud Syncellum, p. LXXIV χρονογραφίας, nisi, quod ibi habeatur, Σαββάκων, et, Βοχχωριν. Goarus non recte legit, Βόγχωριν. Nam Βόκχωριν uocauit tandem ipse Syncellus p. CLXXXIV. Βόκχορις Diodoro lib. I, Athenaeo lib. X, Plutarcho περὶ δυσωπίας, Βόκχορος Constantino Manassi nominatur. Aliter etiam Suidas, ΒΑΚΧΥΡΙΣ, inquit, ἐπὶ τῶν δικαιοτάτων. Τοιοῦτος γὰρ ἦτος ὁ βασιλεὺς Αἰγύπτου. Naxi conditum primus Palatinus ad numerum ∞ CCLXXV retulit. Fuere conditores eius Chalcidenses. Vide Strabonem, lib. VI γεωγρ. p. CCLXVII. Huius pericopae locum resarciuit in primo Palatino altera, quae infra legitur, *Messana a Lacedaemoniis capitur.* Pausanias, Messen. cap. XIII, factum id esse ait anno I. Olympiadis XIV. Vide Doduuellum de Cyclis p. DCXCIV. Ephorus apud Strabonem, lib. VI p. CCLXXIX, certamen hoc ob occisum a Messeniis Teleclum ortum esse, tradit, uicesimoque post caedem eius anno Messenam esse captam. Haec si uera sunt, referenda historia erat ad numerum ∞ CCXXIII. At Tyrtaeus, referente eodem Strabone, lib. VIII p. CCCLXII, τὴν πρώτην καλάκλησιν ἐν τοῖς ποιήμασι καλᾶς τῶν πατέρων πατέρας γενέσθαι, dixit. Vixit Tyrtaeus σύγχρονος τοῖς ζ' κληθεῖσι σοφοῖς, ἤκμαζε δὲ κατὰ τὴν λέ Ολυμπιάδα, circa quae tempora, si tres generationes retro numerentur, et unaquaeque earum XXX annis constituatur, Messena uidetur posse dici capta.

NVM.

NVM. ∞ CCLXXXIV

Clidicum hunc *Melidicum* uocant tres posteriores Palatini. *Elidicum* dicit Sichardina editio, facili unius litterae lapsu. *Clidicus* recte scribitur in primo Palatino. Κλείδικον enim cum EVsebio uocat etiam Pausanias, Attic. cap. III. Nihilominus in eclogis EVsebianis, lib. I p. XLVII, Κλεόδικος nominatur, quomodo uidelicet extat etiam apud Syncellum, p. CCXI χρονογραφίας. In eodem Palatino primo Syracusarum conditus ad numerum ∞ CCLXXXVII apponitur, ad quem sane annum refertur etiam a Cluverio in Ital. antiq. Vide et Stephanum, cuius locus secundum Scaligeri mentem a nuperis editoribus plane erat corrigendus.

NVM. ∞ CCXCIII

Sebichum hunc, AEgyptiorum Regem, quartus Palatinus *Secucum* uocauit. In Graeco est Σεύηχος. Tamen in eclogarum EVsebianarum lib. I p. XXXV legitur Σεβήχων, prout habetur etiam apud Syncellum, χρονογρ. p. CLXXXIV. Africanus, qui itidem Σεύηχον eum uocauit, annos XVI isti attribuit. Vide Syncellum, χρονογρ. p. LXXIV. De Hippomene, Pausaniaeque cum EVsebio consensu, uide omnino iam supra laudatum, magnoque nuper cum Reipublicae litterariae damno denatum, Henricum Dodwellum de Cyclis p. DCXCIV.

NVM. ∞ CCCI

Chersonesi conditum primus Palatinus ad ultimum Candaulis imperii annum retulit. Stephanus huius Chersonesi Cilicae non meminit, nec Strabo. Syncellus, χρονογραφ. p. CCXII, Ἐν Σικελίᾳ, inquit, Χερρόνησος ἐκτίσθη. Sed Syncellus EVsebium, uti EVsebius Africanum, exscripsit. Porro primus Palatinus legit, *Romulus apud paludem Capriae*, et mox, *Quirini nomine a suis consecratus est*. Iornandes, *His ita ordinatis, repente, cum*

concionem haberet ante urbem, apud Capreae paludes, e conspectu ablatus est. Stephanus, ΚΑΠΡΙΑ, νῆσος Ἰταλίας. Ἐκλήθη ἐν ΕΥρώπῃ. Λέγουσαι ἡ Καπρέα. Ptolemaeo tamen Καπρέα dicitur. Dioni, lib. LII, Καπρία, aliis Καπρέα. Eas AVgustus amplificauit, Vide Strabonem, lib. V p. CCXLIIX. Easdem et Tiberius secessu suo nobilitauit. Vide, Tacitum, annal. lib. IV cap. LXV.

NVM. ∞ *CCCV*

Hanc periocham primus Palatinus scribit, *Tarachus Sebico interfecto AEgyptiis regnauit ann. XX.* In eclogis EVsebianis, lib. I p. XXXIIX, Ταράκης uocatur, prout etiam est in Syncello, χρονογρ. p. CXCI. Ab Africano, apud eundem Syncellum p. LXXIV, Τάρκος nuncupatur, atque per duodeuiginti tantum annos imperasse perhibetur, ut puta rescinderentur hic duo illi, quos Seuecho supra superaddiderat, anni. Historiam deinde de Herophila primus Palatinus ad praecedentem numerum ∞ CCCIIIIretulit, scripsitque, *Sibylla Samia, quae et Herophila dicebatur, insignis habetur. Samiam* putat Sibyllam EVsebius, et Cassiodorus, dictam fuisse Herophilen, secus, quam alii uolunt. Suidas enim, in ΗΡΟΦΙΛΗ, *Erythraeam* ita appellatam esse asserit. Per Herophilam *Delphicam* intellexit Solinus, cui consentit Pausanias, Phocic. cap. XII, qui eam Troiano etiam excidio antiquiorem fecit. Addatur et Scaliger ad Tibulli lib. II eleg. V, ubi Pausaniae locus recensetur, et, quae ad ἐπιδομὴν χρόνων Casaubonianam diximus. Eadem haec periocha infra quoque ad numerum ∞ CCCXLIX habetur, quam tamen primus Palatinus ad numerum ∞ CCCLI transtulit. Non multo post lege, ut est in primo Palatino et Sichardi editione, *quum ante hunc decem tantum menses apud Romanos fuissent, adeo, ut ultimus December diceretur.* Iornandes, *Ille* (Numa) *Pontifices, AVgures, Salios, ceteraque sacerdotia, annumque in XII menses, fastos dies, nefastosque, descripsit.* De congiario Numae Pompilii uide pluribus Chronicum Paschale, p. CCLXXVI.

NVM.

NVM. ∞ *CCCVII*

Nicomediae urbis annum natalem ad numerum ∞ CCCXI primus Palatinus posuit. EVsebii hallucinationem animaduerterunt Stephani interpretes, Salmasium ad Trebellium Pollionem sequuti, quem consule. *Deiocem* quidam codices *Deioclem* male appellant. De Ecbatanis Bochartus, lib. III cap. XIV, sui Phaleg, cum Stephani interpretibus, addatur. De Tarenti conditoribus Partheniis res nota est. Vide Strabonem, lib. VI p. CCLXXX, et EVstathium ad Dionysii περιηγ. uers. CCCLXXVII p. LXXI. Conditores *Parthenii* uocantur in omnibus scriptis libris, & Sichardina editione, atque ita nominauit eos Lactantius, lib. I cap. XX, Suidas, et Hesychius. Nihil enim ibi corrigendum est, quanquam id tentet Simsonius Chron. cathol. Part. III, p. LXVII. Παρθενίας enim *spurios* honestiori nomine notari, iamdudum ex Homero demonstrauit Dio ὁ χρυσᾶς τὸ στόμα, λόγῳ ξ', quem uide.

NVM. ∞ *CCCXXII*

Apsandrum, quem eclogae EVsebianae, lib. I p. XXIIX, Αλέξανδρον corrupte uocant, Palatini codices, et Sichardina editio, *Absandrum* nominant, prout tam *absinthium*, quam *apsinthium*, in mss., factum ex ἀψίνθιον, legitur. Hunc excepit Eryxias, qui in Palatino primo *Erysias*, in reliquis *Erisias*, appellatur. Apud Syncellum, χρονογρ. p. CCXII, ΕΥξυεξίας habetur, quod corrigendum erat. In eodem porro primo Palatino legitur, *AEgyptiorum XXVI dynastia, in qua regnauit Merres AEthiops an. XII.* In EVsebiana sylloge, lib. I p. XXXIIX, dicitur Αμαϊς, ὃς ἐβασίλευσεν ἔτη λή. A Syncello, χρονογρ. p. CXCIV, totidem quidem anni ei tribuuntur, ipse tamen ibi Αμάης uocatur. Ab Africano, ut e Syncelli p. LXXV patet, plane hic Rex omissus est. Contra p. LXXVI, καὶ ἀ μὲν ΕΥσέβιον, Αμμερις, Αἰθιοψ (lege Αἰθίοψ) ἔτη ιβ', primus

mus dynastiae XXVI, quae est Saitarum, regnasse memoratur, quum tamen in eclogis EVsebianis lib. II ΑΜΜΕΞΗΣ sit excusum.

NVM. ∞ CCCXXIX

Scripti libri omnes legunt, *Hipponax phs notissimus redditur.* Sichardus inde legit, *Hipponax Philosophus.* Sed merito dubitat Lydiatus, p. XLV, ad marmora Arundelliana, an unquam Hipponax aliquis Philosophus uixerit. Equidem ueteres Critici omnes, Poetam Philosophiae partes callere debere autumabant, interim nondum statim ideo antiquis illis temporibus *poeta* et *philosophus* erant synonyma, nisi fortasse, περὶ Πυθαγόραν γεγονέναι, Philosophos comminiscaris. Nugamur proinde, nisi aliam lectionem afferamus. Scaliger uocem corruptam plane omisit. Nos non praeter rem esse putamus, quod omnes libri scribant, *phs.* Hinc enim in autographo *ephus*, uel ἔφς, hoc est, ΕΦέσιος, *Ephesius*, fuisse, dicere ausim. Suidas, ΙΠΠΩΝΑΞ, ΕΦέσιος, ἰαμβογεάφος. Interim male tamen omnino ad hanc aetatem Hipponax ab eo, unde haec habet EVsebius, relatus est, cum eum Olympiade LX uixisse, e Plinii H. N. lib. XXXVI cap. V, et marmoris Arundelliani linea LVII, constet. Infra Hieronymus, numero ∞ CCCCLXXIV, *Hippicus*, inquit, *carminum scriptor, agnoscitur.* Quis *Hippicus* ille sit, nemo adhuc dum dicere potuit. Neque enim locum Critici satis emendarunt, quippe in quo legendum erat *Hipponax carminum scriptor.* Ille nempe *carmina*, prout Horatius odarum libros, uocauit, composuit. Nihilominus etiam Dionysius Petauius, libro XIII de D. T., anno Iuliano ∞ ∞ ∞ ∞ CLXXIV, Hippicum et Hipponactem diuersos fecit, quod sane erat ἀνιστόρητον. Colligo etiam aliunde, recentiorem esse Hipponactem, quam, ut ad haec tempora referri possit. Est apud Strabonem fragmentum eius, lib. XIV γεωγραφ. p. DCXXXVI, et Suidam in BIANTOC ΠΡΙΗΝΕΩΣ ΔΙΚΗ,

Δικάζε-

- - - Δικάζεσθαι

Βίαντός (ἐστι) τῦ Πριηνέως χρέσων.

Si hoc λεῖψανον nullam haberet utilitatem aliam, satis tamen est, quod ex eo quadantenus Hipponactis aetatem eruere possimus. Colligimus enim ex isto, saltim Biante Hipponactem fuisse recentiorem, cuius in illa ῥήσει fit mentio. Iam constat, Biantem unum de septem sapientibus fuisse qui numero ∞CCCCXXXV, anno secundo Olympiadis XLIX, uixisse dicuntur: post cuius anni adeo tempora Hipponactem floruisse, firmissimum exinde argumentum deducitur. Eum ἐν τῷ πρώτῳ τῆς Λυδίας ἰάμβων citauit scholiasta Nicandri, ad Θηριακῶν uers. DCXXXIII, p. XLII ed. Soteris, nisi tamen, quod ualde uereor, lectio corrupta est. Nam Critici hunc librum Hipponactis praetereunt.

NVM. ∞ *CCCXXXIII*

Argeum, etsi Syncellus saepius Αργαῖον uocauerit, Αργεῖον tamen nominauit p. CLXII χρονογραφίας. Mox, sequenti in periocha, post uerba, *constituti sunt*, in primo Palatino τελείᾳ σιγμῇ ponitur, deindeque legitur, *urbis electi Athenienſibus praefuerunt*. De uariis uariorum opinionibus circa Creontis imperii initium, consulendus est Lydiatus ad marmor Arundellianum p. XLIII, et Marshamus Canon. Chron. p. DLXI. De ipso Creonte Meursius inprimis erudite in De Archontibus egit. Paullo post Cyzici conditum primus Palatinus ad numerum ∞CCCXXXV collocauit, legitque, *Cyzicus recondita eſt*. Cur *recondita fuisse* dicatur, supra ad numerum DCCXLIII satis multis explicuimus.

NVM. ∞ *CCCXLI*

Lesbii in primo Palatino ad numerum ∞CCCXXXIII per LXIIX annos mare tenuisse dicuntur. Contra ad hunc numerum pericopa de Tulli Hostilii bellis in eodem legitur, quae in Sichardina editione ad numerum VI Romanum habetur. In illo ipso Palati-

Palatino libro bene legitur, *Et adiecto monti Coelio urbem applicauit.* Quod Tullo Hostilio tribuit Hieronymus, id ad Ancum Marcium refert Strabo, qui, lib. v p. CCXXXIV, Αγκ@ δὲ Μάρκι@, inquit, προσλαβὼν τὸ Κέλλιον ὄρ@, καὶ τὸ Αβεντῖνον, καὶ τὸ μεταξὺ τούτων πεδίον προσέθηκεν ἀναγκαίως. Interpres uertit, *montem Coelium.* Quodsi tamen Hieronymus sequendus est, legendum potius erat in Strabone, προσλαβών τὸ Ιανίκυλον. Vide eum numero ∞ CCCLXXV. Potuit etiam haec confusio oriri ex eo, quod alii alio ordine hos Reges recensent. Syncellus enim, χρονογρ. p. CCXI, Αλλοι δὲ, inquit, τῶν ἱστορικῶν τέταρτον τοῦλλον Οστίλιον ἀπὸ Ρωμύλου τάττουσιν, ἄλλοι δὲ ε', Αγκον Μάρκιον μετὰ Νομᾶν προτάττοντες αὐτῷ, καὶ λοιπά. Deinde in primo Palatino legitur, *AEgyptiorum Nechepsus, Magicae artis peritus, cuius scripta medicinalia feruntur.* Hic apud Africanum Νεχεψῶς, apud EVsebium Νεκέψως, referente Syncello, χρονογραφ. p. LXXV, dicitur. De scriptis Necepsi, a Plinio, Firmico, Galeno, laudatis, iam olim Marshamus, canon. chron. p. CCCCLXXVII, egit, quem, si tanti est, consulas. De *Nudipedalibus illis*, quae numero ∞ CCCXLVII, Hieronymus nobis obtrudit, disquisiuit Matthaeus Larroquanus Aduers. sacr. lib. II cap. XIX.

NVM. ∞ CCCLIV

Vocatur hic Rex in primo Palatino *Ardiis*, in reliquis *Ardis.* Legendum est, ut supra monuimus, *Ardys.* Apud Syncellum, χρονογρ. p. CCXXXIX, Αρδυσ@ habetur, ubi etiam per annos XXXIIX imperasse dicitur. Vide, quae diximus supra ad numerum ∞ CCXXXIX. Periocham de Archilocho, Simonide, et Aristoxeno, primus Palatinus ad numerum ∞ CCCLIII retulit, in quo, quemadmodum etiam in aliis editionibus, ultimus uocatur *Musicus.* De Archilocho Cornelius Nepos, lib. I Chronici, ab AGellio, N. A. lib. XVII cap. XXI, laudatus, *Archilochus*, inquit, *Tullo Hostilio Romae regnante, iam tum poematis clarus et nobilis.* Vide de eo loco Andream Schottum ad Cornelii fragmenta. Herodotus, lib. II cap. XII, ad Candaulis et

Gygis

Gygis tempora eum retulit. Ex hoc loco alii ad Olympiadem XV, suis rationibus non destituti, eum collocant. Simonides multo iunior est, et ad Olympiadem circiter LVI, uel LXII, reponendus. Vide scholia Comici ad σφῆκας, uers. ∞ CCCLXI. Aristoxenum Musicum, cuius harmonicorum elementorum libros III hodieque habemus, rectius ad Olympiadem CXI a Suida relatum esse, nullus est, qui nesciat. Mox legitur in primo Palatino, *Apud Locros crebro sermone celebratur*. Locri intelligendi sunt Epizephyrii, quod et ipsum iam obseruarunt uiri docti.

NVM. ∞ CCCLX

Byzantii conditum primus Palatinus ad numerum ∞ CCCLVII apponit. De eo, statuque eius tam ueteri, quam recentiori, Gillius, et Dufresnius, optime egerunt. *Alcmaeon* in primo et tertio *Alchmeon*, in secundo *Almeon*, in quarto *Alcmeon*, in aliis libris *Alcimeon*, uocatur. *Alcmeon* in *Alcman* igitur mutare nolim, quicquid tandem de confusione horum nominum praeter Scaligerum dicat AEgidius Menagius ad Laertii lib. VIII segm. LXXXIII. Alius noster est ab *Alcmaeone* τῷ Φυσικῷ, Antigono Carystio cap. XCVI p. LXXVI παραδόξων συναγωγῆς, memorato. Sane τὸ Αλκμὰν Doricum est, et ex Αλκμαίων factum. Notus est uel e Pausania Alcmaeon frater Amphilochi. Hunc eodem modo, Dorica dialecto usus, Pindarus Αλκμᾶνα uocauit, πυθ. ἡ, uers. LXVI. Sed nec cum Scaligero Laconem eum fuisse crediderim, uerum Lydum potius. Laconica enim dialecto usus est, quia Graecam linguam Spartae demum didicit. Nam quod, quia Lydus fuit, Ionica potius ipsi dialectus fuerit usurpanda, unde demum probabitur? Neque Lydi enim Graece loquebantur, sed, cum Phrygibus et Mysis, barbaris accensebantur. Hinc ipse Alcman, apud Plutarchum, libro περὶ Φυγῆς, fatetur se Spartae demum didicisse Graece, sequenti ἡρῳελεγείῳ,

Καὶ Μȣ́σας ἐδάην Ελληνίδας, αἵ με τυράννȣ
Θῆκαν Δασκυλίδεω κρέσσονα τȣ̃ Γύγεω.

Noui tamen, Laconem eum uocari Demetrio Triclinio ad Sophoclis Aiacem μαστιγοφόρον, περὶ μέτρων, p. CCCCXXXV, Clementi Alexandrino, lib. I στρωμ. p. CCCIIX, Suidae, aliis. Plura de hac re et certiora fortasse, sciremus, si ad nostram aetatem peruenissent, uel, quae Sosibius Laco, uel, quae Philochorus, ἐν τοῖς περὶ Αλκμᾶνος, dixere. Priorem laudauit Athenaeus, δειπνοσ. lib. III cap. XXX, posteriorem Suidas in ΦΙΛΟΧΟΡΟC. Statim post in EVsebio Latino *Lesches Lesbius* corrupte in tribus Palatinis *Lescolesius* uocatur. Leschis meminit praeter alios, Io. Tzetzes in inedita Homeri metaphrasi, apud Doduuellum, de Cyclis, p. DCCCI. Dorica, prout reliqui etiam Lesbii Poetae, dialecto usus est. Plura de eo apud R. Fabrettum ad tabulam Iliacam, p. CCCXLIX, habentur.

NVM. ∞ *CCCLXII*

Stagirae nomen uarie in scriptis libris pingitur. Primus Palatinus legit *Stragea in Asia*, secundus *Statyra*, tertius *Statira*, quartus cum Sichardo *Stagera*. Potest sane retineri *Stagera*. Graeca enim ea urbs dicitur Cτάγειρα, unde ὁ Cταγειρόθεν σοφὸς apud EVstathium uocatur Aristoteles. At Stagira neque erat Asiae, sed uel Macedoniae, uel Thraciae EVropaeae, neque ante Aristotelis aetatem ullo modo celebris. Syncellus, p. CCCXIII χρονογραφίας, Ακανθος, inquit, ϗ Cτάγειρα ἐν Ελλάδι ἐκτίσθησαν. Recte, ἐν Ελλάδι. Eo enim et Macedonia pertinebat. Cτάγειρον, ἑνικῶς, in Strabonis lib. VII epitoma, non procul fine, inuenitur. Equidem totum Hieronymi locum hoc modo legerim, *Acanthus condita, et Stagera, in Thracia.* Stephanus, ΑΚΑΝΘΟC, πόλις Θράκης. Selinuntis conditum primus Palatinus ad numerum ∞CCCLXVI transtulit. Idem liber cum omnibus reliquis scriptis non minus, quam

quam editis, *Selinis* legit. Syncellus, χρονογραφ. p. CCXIII, Εν Σικελίᾳ, inquit, Σελήνης (γρ. Σελινῦς) ἑκτίσθη. Strabo, lib. VI γεωγρ. p. CCLXXII, Σελινοῦντα τῆς Σικελίας τῶν αὐτόθι Μεγαρέων κτίσμα εἶναι, docuit. Latina scriptura *Selinis* non est corrupta. Virgilius, lib. III vers. DCCV,

Teque datis linquo uentis, palmosa Selinis.

Iterum Silius lib XIV,

- - plamis quoque onusta Selinis.

Ita utrobique libri scripti constanter legunt, et Seruius Honoratus, quem, cum Erythraeo in indice Virgiliano, uide.

NVM. ∞ CCCLXX

Terpandri aetatem ad numerum ∞ CCCLXXVI Palatini codices referunt. Anno hanc sententiam Sichardina editio anteuertit. De eo uide, quae Plutarchus περὶ μουσικῆς, marmor Arundellianum linea XLIX, et, e recentioribus, Simsonius Chron. cathol. Part. III, p. LXXVI, et Fabricius B. G. lib. I cap. XXXV, retulerunt. Tertiam de oracuIo Dodonaeo periocham primus Palatinus ad numerum ∞ CCCLXXIIX his uerbis apponit, *Oraculo Dodonaeo primum Graecia uti ausa est.* Eodem modo reliqui scripti libri, et Sichardina editio, habent. Enimuero antea fortasse non tam Graeci, quam accolae barbari, eo oraculo usi sunt. De oraculo Dodonaeo fusissime egit Stephanus in fragmento Segueriano, et ad illud Gronouius, EVstathius ad Od. Ξ, Ezechiel. Spanhemius ad Callimachum p. CCCCXCVI, et cui non dictus Hylas? Interim nemo tamen hunc Hieronymi locum solide excussit. Syncellus, χρονογρ. p. CCXIII, Δωδώνης, inquit, τῷ μαντείῳ κατὰ τότε Ἕλληνες ὡς χρόνους ἐχρήσαντο. Latet inueteratum

lectionis monstrum, aut ignoratur historia, quae facit, quo minus sententia huius loci plana sit.

NVM. ∞ CCCLXXXIII

Pro *Myrtaeus*, etsi Syncellus etiam, χρονογρ. p. CCXII, non aliter habeat, et in quibusdam codicibus *Myrieus* legatur, lubentissime cum Scaligero *Tyrtaeus* reposuerim. Persuadet id plane Suidas, qui, Τυρταῖος, inquit, ἤκμαζε κατὰ τὴν λέ Ολυμπιάδα. Ille tamen male eum Laconem facit, uel etiam Milesium. Simsonius, Part. III Chron. cathol. p. LXXIV, male in Suida corrigit, κατὰ τὴν κέ Ολυμπιάδα. Athenienſem fuisse e Pausania liquet. Vide, praeter alios auctores, de eo scholiastae Dionis Prusaensis ad λόγον β' fragmentum, a Morello editum. Porro ad numerum praecedentem refertur in primo Palatino periocha, *Scythae usque ad Palaestinam penitrauerunt.* Vide de hac re Petauium de D. T. lib IX cap. II. In eodem codice Thales Milesius, cuius paullo ante mentio est facta, *Examili filius* minus correcte dicitur. Mileti ille natus, Phoenicia oriundus est, quod Herodotus testatur. Pro *agnoscitur* mallem legere *nascitur.* Apollodorus enim apud Laertium, et Cyrillus Alexandrinus, κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς λέ Ολυμπιάδος, natum eum asserunt. Suidas tamen, γεγονὼς ait, πρὸ Κροίσου ἦν ἐπὶ λέ Ολυμπιάδος. Apud Syncellum corrupte est, Θάλης Εξαμοίου, pro, Θάλης Εξαμίου. Εξάμιον enim parentem eius omnes uocant scriptores. Porro, ad numerum ∞ CCCLXXV, periocha inferius posita, *Battus condidit Cyrenem*, legitur, de qua satis alibi diximus.

NVM. ∞ CCCLXXXII

Prusae natalem annum ad numerum sequentem Palatini codices retulerunt, cuius uicem altera de Periando periocha compen-

compensarunt. Primus Palatinus *Prusia* legit, non, *Prusias*. Syncellus, χρονογρ. p. CCXIII, Πρόσια, inquit, ἐκλίθη. Goarus uertit, *Prussiae fundamenta iaciuntur*. Ego non credo, uirum doctum hanc interpretationem explicare posse. Sichardi editio scribit, *Perusina condita*. Neque dubito, reponendum esse, *Perusia condita*. Nota est *Perusina fames*, quae, prout Μήλιος λιμος, apud Aristophanem in Auibus, in prouerbium abiit. Ea urbs Tacito, lib. I histor. cap. L, *inter cladium publicarum nomina* numeratur. De eius excidio post alios Boschius, ad Petron. cap. CI, egit. De Periandro egit Aristoteles lib. V Polit. capp. IX et XII, Herodotus lib. V, et inprimis Suidas, qui de eo ait, ὅτι, τὴν βασιλείαν τῆς πατρὸς καταπρεσβεῖον παραλαμβάνων, ὑπὸ ὠμότητος καὶ βίας ἐξέτρεψεν ἑαυτὸν εἰς τυραννίδα.

NVM. ∞ CCCXC

Multo recentior Phalaridis est tyrannis, quam, ut huc referri queat. Eius euersionem ad sequentem numerum primus Palatinus collocat. In Phalaridis aetatem accurate inquisiuerunt, Henricus Doduuellus, Carolus Boylius, et Richardus Bentleius, quorum scripta hac de re inter se comparanda sunt. De Epidamno Philippus Beroaldus ad Seruium, et Ioannes Baptista Pius annotat. posterior. cap. CXXXVII, olim egere. Thucydides lib. I, Ἐπίδαμνος, inquit, πόλις ἐστὶν ἐν δεξιᾷ ἐσπλέοντι τὸν ἰόνιον κόλπον. Ibi scholia, p. XVII ed. Steph., Ἐπίδαμνος) τὸ νῦν Δυρράχιον. Adde porro de ea urbe Stephani interpretes, Vossium ad Melam, Cluuerium, et alios. Ioannes Malala, χρονογρ. Part. II p. CXLI, Δορράχιον scribit, additque, ὅτι πρώην ἐλέγετο Ἐπίδαυρος, quod falsum est. Neque ego puto, librarium errasse, sed ipsum potius Malalam, qua erat, incuria Epidaurum cum Epidamno confudisse. Δορράχιον neograecismum olet, qui id ex *Durazzo* Italico desumit. Veteres *Durachium* uocabant,

prout in praestantissimis quibusque manuscriptis libris inueniri hoc nomen, testatur Laeuinus Torrentius, ad Suetonii Caes. cap. LIIX p. LXI. Lydorum deinde Regem *Sadiattem* per I Latinum primus Palatinus scribit. Sichardi editio eum *Sadyaten* uocat. Et sane καδυάτης etiam in Syncello, χρονογραφ. p. CCXXXIX, scribitur. At EVsebius, et Herodotus Κλειοῖ, illum Καδυάτην nominant, posteriorque tradit, per annos tantum XII Lydio regno ipsum praefuisse.

NVM. ∞ *CCCXCIIX*

Primus Palatinus, et Sichardi editio, legunt, *in portum Taenarum.* Reliqui codices, *in Taenaro.* Stephanus, Εστι δὲ, inquit, καὶ Ταίναρον, ὁ Ικαρίδος υἱὸς, ἀφ' ὃ καλεῖται ἡ ἄκρα, καὶ ἡ πόλις, καὶ ὁ λιμήν. Porro primus Palatinus, et Sichardus, scribunt, *Tarquinius Priscus capitolium exstruxit.* Cum hac scriptura consentit Tacitus, qui, Histor. lib. III cap. LXXII, Tarquinium Priscum uouisse Capitolium, et iecisse eius fundamentum, Horatium Puluillum uero, iterum consulem, dedicasse demum, affirmat. Strabo, lib. V p. CCXXXIV, memoriae prodit, Οἱ μὲν γε πρῶτοι (βασιλεῖς) τὸ Καπετώλιον .... ἐτείχισαν. EVsebiana Scaligeri syllogе, lib. I p. XLVII, Νομᾶς Πομπήλιος τὸ Καπετώλιον ἐκ θεμελίων ᾠκοδόμησεν. Ergo Tarquinius muris potius circumdare id coepit, quam extruxit. Nam etiam paullo post de eo dicitur, *muros et cloacas aedificauit.* Sunt tamen qui *ludos* legunt, non, *muros.* Et sane Romanos ludos eum instituisse, apparet ex Strabone, qui, lib. V p. CCXX, illum μουσικὴν, ὅση δημοσίᾳ χρῶνται, adornasse refert. Plura de eo Liuius, eiusque interpretes, EVtropius, Iornandes, alii, habent.

NVM. ∞ *CCCCIII*

Totam periochen primus Palatinus hoc modo exhibet, *Iosias*

sias, cum Rex Iudaeorum esset, cum Nechaone, Rege AEgyptiorum, congressus, occiditur. At mihi miraculum subit (Τὸ θαυμάζειν ἔπεισι), *quomodo in praesens tempus ista conueniant, maxime cum diuina Scriptura hunc eundem Pharaonem Nechaonem appellet.* Reliqui libri media uerba legunt, *quomodo in praesens tempus sibi uterque conuenerit.* Post uerba, *congressus occiditur*, uel haec, uel similia plane, excidisse reor, *Hunc quidam Psammitichum fuisse uolunt.* Graeca enim aperte idconfirmant, Καί μοι θαυμάζειν ἔπεισι, πῶς συνέδραμον, οἱ χρόνοι, καὶ μὲν δὴ τὸν προκείμενον κανόνα, ὡς ἀντιπρόσωπον τῆς Ιωσίᾳ τῶν Αἰγυπτίων βασιλέα Νεχαὼ εἶναι, τὸν καὶ Ψαμμίτιχον, ὃν καὶ ἡ θεία γραφὴ Φαραὼ Νεχαὼ ὀνομάζει. Verte, *Vt Rex AEgyptiorum Nechao, Psammitichus alias dictus, Iosiae e regione in folio chronographico ponatur.* Scaliger subleſta fide, et nullo bono ſenſu, tranſtulit, *ut Rex AEgyptiorum Nechao, qui et Necepſos, e regione Regi Ioſiae oppoſitus ſit.* Hoc uult EVſebius, ſe non poſſe perſpicere, qua tandem ratione ab illis, qui Nechaonem nolunt eſſe Pſammitichum, quum ante duos iam annos iſte mortuus fuerit, dici nunc demum poſſit, cum Ioſia eſſe congreſſus. Porro EVſebius addit, Nechaaonem hunc *Necepſi* etiam nomine ueniſſe. Νεχαὼ eum uocat quoque Africanus, non *Necepſon*, ſi fides eſt Syncello, χρονογρ. p. LXXV. Ipſe Syncellus, p. CCX, eum Νεχααβ appellat. Puto olim in EVſebio lectum eſſe, Νεχαὼ, ὁ καὶ Νεκὼς, non, ὁ καὶ Νεκέψως. Putabant enim librarii, quia haut ita multo ante τῷ Νεκέψω nomen praeceſſerat, truncatam hic eſſe uocem. Sane enim Νεκὼς uocatur Herodoto, lib. II cap. CLIIX, quī Νεχάως eſt Ioſepho, lib. X ἀρχαιολ. Ιουδ. cap. XI. Vide et appendicem ad notas in Malalam, p. CCXLV. At quis ille ſit, qui putauit Pharaonem Necho, cuius Ieremias meminit, eſſe Pſammitichum, quemque hac periocha perſtrinxit EVſebius, non habeo dicere, niſi, quod ὁ ἑῶνα ille ſequutus fuiſſe uideatur Herodotum. Quum enim Herodotus LIV imperii annos Pſammitichо tribuat, ille, Herodotum iam ſequutus, approbato in re-

reliquis ſuperiori EVſebii computo, Ioſiam cum Pſammiticho congreſſum eſſe anno regni ſui XLVI, et non cum Nechaone, falſo aſſeruit.

NVM. ∞ *CCCCVI*

Ad hunc numerum Steſichori aetatem primus Palatinus retulit. Poſtea omnes Palatini., et Sichardina editio, legunt, *Anno tertio Ioachim*, et mox, *et tributarium Ioachim feciſſet, uictor ad patriam reuertitur.* Sed *Ioakim* defendit Syncelli ſcriptura, χρονογρ. p. CCXVII, et Suidae. Sane *Eliakim* male uidetur legi, cum Rex AEgypti hoc eius nomen in alterum mutauerit. Ad ſequentem numerum Alcmanis aetas in codd. ſcriptis collocatur. Primus Palatinus deinde, et Sichardus, legunt, *AEgyptiorum Pſammuthes alius, qui et Pſammetichus.* EVbius Scaligeranus, lib. II, tantum Ψαμμίτιχον uocant. Ψάμμις eſt in Herodoti ΕΥτέρπη. At apud Syncellum, χρονογρ. pp. LXXV, LXXVI, et CCX, legitur Ψάμμυθις ετερος, ὁ καὶ Ψαμμίτιχος, tribuuntur que illi anni ab EVſebio et Syncello XVII, ab Africano VI. Eclogae Scaligeri EVſebianae, lib. I p. XLVII, eodem modo habent, niſi quod Ψαμμέτιχος ſcribant. Ego malim una uoce utrobique legere, Ψαμμυθισέτερος. Non enim alius Pſammuthes praecedit, et, ſi uel maxime praeceſſiſſet, ſcriberetur tamen potius Ψαμμύθης ὁ δεύτερος.

NVM. ∞ *CCCCX*

Hunc *Phrynonem* quidam libri corrupte *Phrenonem* ſcribunt. Olympionicem nuncupit etiam Strabo, lib XIII p. DXCIX. Herodotus quoque, libro V, huius facti meminit, mirorque adeo, Plutarchum περὶ Ηροδότου κακοηθείας illud in Herodoto deſideraſſe. Africanus, in eclogarum EVſebianarum lib. I, Τριακοστὴ ἕκτη Ολυμπιάς. Φρύνων Αθηναῖος, ὃς Πιτταικῷ μονομαχῶν ἀνῃρέθη, στάδιον. Inter-

tercedunt ergo inter eius uictoriam et hoc gestum anni XXIX. Pittacus porro ultra XL annos post hanc pugnam uixit, si quidem uerum est, quod de eo narrat Tzetzes ad Hesiodi librum IS ἔργων, ὅτι ἐξ ἱερείᾳ τὴν γλῶτταν, ὡς κάλλιστόν τε καὶ χείριστον, Ἀσωπιδι τῷ Αἰγυπτίῳ ἀπέσταλκεν. Atqui anno post eam XXXVII, τῷ τρίτῳ δήπεθ' ἔτει τῆς πεντηκοστῆς δευτέρας Ὀλυμπιάδος, mortuum esse Pittacum, auctor est in eius uita Diogenes Laertius. Fortasse igitur de Pittaco iuniore id intelligendum est, cui uideo, uiros non indoctos tribuere epistolium illud, sub Pittaci nomine ad Croesum perscriptum, quod apud eundem Laertium, libro I, extat.

NVM. ∞ CCCCXIV

Sapphus et Alcaei aetatem primus Palatinus ad numerum ∞ CCCXVII retulit, legitque, *Sappho Poetria, et Alcaeus Poeta, clari habentur.* Sane Alcaei aetas huc referenda est, quod uel e Strabonis lib. XIII, p. DC, constat. At Sappho Alcaei aequalis fuit. Vide plane, locum insignem, apud Aristotelem lib. I Rhetoric. cap. IX. Ioannes Malala, χρονογρ. p. LXXXVII, ingentem παραλογισμὸν historicum commisit, quando Cranai, Cecropis, τῆ διφυῆς successoris, tempore, atque adeo circa numerum DXI, τὴν Σαπφὼ, πρώτην Μουσικὴν, γνωρίζεσθαι, affirmauit. Idem Cedrenus dicit, nisi quod hic rectius eam τὴν τῆ πρώτην Μουσῶν uocauit. At δεκάτη uocabatur, non πρώτη, quod ex illo Platonis in Anthologiae Graecae lib. I, tit. LXVII, epigrammate probo,

Εννέα τὰς Μούσας φασί τινες ὡς ὀλιγώρως,
Ἠνίδε τῆ Σαπφὼ Λεσβόθεν ἡ δεκάτη.

Latine diceres,

Quam falso tu, uulge, nouem uis esse Camenas!
En decimam Sappho Lesbia terra dedit.

Alia ab ea fuit Sappho, e Lesbo quidem et ipsa insula, sed ciuitate Eresia, non Mitylenaea, de qua egit Athenaeus, lib. XIII cap. VII, ubi omnino ὁ πάνυ Casaubonus addendus est.

NVM. ∞CCCCXVI

Omnia hic in scriptis libris turbata sunt. Perinthi conditus ad numerum ∞CCCCXV, Massiliae ad numerum ∞CCCCXVII, refertur. *Camarina* quae hic dicitur, etiam in nostris libris omnibus *Camerina* uocatur. Nollem, hanc lectionem a Scaligero mutatam esse. Nam habetur etiam in Virgilio, lib. III uers. DCC, atque Seruio Honorato, apud quem etiam p. CCCXIIX, ed. Petri Danielis, in adductis Graecis uerbis Καμέρινα habetur. In Taubmanni tamen et Ruaei nupera editione male est *Camarina.* Nam Danielis lectionem Guellius Valens Pimpontius recte sequitur, & probat Cl. Dausquius, Orthogr. Vol. II, p. LXXIII. Eodem modo e καμάρα Graeco fit Latinorum *Camera*; quanquam etiam huius uocis mediam syllabam per A maluerit scribere apud Fl. Sosipatrum, lib. I, Verrius Flaccus, euphonia sane contradicente. Olympiade XLV Camerinam esse conditam, tradit quoque Pindari scholiasta ad ολυμπ. ε ὑπόθ., quem uide. Porro in primo Palatino perioeha de Solonis legibus ad numerum ∞CCCCXXIII habetur, contraque illa de Epimenide ad numerum ∞CCCCXIX est reducta. Plato de LL., lib. I, decem annis ante Persicam expeditionem Epimenidem ait Athenas ueniisse. Προχρονισμὸς igitur esset C circiter annorum. At Doduellus, De Pythagorae aetate p. CCXXXIV, duos maluit Epimenides statuere, quod durius uidetur, quam Platonem cum aliis scriptoribus committere.

NVM.

NVM. ∞ *CCCCXXVI*

Pro *Phaenippo* male tam primus Palatinus *AEnippo*, quam reliqui *Phenippe*, legunt. Scaliger, ἀναγραφῇ ὀλυμπιάδων, p. CCCXVI b., eundem eodem modo Φαίνιππον uocauit. At in eclogis EVsebii a Scaligero collectis, tam libro I p. XLIV, quam libro II p. CLX, Chronico Paschali, Syncello, et Clemente Alexandrino, Φίλιππος iste, non Φαίνιππος, uocatur: quanquam hos omnes corrigendos esse arbitretur Simsonius Chronici cathol. Part. III p. CIII. Phaenippum quendam praetorem Athenis fuisse anno Olympiadis LXXII tertio, e Plutarchi Aristide scimus. Fauet Scaligeranae lectioni, quod ille Φαίνιππος ὁ δεύτερος uocetur in linea LXII marmoris Arundelliani. Praecessit enim ob hanc rationem aliquis Φαίνιππος, ὁ πρῶτος λεγόμενος. Interim, cum incertum sit, quando magistratum ille gesserit, nolim tot auctoribus contradicere. Mox in omnibus libris editis et scriptis habetur, *usque in secundum annum Darii.* Deinde desunt uerba, *propbata certo loco. VVaphren* hunc EVsebius et Syncellus modo ὀναφεὶ, modo ὀναφεῖν, uocant. Africano ὀναφεις dicitur apud Syncellum, χρονογρ. p. LXXV. Interpres uulgatus Ieremiae cap. XXX comm. XLIV *Ephree* habet, ubi in LXX interpretum uersione ὀναφρὴ legitur. Vide omnino, quae de Scaligeri sententia pronunciat Marshamus p. DLXXI canonis chronici.

NVM. ∞ *CCCCXXX*

Pro *praedixisset* Pall. codices legunt *ante dixisset.* Legit etiam Sichardi hoc modo editio, scriptis libris in multis non deterior. Ceterum de ipsa re uide Petauium, de D. T. lib. X cap. I, et Marshamum Canon. Chron. p. DCIII. Iidem libri

Astyagis cum Alyatte pugnam ad numerum ∞ cccc xxxv, et historiam de Isthmiis ad numerum ∞ cccc xxxiix, retulerunt. Nolo hic ea recoquere, quae de Isthmiis et Pythiis Pindari interpretes, et Horatii, obseruarunt.

NVM. ∞ CCCCXXXV

Seruii initium imperii ad annum iv Olympiadis l retulit Dionysius: quod si uerum est, πεοχρονισμὸν annorum nouem EVsebius commisit. Hunc τόν τε Ησκυλῖνον λόφον, καὶ τὸν Οτιμινάλιον, πεοσθεῖναι τῇ πόλει, auctor est Strabo, lib v p. ccxxxvi. At τὸν Κυϊρῖνον λόφον idem ante Seruium τὰς πρώτας τειχίσαι, ibidem prodidit. Pro Cερσίῳ, quomodo etiam in Syncelli χρονογρ. p. ccxxxvii legitur, Suidas Cέρβιῳ scribit. Syncellus addit, ὁ καὶ Τύλλῳ. Idem est, acsi diceres, *Caesar*, qui et *Iulius* dicitur. Vocabatur enim *Seruius Tullius*, unde et corrigendum Τύλλιῳ, pro Τύλλῳ. Eum ita uocat, praeter alios, etiam Tubero, historiarum libro i, apud AGellium, N. A. lib. x cap. xiix, laudatus, ubi et censum instituisse idem memoratur Adde et Dionysium Halicarnassensem, et Iornandem. Primus Palatinus legit, *Census Romanorum ciuium:* quod etiam rectum est. Consule de ea uoce Casaubonum, exercit. xvi, sect. vi, Antibaron.

NVM. ∞ CCCCXLII

Anaximandri aetatem Palatini codices ad praecedentem numerum retulerunt. Recte ad haec tempora refertur. Quod si enim Olympiadis liix anno altero natus fuit annos lxiv, ut docet Laertius, sequitur, si ad hunc numerum referatur, annum xxxv eum egisse. Mox primus Palatinus legit, *Mortuo Nabuchodonosore, Babyloniorum Rege.* Si secundo anno Nabuchodono-

donoſoris, qui eſt Ioakimi quintus, Pharao Necho, uti Syncellus, χρονογρ. p. ccxxi, tradit, ab eo uictus fuit, ipſeque ille Chaldaeorum Rex, ut Syncellus p. ccxx tradit, per annos xxiii regnauit, ſequitur, hanc periocham ad numerum ∞ cccxliix eſſe referendam. Totidem ſane annos regnaſſe quoque eum, ait Beroſus, apud Ioſephum, lib. i καθ' Απίωνα, p. ∞ xlv. Ego tamen nihil mutandum eſſe cenſeo. Malala enim, p. cxci χρονογρ., ita de ea re ſcribit, Εν τῷ πέμπτῳ ἔτει τῆς βασιλείας Ναβοχοδονόσορ πᾶσα ἡ αἰχμαλωσία τῶν Ιουδαίων ἐγένετο ἐν Βαβυλῶνι, καθὼς Ευσέβιος ὁ Παμφίλου ἐχρονογράφησεν. Obiter corrige in Malala, πρώτη ἡ αἰχμαλωσία. Nam πᾶσα illa contigit demum anno eiuſdem imperii xxv. Iam ſi regnauit Nabuchodonoſor annos xliii, ultimuſque eius regni annus Abrahamitico ∞ ccccxliv reſpondet, ſequitur ſane ſponte ſua, primum Nabuchodonoſoris imperii annum in Abrahamiticum ∞ ccccii incidere; atque hoc modo Malala recte ſcripſit, EVſebium in quintum Nabuchodonoſoris annum primam Iudaeorum captiuitatem coniicere. Poſſis tamen etiam ueterem Malalae lectionem retinere, ſi excidere arbitreris ante uocem ἔτει duas alias ϛ εἰκοστῷ. Sic Chronologia eodem redibit. At Beroſus, a Syncello, χρονογραφ. p. ccxx, et Ioſepho, adductus, rectius primo anno Nechonem a Nabuchodonoſore debellatum, uictumque eſſe, aſſeruit. De Nabuchodonoſore uide et Suidam. Strabo, lib. xv p. dclxxxvii γεωγρ., e Megaſthene tradit, τὸν Ναυοκοδρόσορον, τὸν παρὰ Χαλδαίοις εὐδοκιμήσαντα, Ηρακλέους μᾶλλον, καὶ ἕως ἑηλῶν; ἐλάσαι. Caſaubonus ibi addit, *Nabuchodonoſor hic eſt Ioſephi, quem Regem e Graecis praeter Strabonem nemo, quod ſciam, nominat.* Megaſthenis locum adduxit tamen etiam Syncellus, χρονογραφίας p. ccxx, Ioſephus l. d., et lib. x, cap. xi, atque EVſebius, lib. x cap. xli, προπαρασκευῆς. Ceterum primus Palatinus ad nu-

merum ∞CCCCXLIV retulit quoque de agone Nemeaco periocham, in qua sub fine legit, *qui sub Archemoro fuerat*. Ea de re piget plura, post tot gymnastice rei enarratores, dicere.

NVM. ∞ *CCCCLI*

EVgamon, prout reliqui Palatini habent, a primo uocatur *EVgamnon*. Eodem modo, quamuis corrupte, Sichardus legit. Idem *Theogoniam* scribit. Palatini codices, ut supra, *Tegeloniam*, uel *Tegoleniam*, habent. Vide, quae diximus ad numerum ∞CCLIX. Porro in primo Palatino et Sichardi editione legitur, *quem Panathenaicum uocant*, *Athenis actus*. Quidam codices scribunt *Panaton*: Male. Marcellinus sub Hippoclide Archonte id factum tradit. Hunc ergo praetorem Athenienſem huic anno assignat Doduellus, de Cyclis, p. DCCXIII. Adde de Panathenaicis Pindari scholiastam ad Νεμ. ί ειδ. Phalaridis tyrannidem libri Palatini ad numerum ∞CCCCXLVI referunt, qui etiam Abaris in Graeciam aduentum ad numerum ∞CCCCXLIIX locant. AEsopi necem Suidas quoque ad Olympiadem LIV retulit. Michael Neander, in notis ad apocrypha V. T. p. CCCCLXXIX, non persuadet, ut cum ipso dubitemus amplius, an unquam AEsopus aliquis fuerit. At illi, qui AEsopum Phrygem ante Troiani belli tempora uixisse, eodem, quo Orpheus et Linus claruerunt, saeculo, existimarunt, merito suo notantur a Sixto Senense, lib. III B. S. p. CXXXIX. De AEsopo adde Fabricii bibliothecam Graecam, et Simsonii Chronicum catholicum, part. III, p. CXVI.

NVM.

NVM. ∞ CCCCLV

Prior Scaligeri editio habet, *solo altario consistente.* Mutata tamen haec lectio est in posteriori, ubi repositum inuenitur, prout est in primo Palatino, et Sichardina editione, *solo altari consistente. Altar* dixit Prudentius. *Altarium* metaplasmo Hieronymo perfamiliri excusari potest, et neograeci scribunt ἀλτάριον, quod Dufresnius, Glossario Graecobarbaro p. LV, notauit. Vt *altar altarium* facit, ita *exemplar exemplarium*, quod Hieronymus et ipsum libri huius prooemio usurpauit, et ideo moneo, ne quis, minus peritus, uitium typothetae esse arbitretur.

NVM. ∞ CCCCLX

Haec de Chilone periocha diuulsa legitur in Sichardina editione. Primus Palatinus cum Sichardo legit, *Ephorus, id est, respector in Lacedaemone. In Lacedaemone* supra etiam dixit, numero ∞ CCXIIX. Ephorus secundum Criticos ueteres dicitur ὁ ἐφορῶν τὰ τῆς πόλεως πράγματα καὶ ὠνία. Potius igitur esset *inspector*, quam *respector*. Hesychius, ΕΦΟΡΟC, ἐπίσκοπος, ἐπισκάτης, θεατής, θεὸς, ἐπόπτης. Glossae, *Inspectores*, οἱ ἔφοροι. Verba *dispositione communis gentis* et Sichardus delet, et in tribus Palatinis non inueniuntur, neque in Graeco textu comparent, etsi primus Palatinus ea agnoscat. Ille Anaximenis aetatem ad numerum ∞ CCCCLVII apponit, Thaletis uero mortem ad numerum ∞ CCCCLXIX. Deinde legit, *quomodo tentarit oraculum.* Hieronymus eam periocham de suo addidit. In eodem etiam libro scribitur, *templum Apollinis*

secunda

secunda uice incensum. Si Pausaniam, Phocic. cap. v, sequimur, contigit hoc Olympiadis LIIX anno primo, atque adeo historia ad numerum ∞ CCCCLXIX esset referenda. Idem Pausanias τέταρτον ἐν Δελφοῖς ναὸν uocauit, ut adeo *secunda uice* id non acciderit.

NVM. ∞ CCCCLXIX

Primus Palatinus, et Sichardus, legunt, *Suessam Pometiam subiecit.* Reciprocum *sibi* et *se* saepius in bonis auctoribus dissimulari, monuit iam olim ad Valerium Maximum Lipsius. *Suessa Pometia* uocatur etiam Liuio, lib. I cap. LIII, et Iornandi, p. XX, nec non et Straboni lib. v. Consule quoque de ea Thomae de Pinedo ad Stephanum obseruationes. Pro *lautumias* Sichardus habet *latomias*, scripti *lautomias*, uel *laotomias*. Sane *lautumiae* dicuntur quasi λαοτομίαι. *Latomiae* uocantur Festo Pompeio, et Varroni de L. L. libro IV, neque aliter in mss. Plauti inuenit Taubmanus, Capt. act. III, sc. v. *Lautumias* Scaliger praefert ad Festum, et Cuiacius, Obseruat. lib. v cap. VII, quibus Pandectarum Florentinarum scriptura fauet. Sed tu, uide ad hunc locum Pontacum, et, quae Dausquius, Vol. II Orthograph. p. CLXXX, monuit. Apud Liuium *triumuiri carceris latumiarum* memorantur. Ita enim ueteres aliqui libri scribunt, quemadmodum *epistula*, *adulescens*, *suboles*, non raro in iis inueniuntur. *Theognidis* aetatem primus Palatinus ad numerum ∞ CCCCLXXIV, reliqui tres ad numerum ∞ CCCCLXXIII, reiecerunt. Iidem tres *Theonius* legunt. Sichardus *Theognus* habet, metaplasmo Hieronymo non inusitato. Apud Syncellum, χρονογραφ. p. CCXXXIIX, corrupte est Θεόγνις. Eius γνῶμαι, quas Stephanus in ΜΕΓΑΡΑ παραινέσεις, Thucydidis uero scholiasta ὑποθήκας uocat, habentur quidem hodieque, sed mutilae passim, et interpolatae, atque etiam Theognidis nomen saepius mentientes.

NVM.

NVM. ∞ *CCCCLXXVII*

Hippicus hic, quisnam sit, me praeterit. Primus Palatinus *Hypicus* scribit. Reliqui scripti libri hanc periochen non habent. Salmasius, legendum esse *Ibycus*, alibi se dicturum pluribus, promisit ad oram libri, quod etiam praestitit ad Solinum p. LII. Eodem modo ante Salmasium legerat Arnoldus Pontacus, episcopus, cuius tamen emendationem lente probauit Scaliger. Suspicati nos sumus supra, ad numerum ∞ CCCXXIX, *Hipponactis* nomen hic esse substituendum, quod etiam, donec meliora afferantur, et certiora, adhuc iudicamus. Sequentem de Pherecyde pericopam primus Palatinus, et Sichardina editio, ad numerum ∞ CCCCLXXVI referunt, leguntque, *Pherecydes historicus, Pythagorae magister, clarus habetur.* Πυθαγόρα διδάσκαλον uocant etiam eclogae EVsebianae, Syncellus, χρονογρ. p. CCXXXIIX, iterum EVsebius lib. X cap. II προπαρασκευῆς, Cicero lib. I de diuinatione, Iamblichus in uita Pythagorae, Appuleius in Floridis, alii. Adde de eo Salmasium ad Solinum p. DCCCXLI, et Begeri spicilegium antiquit. p. CXXXVII. *Babylonium* hunc Pherecydem non minus inepte, quam Tzetzes *Assyrium*, uocauit EVstathius ad Odyss. ξ p. ∞ DCCLVII. Eundem περὶ τὴν μέ Ολυμπιάδα τεχθῆναι, retulit Suidas. Si primo istius Olympiadis anno id factum, sequitur hoc tempore illum annos fuisse LXII natum. Laertius Pherecyden κατὰ τὴν νθ' Ολυμπιάδα γεγονέναι affirmauit. Recte igitur priores edd. cum scriptis libris ad istam hanc periocham retulerant.

NVM. ∞ *CCCCLXXX*

Primus Palatinus paullo aliter legit, *Simonides, carminum scriptor Lyricorum*, iterumque mox, *et Theophanes, scriptor Tragoediarum, et Physicus.* Equidem legerim, *Simonides carminum scriptor*, demta uoce, quae e glossa esse uidetur, *Lyricorum.* Neque Hieronymus uocem μελοποιῶ aliter solet reddere. Deinde e uestigio adderem, *et tragoediarum.* Sane uidentur haec uerba luxata esse, et huc referenda, non uero ad Xenophanem. Si-

monidem enim tragoedias scripsisse, auctor est Suidas, qui depromsit istud ex scholiis Comici ad Σφῆκας, uers. ∞CCCLXI, p. DXXXII. Cum uoce *Theophanis* quid faciam, non uideo. Sane tragoedum huius nominis antiqui scriptores nesciunt. Historicum, Pompeio Magno familiarem, multumque adeo iuniorem, laudat Strabo, lib. XIII, p. DCXVII. Menagius ad Laertium in ultimis uerbis corrigit, *scriptor elegiarum*, quam emendationem nimis audacem esse, primo quilibet intuitu affatim percipit.

NVM. ∞*CCCCXC*

Nondum liquet, an tres illi fratres simul exercuerint tyrannidem: immo potius statuendum uidetur esse contrarium. In primo Palatino, et Sichardi editione, uocantur *Polycrates, Sylus, et Pantagnostus.* Corrupta ea esse nomina, aliorum scriptorum auctoritate satis demonstrari potest. Συλοσῶν sane uocandus est ὁ ἀμφίκοιρος, et sic eum appellat Herodotus in Thalia, Strabo lib. XIV p. DCXXXIX, AElianus lib. IV cap. V, EVstathius ad Dionysii uers. DXXXIV p. CIIX, alii. De eius tyrannide in Syncello, χρονογρ. p. CCXXXIIX, et eclogis EVsebianis, nihil habetur, quae solius Polycratis meminerunt. Et mirum est, si Polycratem cruci suffixissent, cur fratres, et complices, Persae praeteriissent. Quin Strabo aperte dicit, ὅτι Συλοσῶν ἀπελείφθη ἰδιώτης ὑπὸ τοῦ ἀδελφοῦ, et sub Dario Hystaspida, regnum denique acceperit, circa Olympiadem puta LXV. Vide Suidam in Χλαμύς, et Zenobium. *Puteolos*, urbem, hoc tempore, a Samiis conditam esse, scripti libri uolunt. Primus Palatinus tamen eius conditum ad numerum ∞CCCCLXXXVI, Sichardus ad numerum ∞CCCCLXXXIIX, retulerunt. *Dicaearchia* olim uocata est. Suidas, ΔΙΚΑΙΑΡΧΕΙΑ, ἡ πόλις, ΔΙΚΑΙΑΡΧΙΑ δὲ, ἡ δικαίως ἄρχουσα. Adde Stephanum in ΔΙΚΑΙΑΡΧΕΙΑ, et ΠΟΤΙΟΛΟΙ, ac consule ibidem eiusdem interpretes.

NVM. ∞*DIIX*

AEginetas mare per XXV annos obtinuisse, in primo Palatino scribitur. Recte sane. Nam anno post hunc numerum XXVII Athe-

Athenas demum Xerxes uenit, ut infra docetur. Praeceſſerunt AEginetas θαλασσοκρατοῦντας Samii, apud quos Polycrates tantum potentia ualuit, ὥςε καὶ θαλασσοκρατῆσαι, ut auctor eſt Strabo lib. XIV p. DCXXXVII, et Herodotus lib. III cap. CXXII. Alius tamen ordo τῶν θαλασσοκρατούντων eſt apud Syncellum, χρονογρ. p. CCLVII, ubi AEginetae per x tantum annos maris fuiſſe domini dicuntur. Vide de hoc dominio omnino Herodotum ὀρατίᾳ, Strabonem lib. IIX p. CCCLXXV, Pauſaniam Corinth. cap. XXIX, AElianum ποικίλ. ἱστορ. lib. XII cap. X, alios.

NVM. ∞ DXXXIII

Choerilum hunc, et Phrynichum, quam non deprauant libri ſcripti. Primus Palatinus, et quartus, *Cyrillus et Frynicus*, ſecundus *Cherulus*, tertius *Choralus*, habent. Intelligitur *Choerilus Tragicus*, non alter *Samius*, qui Xerxis διάβασιν uerſibus deſcripſit, multo recentior, et Horatio, Ioſepho, aliiſque, memoratus. *Phrynichi* nomen corrupte etiam legitur apud Ioannem Tzetzen ad Heſiodum, p. CXXVII ed. Baſil., ubi pro Φερένικον plane legi debet Φρύνιχον. Vide de re, quae ibi tractatur, Strabonem lib. XIV p. DCXXXV. Apud Syncellum quoque Περούνικος pro Φρύνιχος, χρονογρ. p. CCLIV, male editum eſt. Mox inter illam de Diagora, et alteram de Xerxe, periochas haec habentur in primo Palatino, et ueteribus editionibus, uerba, *Xerxes in Helleſpontiaco mari pontem facit.* Reliqui libri ſcripti ea non agnoſcunt, neque in Graeco textu extant. Deinde idem primus Palatinus cum quarto recte legit, *ſub Principe Calliade.* Tertius peſſime legit, *ſub P. Gallia.* In Graecis eclogis etiam habetur, ἐπὶ ἄρχοντος Καλλιάδου. Praeter eas Καλλιάδην eundem uocant Dionyſius lib. IX, Herodotus, Diodorus, et Thomas Magiſter in uita EVripidis. Sed tamen, ne quid diſſimulem, Diogenes in Anaxagorae uita, Anaxagoram floruiſſe ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος Ἀθήνησιν, ait. Vide Lydiatum ad marmor Arundellianum, p. LIX, ubi Scaligero quoque

monstratur, nondum palam esse, haec anno primo Olympiadis LXXV gesta esse.

NVM. ∞ DXLIV

Pindari aetatem ad numerum praecedentem primus Palatinus collocat, legitque, *Pindarus Musicus* clarus habetur. Mox idem codex exhibet, *Romae uirgo summa.* Sichardus legit, *Romae uirgo Vestalis Sunia*, ut in quibusdam codicibus etiam Scaliger inuenit. Syncellus, χρονογρ. p. CCLIV, etiam corrupte, Ἐν τῇ Ῥώμῃ, ait, Σουσουνία παρθένος φθαρεῖσα κατωρύγη ζῶσα. Paullo post in primo Palatino est, *Diagoras Atheos*, in secundo et tertio, *Diagoras Atheus*, in quarto et Sichardi editione, *Diagoras Athenis.* In Graecis ea uerba desunt. *Atheum* sane uocatum esse Diagoram Melium, nemo nescit. Sed tamen eum etiam Athenis, post halosim Meli, patriae suae, habitasse, ex Aristophane Suidas prodidit memoriae. Quare lectionem uulgatam nondum loco suo mouendam esse, decreui. *Zeuxis* porro tam in Hieronymi, quam aliorum etiam auctorum, scriptis libris *Zeusis* uocatur saepius. Statim post in Pall. codicibus, et Sichardi editione, legitur, *quas plurimas inuitatus fecerat.* De Zeuxippo, lauacro CPtano, egimus ad numerum DCCCLVIII superiorem.

NVM. ∞ DLIIX

Esdras a primo Palatino *Esras*, a Sichardo *Ezras*, uocatur. Graecis Εσδρας scribitur, quod mirum, quum Z ualere idem, quod CΔ, uelint praestantissimi Grammatici, et in Hebraeo etiam עזרא sit. Ad finem huius periochae in primo et quarto Pall., ac Sichardina editione, adduntur sequentia, *affirmaturque, diuinas scripturas memoriter condidisse, et, ut Samaritanis non miscerentur, litteras Iudaicas commutasse.* In reliquis libris scriptis ea uerba non minus, quam in Sichardi editione, absunt. Puto ea e libris Esdrae ἀποκρύφοις hic ab Hieronymo esse addita. Malala etiam de hac re meminit, sed quosdam tamen tantum libros, non omnes, eum ἀπεσωματῶσαι scribit. Ita enim ille p. CCIV χρονογραφ. pergit, Τῷ Εσδρᾳ δὲ ὁ Ἀρταξέρξης καὶ τὰ ἱερὰ σκεύη ἔδωκε, καὶ

τὰς

τὰς βίβλους τὰς ἱερατικὰς τὰς εὑρεθείσας. ὁ δὲ αὐτὸς Εσδρας τῶν μὴ εὑρεθέντων βιβλίων ἀπὸ ὑπομνήσεως αὐτῶν γράψασθαι τὰ ὑπομνήματα ἐποίησε. Reliqua, quae de hoc negocio a uiris doctis disputantur, alius fori sunt, et instituti.

NVM. ∞DLXIIII

Primus Palatinus habet, *Romae Clario agon.* Omnino EVsebius scribere debuisset καπιλαείων, non Κλαείων. Etsi enim neque accurate *saeculares* hi ludi uocentur, tamen hoc nomine eos quoque compellauit Valerius Antias apud Censorinum, cap. XVII. Vide, quae de iis disputant Cappellus, Simsonius, et ad Syncellum Goarus. *Telesilla*, in cuius honorem τβεισικὰ, festum diem, Argiui agebant, *Tulla* in primo Palatino dicitur. Apud Syncellum, χρονογρ. p. CCXLVII, male Τελεσίδα legitur. Scaliger ait, manifestum esse ex Pausania, quod longo interuallo hanc epocham Telesillae aetas anteceſserit. At ego id adeo longum esse, non possum, e Pausania quidem, perspicere. Cleomenem enim, Anaxandridae filium, sub Dario Hysdaspida regnasse, constat ex Pausaniae Lacon. cap. IIII. Porro Telesillam sub Cleomene uixisse, clarum est ex Corinth. cap. XX. Xerxis aetatem quoque attigisse Cleomenem ex Herodoti Thalia cognosci potest, ubi ille aequalis Maeandrio, a Xerxe occiso, memoratur. Vixit ergo Telesilla circa Olymp. LXXV, et fortasse anus haec tempora attingere potuit. Non multo post, numero ∞ DLXXIV, primus Palalatinus cum Sichardi editione legit, *Athenienses exusserunt*, quae lectio non minus, quam altera, ferri potest. Neque ego de uaria lectione, quum res eodem redit, et utraque aequalis ualoris esse uidetur, magnopere laborandum, disputandumue esse, censeo.

NVM. ∞DLXXXII

Primus Palatinus legit, *Socrates, qui scholam congregauit*, et cetera. Eodem modo est in Sichardina editione. Suidas, φιλοσόφως δὲ, inquit, ἐν Λυκείῳ διῆγάσατο. In eclogis Scaligeri EVsebianis habetur, φιλόσοφος καθαρτικός. Eodem modo est apud

Syncellum p. CCLVII. Ibi Goarus uertit, *Socrates munditiei doctor.* Sed, quod et alibi monui, uerum est, Goarum saepe nescire id interpretari, quod interpretatur. Qui nouit Epimenidem τὸν καθαρτικὸν φιλόσοφον, καὶ Πυθαγόραν, καὶ ἄλλους πολλοὺς ἔνδον σινδόνος διδάσκοντας καθαρτὰς, initiationesque eorum, et lustrationes, perspectas habet, facile uidet, quanti uel Hieronymi, uel Goari, uersio aestumanda sit.

NVM. ∞*DCXXXVII*

In primo Palatino scribitur, *Elice et Bura, Peleponnesi urbes.* Ego potius legendum cum Salmasio puto, *Peloponnesenses urbes*, quod alibi iam dictum esse puto. *Buram* et *Helicen* (sic enim aliis posterior uocatur) terrae motu esse absorptas, tradit, praeter alios, Pausanias Achaic. capp. XXIIII et XXV. At ille tempus delectionis ad Olympiadis CI annum quartum refert. Annorum igitur VII προχρονισμὸς commissus est. Meminit eiusdem rei etiam Callimachus hymno IV, auctor libri de mundo cap. IV, Syncellus χρονογρ. p. CCLIIX, Ammianus Marcellinus lib. XVII, aliique, Scaligero nominati, scriptores. Ez. Spanhemius ad Callimachum p. CCCCIV, e Polybii lib. II obseruat, aetate adhuc Polybii Buraicae rei publicae formam διαμεῖναι. Qui ergo, inquit, si Bura tum temporis adhucdum floruit, Polybius cum historia concordabit? Immo uero concordabit, dummodo recordamur, restauratam aliquando Buram fuisse, non uero Helicen. Pausanias optime rem his uerbis enarrat, ὅτε δὲ Ελίκην, inquiens, ἐποίησεν ἄδηλον ἐξ ἀνθρώπων ὁ Θεὸς, τότε καὶ τὴν Βοῦραν σεισμὸς ἐπέλαβεν ἰσχυρὸς, ὡς μηδὲ τὰ ἀγάλματα ἐν τοῖς ἱεροῖς ὑπολειφθῆναι τὰ ἀρχαῖα. Ὁπόσοι δὲ τηνικαῦτα ἀποδημοῦντες ἢ στρατείας ἕνεκεν ἔτυχον, ἢ κατὰ πρόφασιν ἄλλοίαν, μόνοι δὲ οὗτοι Βουραίων ἐλείφθησαν, καὶ αὐτοὶ τῆς Βούρας ἐγένοντο οἰκισταί.

NVM. ∞*DXLIIX*

AEgyptiorum Rex *Theo* in Palatino primo *Teo* uocatur sine aspiratione, quae scriptura uulgata est melior. Graece enim ille,

ille, quamuis dissimulauerit in notis Scaliger, ΤΕΩC appellatur. Ita sane uocant eum excerpta EVsebii Scaligerana, lib. II p. CLXXIV, atque Africanus apud Syncellum, χρονογρ. p. LXXVII, ipseque Syncellus p. CCLVII. Emendata proinde in Hieronymo scriptura est *Teos*, quae lib. I p. XXXIII in eodem extat.

NVM. ∞DCLVII

Post illam de Demosthene periochen adde alteram, quae in omnibus libris, tam olim editis, quam scriptis, extat, *AEschines, Orator, agnoscebatur.* Deinde, quae ad numerum ∞DCLXIV. *Erinna* uocatur, hanc omnes libri *Herinnam* uocat. Neque sane hanc lectionem damnauerim. Ab ΗΡΑ enim fit ΗΡΙΝΝΑ, ut a ΦΙΛΗ deriuatur ΦΙΛΙΝΝΑ. Eam ad hanc aetatem retulit etiam *Syncellus*, χρονογραφ. p. CCLX. Plinius, H. N. lib. XXXIV cap. IIX, refert, Myronis statuarii opera istam celebrasse: Sed dudum annotarunt errorem, ut uolunt, Plinii uiri docti. Monimentum enim cicadae, a Myrone Poetria confectum, et ab Erinna laudatum esse, diuinant, quum tale quid epigrammatis in Anthologiae lib. III cap. XIV legatur. Atqui illud epigramma ibi aliis, non Myroni, ascribitur. Deinde non uideo, quum temporis ratio minus obstet, cur Erinna Myronis statuarii monimentum cicadae non potuerit celebrare. Myron enim ille, ut e Plinio constat, Olympiade LXXXVII uixit. At quomodo Myro Poetriam Erinna praedicare suis uersibus potuerit, id uero est, quod non satis perspicio. Myro enim Byzantia, uel Homeri Tragici filia fuit, ut uult Suidas in ΜΥΡΩ, uel mater, ut idem in ΟΜΗΡΟC opinatur. At Homerus ille, ut Suidas ait, Olympiade CXXV, sub Ptolemaeo Philadelpho, floruit, adeoque ad numerum Abrahamiticum ∞DCCXXXVII referendus est. Vnde patet, ultra LX ad minimum annos Myrone Erinna iuniorem esse, ab eaque, quum Ηριννα, παρθένος οὖσα ἐν νεακαιδεκάτης, ἐτελευτησε, nullo modo uideri potuisse. Sunt tamen, qui cum Th. Sizmano ad Rutilii Numantiani itinerarium, lib. I uers. XLVII, Lipsio de magnitudine Romae lib. I cap. II, Philippo

lippo Caroli ad AGell. lib. XII cap. VI, et aliis, sub Pompeii, aut circiter, aeuum, Erinnam uixisse asserunt. Id si uerum est, et e ueteribus auctoribus probari potest, non nego, Myronem ab Erinna potuisse laudari. Sed rursus facessat uiris doctis negocium locus Suidae, ubi de Erinna dicitur, ὅτι ἦν ἑταίρα Σαπφοῦς, καὶ ἰσόχρονος. Cl. Fabricius, lib. II cap. XVII bibl. Graec. tm. XLIIX, ἑταίρας uocabulum, quum non semper *aequalem* notet, aliter hic accipiendum putat. Scilicet, si id uerum esset, Suidas uix addidisset, καὶ ἰσόχρονος. Hoc sane in aprico est, ipsum Suidam plane credidisse, Erinnam aequalem fuisse Sapphonis. Sappho tamen iuniorem potius, non Eresiam, uidetur intellexisse. Suidae opus collectanea sunt. Quia igitur e Maximi Tyrii dissertatione VIII ΤΥΡΙΝΝΑΝ aliquam Sapphus aequalem nouerat, codice fortasse deprauato usus, Erinnam nostram esse putauit, aut, si uera dixit, Maximum Tyrium exinde corrigendum esse, docuit.

NVM. ∞*DCLXIX*

Non abhorret ab Hieronymi stilo lectio primi Palatini, qui scripit, *Sidoniam subuertit.* In quibusdam codicibus est, *Sidoniam conuertit.* ΣΙΔΩΝΙΑ ΠΟΛΙΣ δηλονότι. Προκαταλαμβάνεται γοῦν τὸ πρωτότυπον τοῦ ἐθνικοῦ, ut Technici loquuntur. Haut ita paullo post, numero ∞DCLXXIIX, in primo Palatino habetur, *ciuium centum sexaginta quinque millia.* Reliqui codices nihil mutant.

NVM. ∞*DCLXXXIII*

Primus Palatinus legit, *Illyricos et Thracas.* Sic habet recte etiam Sichardi editio. Stephanus enim utrumque gentile, ΙΛΛΥΡΙΚΟΣ, et ΙΛΛΥΡΙΟΣ, agnoscit. Deinde in quibusdam libris extat, *regibus ducibus*, quod non probo. Nam *Regii* uocantur hi *duces* τῶ ἐξόχως βασιλέως Darii. *Manlius* porro in scriptis nonnullis libris *Mallius* uocatur. Sed Ciceronis, Liuii, Catulli, Taciti, libri scripti constanter *Manlius* scribunt. Qui *Mallius* scribunt, graecissant. At Graeci, quod Th. Gaza quoque usus est, scriberent Μάνλιος, si per ἐπαλληλίαν στύσοιχον, Graecis non migrandam, liceret,

ret. Apud Suidam Μάλιος legitur, non Μάλλιος, si quidem uetus lectio sana est.

NVM. ∞ DCLXXXIIX

Ad hunc numerum primus Palatinus periocham addit, quae mox habetur, *Anaximenes et Epicurus, clari habentur.* Sichardina ἔκδοσις eandem ad numerum ∞ DCLXXXIX adiecit. Epicurum Suidas tradit γεγονέναι μετὰ τῆς Πλάτωνος τελευτῆς ἑπτὰ ἐνιαυτοὺς, ἐπὶ Ολυμπιάδος οθ'. Male. Si enim VII annis post Platonis mortem Epicurus floruit, incidit eius aetas in numerum ∞ DCLXXXIIX, qui est tertius Olympiadis CX annus. Scribendum ergo est in Suida, Ολυμπιάδος ρθ' uel potius, ρί. Deinde legitur in omnibus Palatinis, et ueteribus editis libris, *Alexander Hyrcanos et Medos capit.* In Graecis tamen EVsebii eclogis, et Syncello, χρονογρ. p. CCLXI, Τρκανοὺς καὶ Μαρδοὺς habetur. Μαρδοὶ, teste Stephano, erant ἔθνος Τρκανῶν. Satis ergo fuerit, Hyrcanos nominasse. Forte igitur Hieronymus *Medos* scripsit. Nam, Dario et Persis uicto, Media quoque ei cessit, quae Persiae tum parebat.

NVM. ∞ DCXCII

In primo Palatino legitur, *Alexander XXXIII aetatis anno*, et statim in omnibus libris scriptis, *in Babylone*, prout supra dixit, *in Lacedaemone*, quod toties notauimus. Dexippus, apud Syncellum χρονογρ. p. CCLXIII, Alexandrum uicesimo aetatis anno imperium suscepisse, testatur. Verum igitur est, eum, si XII annos regnauit, natum annos XXXII fuisse, quum diem suum obiret. Malala, e Theophilo Chronographo, χρονογρ. p. CCXLIIX, Αλέξανδρος, inquit, ἔζησε μὲν ἔτη λϛ', ἐβασίλευσε δὲ, ὑποτάξας τὰ πάντα, ἔτη ιζ'. Nicephorus Patriarcha, Syncello adiectus, p. CCCXCIX, Αλέξανδρος, ait, καθελὼν τὴν τῶν Περσῶν ἀρχὴν, ἐβασίλευσεν ἔτη ϛ', (sic uetus Chronographus, qui sub Seuero scripsit, apud H. Canisium tom. II antiq. lect. p. DC, Alexandrum post mortem Darii annis circiter septem imperasse, docuit) πρὸ τοῦ καθελεῖν τὸν

λεῖν τὸν Δαρείου βασιλεύσας, φασὶν, ἔτη ιβ', καὶ ἐτελεύτησεν ἐν Βαβυλῶνι, ὡς φασιν, ἐτῶν λέ, ὡς δὲ ἄλλοι, ἐτῶν λϛ'. Haec omnia multo distant interuallo ab EVsebio, quem tamen sequitur Cedrenus, qui, Καὶ ὁ μὲν ἐπὶ τοσούτοις, infit, κατορθώμασι τὸν βίον μετήλλαξε, δυσὶ καὶ δέκα χρόνοις, πρὸς μησὶν ἕξ, τοῖς ἀρχῆς ἀπολαύσας, βιώσας δὲ τὰ πάντα ἔτη δύο καὶ τριάκοντα. Annos XII eum regnasse, plurimi auctores consentiunt, Eratosthenes puta apud Clementem Alex. στρωμ. ά, Tertullianus contra Iudaeos, Iosephus ἀρχ. Ιουδ. lib. XII cap. II, I Mach. I comm. IIX, Orosius lib. III cap. XXIII, alii que, EVsebium secuti. Suidas tamen his uerbis aliter sentit, Ἀλέξανδρος, ὁ Φιλίππου καὶ Ολυμπιάδος, βασιλεύσας Μακεδόνων ἐνιαυτῶν ιή, τελευτήσας δὲ ἐτῶν λγ'. Ex hoc loco possit primi Palatini lectio defendi, a qua nec abludit Arrianus, qui, ἐν τοῖς κατ' Ἀλέξανδρον, lib. VII fine, ἐβίω δὲ, ait, δύο καὶ τριάκοντα ἔτη, καὶ τοῦ τρίτου μῆνας ἐπέλαβεν ὀκτώ, ἐβασίλευσε δὲ τούτων τούς τε ὀκτὼ μῆνας, καὶ ἔτη ιβ'. Qui plures ueterum διαφωνίας de his rebus nosse cupit, addat Stephanum Episc. Oriol. comment. ad caput I lib. I Machabaeorum, et, qui ex illo auctoris Machabaeorum libri loco Alexandrum per XXIV annos Macedoniae imperasse contendit, Ioannem Harduinum, Chronol. V. T. p. CLXII.

NVM. ∞DCXCVI

Vocabulum ΟΡΓΗΝ desideratur in omnibus PPPP. libris. Sichardus Latinis litteris *Orgen* scribit. Hieronymus uerba EVsebii, apud Syncellum, χρονογρ. p. CCLXXV, occurrentia, πρῶτον δρᾶμα διδάξας Ὀργὴν, ἐνίκα, capit, quasi Ὀργὴ prima eius fuisset fabula. Atqui uerba Graeca etiam ita possunt interpungi, πρῶτον, δρᾶμα διδάξας Ὀργὴν, ἐνίκα. Sic sensus erit, *Menandrum prima uice uicisse, cum docuisset hanc fabulam.* Potuit adeo plura ante docuisse dramata; sed non uicisse. Menandri huius poesin *ab Apostolo Paulo sanctificatam et dedicatam* uocat Tertullianus. Putat uersum eius a Paulo laudatum,

Φθείρουσιν ἤθη χρήθ' ὁμιλίαι κακαι,

Theo-

Theodorus Beza e *Thaide* ipsius desumtum, qui in ueteri N. T. codice ad latus istius pericopae inuenerat, Μένανδρος ἐν Θαδίᾳ. Fortasse potius inde legendum erat, Μένανδρος ἐν Λευκαδίᾳ. Tachygraphi enim breuiabant, ἐν Λαδίᾳ. Etiam hoc addo, quod praeteriit nuper Fabricius, fabularum eius nonnullas esse suppositas, auctoremque mentientes, iam olim a ueteribus habitas. Certe ΗΝΙΟΧΟΝ eius, quam alii tamen pro genuino foetu agnoscunt, Clemens Alexandrinus, πρωτρεπτικῷ λόγῳ, p. XLIX, ὑποβολιμαῖον δρᾶμα uocat. ΔΙCΕΞΑΠΑΤΩΝ eius nominanda potius fuerat ΔΙCΕΞΑΠΟΘΟC. Vide Turnebum Aduers. lib. IX cap. XXIV. Notum est illud, ὦ Μένανδρε, καὶ βίε, πότερος ἆρ' ὑμῶν πότερον ἐμιμήσατο; Nihilominus molles et fluentes uestes in eo reprehenderunt ueteres, qua de re Laurentius ad Phaedri lib. V fab. I egit. Statim periocha de Theodoro abest in primo Palatino. Reliqui eam agnoscunt. Deinde in omnibus scriptis, ac Sichardino codice, legitur, *ad extremum in seruitutem sui subigunt.* Scaligeri lectio Graecis uerbis satius respondet. *Extrema* enim seruitus τῷ τελείως κρατῆσαι insinuatur. Adde de bello illo internecino Flori lib. I cap. XVI.

NVM. ∞DCCXX

Hac in periocha primus Palatinus habet *Samaritanorum*, quo gentili Hieronymus alibi utitur. Stephanus in CAMAPEIA, Καὶ Ἐπαφρόδιτος μέν, inquit, τὸ ἐθνικὸν αὐτῆς Σαμαρεὺς εἶπε, καὶ τὴν πρώτην συλλαβὴν ἐμήκυνεν, ὁ δ' Αντίοχος, Σαμαρείτης. Epaphroditum sequitur EVsebius, qui τὴν Σαμαρέων πόλιν scribit. Deinde omnes codices legunt, *quam Perdicca construxerat.*

NVM. ∞DCCXXX

Palatinus primus, et Sichardina editio, legunt, *Serapis simulachrum Alexandriam uenit.* In Graeco est, ἐν Αλεξανδρείᾳ ἰδρύνθη. Deinde, ad numerum ∞ DCCXXXII, duo hae periochae in Pall. libris adduntur, *Zeno, Stoicus Philosophus, agnoscitur*, et, *Polemon, Philosophus, cognoscebatur.* Zeno intelligitur ὁ Κιτιεύς, probe ab Eleate

leate altero distinguendus. Eum *Patrem istum Stoicorum* uocauit Cicero. Vitam eius habes apud Laertium et Suidam. Mors istius ad numerum ∞ DCCLIII refertur ab Hieronymo. Ibi in primo Palatino legitur, *Post quem Cleanthes cognoscitur.* Syncellus, χρονογρ. p. CCLXXVI, Ζήνωνα, inquit, Στωϊκὸν, θανόντα, Κλεάνθης μαθητὴς διεδέξατο. Pro uerbis, *Argenteus numus primum in urbe figuratur*, scripti libri habent, *figuratus.* Garcia a Loaisa ad Isidori Chronicum p. XLV *signatus* legit.

NVM. ∞ *DCCCIII*

In libris scriptis Eratosthenes hic uocatur *Philosophus*, quod non plane falsum est. Dicitur enim Suidae μαθητὴς Φιλοσόφου Ἀρίστωνος Χίου, καὶ γεγράφαι δὲ Φιλόσοφα. Sed et Βῆτα τῶν Φιλοσοφούντων, uel, ut Marcianus Heracleota, περίπλω, p. XCV, habet, Βῆτα τοῦ Μουσείου, dictus est. E Suetonio constat eundem aliquando *Grammatici* quoque, uel *Philologi* nomine ueniisse. In iisdem deinde libris legitur, *Romani subiugant Capuam.* Statim post primus Palatinus scribit, *Ad quem Lacedaemoniorum Rex Arrius legatos mittit.* Petita ea ῥῆσις est aut ex I Mach. XII comm. XX, aut e Iosephi ἀρχαιολ. ιϐ'. lib. XII capp. IV et V.

NVM. ∞ *DCCCXVII*

In hac de Plauto periocha primus Palatinus legit, *pistori se locauit*, et mox, *quoties ab opere uacaret.* Duplex genus molarum, uersatilium, et trusatilium. Alteras iumenta, alteras homines agebant. Ad trusatiles has molas Plautus se locauerat. Confer L. Pignorium de seruis p. CCXLIIX ed. Patauinae. Male deinde in primo Palatino scribitur, *Apud Hieram.* Paullo post legitur, *Antiochus, Scopa superato, Syriae urbes recipit, et Iudae uoluntate coniungitur.* Tota res apud Polybium lib. XVII fusius enarratur.

NVM. ∞ *DCCCXXXIII*

Simonem hunc proditorem primus Palatinus, et Sichardi editio, aiunt, ad *Apollonium, Seleuci ducem, Phoenice confugisse.* Vide-

Videtur legendum, *Ad Apollonium Seleuci ducem in Phoenicen confugisse.* Syncello namque, χρονογρ. p. CCLXX, ille Apollonius Συρίας, Φοινίκης, καὶ Κιλικίας στρατηγὸς dicitur. Deinde legitur, *muneribus repromissis.* Tota historia apud Iosephum habetur.

NVM. ∞ DCCCXLV

In medio huius de Antiocho Epiphane perioches PPPP. codd. legunt, *ibique Iesu, cui nomen est Iason.* IACΩN nomen est ethnicismum plane redolens. Hoc, ut eo ineptius adularetur gentilibus, reiecto patrio, quo nec dignum erat κακὸν τοῦτοι ἔλεγχος, nomine, assumsit, ideo inprimis, quia affinitatem quandam, uel certe ἰσωφωνίαν, cum IHCOYC habebat, si Ionice scribatur IHCΩN. Gobelinus Persona Cosmodromii aet. IV cap. XIV, *Habuerat*, inquit, *ipse Onias duos fratres, quorum unus dicebatur Iesus, alter Ioannes. Isti, appetentes summum sacerdotium, uolentesque placere Regi, imposuerunt sibi nomina gentilium, ita, quod Iesus nominari* Iason, *et Ioannes uoluit nominari* Menelaus. Ceterum hanc Pontificatus mutationem Syncellus, χρονογρ. p. CCLXXXVI, non ab Antiocho Epiphane, sed eius demum successore, Antiocho EVpatore, factam esse, asserit. At cum EVsebio faciunt, praeter auctorem libri Machabaeorum secundi, Iosephus ἀρχαιολ. ιουδ. lib. XII cap. VI, et Gobelinus antea laudatus. Sequenti numero pro uulgata olim scriptura *Rhodiam e Ianiculo delata* Garcia a Loaisa, ad Chronicum Isodori notis, p. XLVI, e msc. suo libro restituit, *Rudias translata.* Probat lectionem suam e Melae libro II. Ego nihil muto, etsi *Rhodias* mallem legere. Ῥόδαι enim haec urbs uocatur Stephano, et Ῥωδαίων πόλις Straboni lib. VI p. CCLXXXI.

NVM. ∞ DCCCLXIII

Hanc de Pacuuio periocham auctiorem habet primus Palatinus, et Sichardina editio. Legunt enim, *Pacuuius, Brundusinus, Ennii Poetae ex filia nepos*, et mox, *ac fabulas uendit auit.* Haut ita multo post, numero uidelicet ∞DCCCLXX, *Oppius* in primo

mo Palatino *Optinius*, in quarto *Oppimius* dicitur. In Graeco textu est, Οππιος Κελτοὺς ἐχειρώσατο. Fortasse legendum est, Λούκιος (Λούκουλλος puta) Κελτίβηας ἐχειρώσατο. Vide Appiani Ἰβηρικά. *Opimius* sane post XXX ab hoc numero annos consulatum demum iniit, adeoque huc non erit referendus. Statim post familiari Hieronymo metaplasmo legitur, *cum Romanis et Spartiatibus*. Deinde in primo et quarto Pall. scribitur, *Alexandro Philobalae*, *Regi Syriae*. Vulgo editur, *Alexandro filio Balae*. At quomodo Alexander filius nescio cuius Balae, si υἱὸς ἦν Αντιόχου τοῦ ἐπιφανοῦς, ut tradit Syncellus χρονογρ. p. CCXCI? Atqui tamen et ibi legitur in Syncello, Αλεξάνδρῳ τῷ Βαλᾶ. Iosephus lib. XIII ἀρχαιολ. Ιουδ. cap. IIX Αλεξάνδρον τὸν Βάλλης uocat, quasi mater eius nominis istum pepererit. Alii tradunt eum hominem ignotum et incertae stirpis fuisse. Vide Liuii lib. LII epitomen. Fortasse igitur genuinus eius Pater *Bala*, uel *Balas*, dictus est. Strabo, lib. XIV p. DCCLI, prout quidem Casaubonus emendauit, τὸν Βάλαν Αλέξανδρον eum uocauit. In numis hic Alexander saepissime uocatur ΘΕΟΠΑΤΩΡ, de quo cognomine Harduinus, in chronologia V. T. p. CCX, uidendus est. Latine ὁ Θεοπάτωρ dicitur *DIs genitus*. Fortasse igitur legendum est ὁ τοῦ Βαάλ, uel Βααλᾶ, ut Syriacum nomen pro Graeco positum reputetur.

NVM. ∞ *DCCCLXXX*

Amicabilia scripta rectius uocat Romanorum litteras primus Palatinus. Mox, numero ∞ DCCCLXXXVI, primus Palatinus, et Sichardi editio addunt, *Ptolemaeus AEgypto expulsus*. Et sane hunc Ptolemaeum, quem adulatores EVergeten secundum uocabant, circa haec tempora, aut paullo post, in Cyprum profugisse, bellumque patriae intulisse, narrat Iustinus lib. XXXIIX, et Orosius lib. V cap. X. Deinde numero ∞ DCCCXC, Rex Aruernorum in quibusdam libris *Vetuitus* uocatur, prout in marmore a Scaligero adducto eodem fere modo *Betuitus* legitur. Βιτουίτος uoca-

uocatur Athenaeo. In Strabonis scriptis codicibus Βιτίτος dicitur, in editis Βίτ]ος.

NVM. ∞ DCCCXCVII

Hanc periochen auctiorem reddit primus Palatinus, qui legit, *Samariam, quae uocabatur Ecthemas, et, nostro tempore, Sebaste.* Sichardus habet, *quae uocabatur Ectenias.* Vtramque lectionem nec Grecam dicere, nec barbaram, ausim. Iacobus Vsserius in indice Geographico, annalibus mundi praefixo, refert, quod Samaria, Iosepho teste, *Eitonias* aliquando uocata sit. Nos, etsi Vsserii fidem in dubium uocare nolimus, in Iosepho tamen reperire nos potuisse nusquam locum istum, affirmare possumus. Nouimus, Samaritanos a Iudaeis *Cuthaeos* esse dictos. An uero urbs quoque Samaria unquam *Cuthaea* dicta sit, non proditur. Quidquid id est, uidetur olim scriptum fuisse, *quae uocabatur et Cuthaea.* Sane enim Samaria ἡ τῶν Κεθαίων πόλις dici olim ἐπιθετικῶς potuit. Mox legitur in quibusdam codicibus *Grypho eiecto.* Libri enim scripti H saepius interponunt, ubi minus requirebatur, eodemque modo *Alchimus*, pro *Alcimus*, superius scriptum extabat. Neque tamen ipse illam lectionem reiecerim, etsi Graecis ὁ Γρυπὸς uocetur. Simili enim ratione ΤΡΟΠΑΙΟΝ, ΓΡΥΠΕΣ, ΡΙΠΑΙΑ ΟΡΗ, formant a se Latina uocabula, TROPHAEVM, GRYPHES, RIPHEOS MONTES.

NVM. ∞ DCCCCXIX

Haec perioche diuerse in diuersis codicibus legitur. Primus Palatinus habet, *per matrem Cleopatram, et in Cyprum secedente, ipsa regnauit*, reiectis illis, quae de Ptolemaeo Alexandro adduntur. In reliquis membranis ita legitur, *et in Cyprum recedente, regressus de fuga, regnum obtinuit, quum Alexandrum, qui ante eum fuerat, ob occisam matrem ciues pepulerant.* Cum posterioribus libris Sichardina editio facit. Sed ea res traditur postea, et est apud Iustinum libro XXXIX. Mox legitur *Rex Cyrenaeorum*, hoc est, τῆς Κυρηναϊκῆς Λιβύης, et statim, *reliquit heredes.*

redes. Deinde scribitur, *anno aetatis* XLIII, demto anno. At supra, numero ∞DCCCCXIV, annus additur, ubi in primo Palatino est, Lucillium, anno aetatis XLVII, diem suum obiisse.

NVM. ∞*DCCCCXXIX*

In tertio Palatino legitur, *Plotius siue Plotinus*, quod commentum est Graeculi, ut puto librarii, cui nomen *Plotini* erat notius. Deinde Ciceronis uerba Garcia a Loaisa, ad Isidori Chronicum p. XLVII, ita e msc. suo castigat, *Amplius memoria teneo, pueris nobis primum*, et reliqua. Paullo post in primo Palatino legitur, *inuenta sunt hominum CCCCLXXXIIII millia*, et statim, in quibusdam libris, *templum tertio apud Delphos incensum*, omissis uocibus, *a Thracibus*, quas tamen primus Palatinus, et Sichardina editio, agnoscunt. Pausanias, Phocic. cap. V, ubi fata huius templi satis alioqui accurate enarrantur, non notat, post LVIII Olympiadem fanum istud denuo combustum, sed, cap. VII, a Galatis direptum tantummodo, asserit. Iterum librarii παρεγχείρημα insigne habemus in quarto Palatino, et aliis, ubi *L. Annaeus* legitur pro *Iannaeus*. Deinde in omnibus libris scriptis extat, *uico Attace*. Vero similiorem putat Scaliger Horatiani interpretis ueteris sententiam, qui eum ab Atace, flumine Narbonensi, dictum uoluit. Meminit sane eius fluminis Strabo lib. IIII aliquoties. Attamen a fluminibus gentilia deriuare Latini non solent. Quae proxime sequitur de Cicerone periocha, abest a PPPP. libris omnibus, et uidetur ex AGellio ab aliena manu, saltim non ab EVsebio, hic esse infercita.

NVM. ∞*DCCCCXLIII*

Legendum est cum tribus PPP. codd., *et Nisibi cum fratre Regis capta.* Lectio tamen uulgata etiam defendi potest, qua de re alibi satis multa diximus. Primus corrupte *Nisi* legit. *Nisibis* urbs est Mygdoniae, ubi frater Tigranis, Armeniorum Regis, Guras, captus est, referente Plutarcho in Lucullo. Tom. I OO. p. DXIV, ubi tamen minus recte, ἦν οἱ μὲν βάρβαροι σίβιν, οἱ δ' Ελληνες Αντιόχειαν

Αντιόχειαν Μυγδονικὴν προσηγόρευον legitur. Adde et Dionem, lib. XXXV. Eam Iouianus postea Imperator in dedecus Romani imperii maximum Sapori, Persarum Regi, reddidisse legitur apud Ammianum Marcellinum, lib. XXV cap. XXXI. Statim post quidam codices legunt, *de Vesis triumfauit, capta Cabile.* Iornandes de regnorum successione p. XL, *Lucullus*, ait, *primus in Thracia contra Bessos pugnans, eos qui fortitudinis fama praeibant, deuicit. .... AEmimontioque debellans Pulendenam, quae nunc Philippopolis .... in Romanorum redegit dominium. Similiter et capiens ciuitates, quae litori Pontico inhaerebant, ... et Tomos Istri, omniaque loca usque ad Danubium subdens, Scythis Romanorum ostendit uirtutem. Cabylen* alii *Calyben* appellant, ut e Stephano cognosci potest, frequentiori illa, quam doceri debeat, litterarum transpositione. *Cabyle* Iornandis est *Philippopolis.* Strabo, lib. VII p. CCCXX, Ὑπέρκειται δὲ τοῦ Βυζαντίου τὸ τῶν Ασῶν ἔθνος, ἐν ᾧ πόλις Καλύβη Φιλίππου τοῦ Αμύντου τοὺς πονηροτάτους ἐνταῦθα ἱδρύσαντος. Hanc ob causam modo Philippopolis, modo Poneropolis uocata est. Plinius H. N. lib. IV cap. XII, *Oppidum*, inquit, *sub Rhodope Poneropolis antea, mox a conditore Philippopolis.* Clarius rem narrat e Theopompo Suidas in ΔΟΥΛΩΝ ΠΟΛΙΣ, Εστι δέ τις καὶ περὶ Θράκην πονηρόπολις, ἣν Φίλιππον φασι συνοικίσαι, τοὺς ἐπὶ πονηρίᾳ διαβαλλομένους αὐτόθι συναγαγόντα, συκοφάντας, ψευδομάρτυρας, καὶ τοὺς συνηγόρους, καὶ τοὺς ἄλλους πονηροὺς, ὡς δισχιλίους, ὡς Θεόπομπος ἐν τῇ ιγ' τῶν Φιλιππικῶν φησι.

NVM. ∞ DCCCCLII

Apionem omnes libri per P geminum scribunt *Appionem.* ΑΠΙΩΝΑ Graecos semper scribere, non recte affirmat Scaliger. Contrarium enim patet e Procopio, lib. I cap. IIX Περσικῶν, Theophane, χρονογρ. p. CXXVII, Malala, χρονογρ. Part. II p. CXXXII, aliis. Idem nomen AEgyptiacum esse putat, ab *Api* Deo deriuatum. Neque caret ingenio haec cogitatio. Eadem enim forma CEPAΠΙΩΝ a *Serapi* deducitur. Vocis nihilominus *APPION* scriptu-

ram librorum manu exaratorum auctoritate defendere possumus. Ita ab *APPIVS* formabitur *APPIO*, ut a *MARCVS Marcion*, a *PAVLLVS Pollio*, a *MOSCHVS Moschion*, ab *AMMONIVS Ammonio*. Statim post recte in mss. habetur, *Venusii nascitur*. Porro de Catulli anno emortuali multa disputauit Scaliger, et ante eum Ob. Gifanius in uita Lucretii, quem omnino uide.

NVM. ∞ DCCCCLXIIX

Diodorum hunc Siculum primus Palatinus *Dionysium Siculum* uocauit, quam lectionem sequi nolim. Mox legitur in eodem, *in Tyriano Brutio agro molientes*. Emendationem huius loci uide apud Abrah. Ortelium thes. Geogr. uoce *TIRIANVS*. Deinde haut multo post in libro eodem scribitur, *Decretum senatus Athenienſium*. In eo ipso, et reliquis codicibus, iunguntur periochae altera de Cleopatra, altera de lecticarum prohibitione, ita tamen, ut tum legatur, *prohibita est*, et mox, *annis quadraginta quinque*. Coniunctio istarum pericoparum tolerari nequit. *Vrbs* enim, quam Cleopatra ingressa est, non Roma, sed Alexandria fuit, quae et ipsa κατ' ἐξοχὴν uocabatur πόλις, ut e Stephano in ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ, et EVstathio ad Iliad. B, et Od. A, atque ad Dionysium περιηγ., uers. CCLIV, constat. De lecticis multa disserit Lipsius lib. I Elect. cap. XIX. Margaritarum prohibitionem non attendisse posteriora secula, e Tertulliano, De habitu mulierum, liquet. Porro in primo Pal. legitur, *Antonius decreuit*, et deinde male, *Sergius Sulpicius*, ac statim, *in eundem orbem coierunt*.

NVM. ∞ DCCCCLXXVI

Hanc periocham tres codices Pall. ita legunt, *C. Falcidius, tribunus plebis, legem tulit, ne quis plus testamento locaret, quam, ut quarta pars heredibus superesset, si quattuor, aut minus, essent: Si autem plus quattuor, medietas, eo tenore, ut, siue propinquis, siue exteris* (primus Palatinus habet, *siue liberis, siue propinquis*. In Sichardi editione est, *suis liberis, siue propinquis, idem*

dem exteris) pater sua legaret, illa pars, quam Falcidius constituit, nisi Pater interdixit, et legatis fruentibus, et eisdem carentibus, aequanimiter partiretur. Sichardus recte ad marginem annotauit, illa non satis conuenire cum his, quae in commentariis ICtorum de lege Falcidia habentur, de qua Fr. Balduinus singulari diatriba egit. Hoc interim non debuimus non annotare, eam periocham, quam in mss. suis Scaliger non inuenit, a nostris libris non abfuisse. Deinde *in insula Arada* in libris quibusdam scriptis habetur. Rectius *Arado* legitur, uti ante Scaligerum emendauit hunc locum Abrah. Ortelius thes. Geogr. uoce ARDA. In primo mox Palatino legitur, *Fornii, pater, et filius:* in reliquis posteriores tres uoces desiderantur, sed tamen *Fornii* scribitur. Potest illa ἀντισυχίωσις excusari, si meminimus scholiastam Comici, ad cΦῆκας p. ccccxc, ΦΟΥΡΝΟΝ, et Epiphanium, contra Ebionaeos, ΦΟΥΡΝΑΚΑ scribere. Plutarchus in M. Antonio Tom. I OO. p. DCCCCXLIII, Φούριος δὲ ἦν, inquit, ἀξιώματος μεγάλου, καὶ δεινότατος εἰπεῖν Ῥωμαίων. Non multo post in libris nostris extat, *Herodes Antipatris*, et deinde, *Arabicae filius*, iterumque, *suscepit imperium et principatum.* De his lectionibus post Scaligerum plura εὔσομα ἐμοὶ κείσθω.

NVM. ∞ DCCCCLXXXVIII

Sexta ad hunc numerum periocha primus Palatinus legit, *Nicopolis iuxta Actiacum condita.* Non conuenit hoc cum Graecis. Africanus, unde sua hausit EVsebius, apud Syncellum, χρονογρ. p. CCCIIX, Νικόπολις, inquit, ἡ κατὰ Ακτίαν ἐκτίσθη, καὶ Ακτία ὁ ἀγὼν ἐτέθη. Stephanus, Ἀρκάδιος δὲ ἐν τῇ ὀρθογραφίᾳ, Ακτία, ἡ πόλις, καὶ ἡ ἑορτή. Arcadium tamen Stephanus subiunctis his uerbis reprehendit, Αλλ' ἡ μὲν ἑορτὴ βαρύνεται, τὰ Ακτια, ἡ δὲ πόλις λέγεται οὐδετέρως, τὸ Ακτιον. Merito reprehendi Arcadium Abrahamus Berkelius putat, cum tamen Africani hunc locum plane ante oculos habuisse uideatur. Deinde quid sibi uult Stephanus, quando dicit, Αλλ' ἡ ἑορτὴ μὲν βαρύνεται, τὰ Ακτια; Nonne enim ἡ Ακτία

quoque barytonum est uocabulum? Suidas, ἈΚΤΊΑ, ἀγῶν παλαιὸς, ὡς Καλλίμαχος ἐν τῷ περὶ ἀγώνων δῆλον ποιεῖ. Tamen et ibi uiri docti scribere malunt Ἄκτια. Videtur ergo uetus mendum esse in Africano, ibique legi debere, ἢ κατὰ Ακτιον, et deinde, καὶ Ακτια. *Ambraciam* non esse Nicopolin, ut putauit Seruius, docuit Mattius Opin. lib. I cap. VII. De Nicopoli, et hoc agone, Dio lib. LI, Virgilius lib. III, Plutarchus, et Suetonius, sunt addendi. Nec tamen primum constituta sunt τὰ Ακτια. Contrarium enim e Suida uidimus. Αλλὰ τοῦτον ἀγῶνα ἐντιμότερον ἐποίησεν ὁ Καῖσαρ, ut ait Strabo lib. VII p. CCCXXV.

NVM. ∞ *DCCCCLXXXIX*

Ciuium Romanorum hoc censu ∞ *ϚϚLXIIII millia* primus Palatinus numerat. Syncellus χρονογρ. p. CCCXIII, Τιμήσεως, ait, γενομένης ἐν Ρώμῃ, ἀπεγράφησαν Ρωμαίων μυριάδες υιϛ΄, καὶ χιλιάδες τέσσαρες, qui numerus cum editionibus conuenit. Deinde legitur corrupte in nonnullis libris, *Pythagoricus magnus. Magi* uoce Hieronymus paullo aliter, quam reliqui scriptores, utitur. Notat enim illi etiam praestigiatorem, et, absque ope daemonum, ludicra uaria exercentem. Hanc olim huius uocis usurpationem fuisse, docuit scholiasta uetus ad OEdipum tyrannum Sophoclis, p. CLXIIX, ΜΑΓΟΥϹ, inquiens, ἐκάλουν τοὺς ψευδεῖς φαντασίας περιτεθέντας, ἀπὸ τούτου δὲ καὶ τοὺς φαρμακεῖς ΜΑΓΟΥϹ ἐκάλουν. Paullo post Cornelium Gallum *XLIII aetatis suae anno* se interfeciisse, in omnibus PPPP. libris, et Sichardi editione, dicitur. Statim deinde scribitur, *Trallis terrae motu consiederunt. Trallis* quidem ἑνικῶς etiam dicitur, quod uel e Stephano patet; sed hoc loco, nisi *Trallis* Sallustiano more pro *Tralles* scribatur, male ob σύνταξιν ita legitur.

NVM. ∞ *DCCCCXCI*

Omnes Pall. legunt *ciuilem potestatem esse contestans.* Scaliger in omnibus scriptis libris se *inciuilem* inuenisse testatur. Ipse legit, *imbecillem potestati se esse contestans.* Erat enim, addit,

dit, πόρρω ἡλικίας. Equidem etsi acutius quidquam reponi posse pro corrupta lectione negem, non tamen capio, quomodo, si ita legendum sit, in fastis Capitolinis anno ab V. C. DCCXXVI triumfasse de Gallis tradi possit, praecipue, quum, post eum triumfum per aliquod tempus Messallam uixisse, e Tibullo constet.

NVM. ∞ *DCCCCXCIX*

In prima ad hunc numerorum periocha primus Palatinus legit, *Herodes Oliziam*, et deinde, *id est Sebastiam*, moxque, *et in Paneide, id quod Panion, extruxit.* Pro *Oliziam* reposuerim *Garizim.* Sane in eo monte templum fuit illud celeberrimum a Samaritanis olim per Saneballetem extructum. Vide Malalam, χρονογρ. Part. II p. XCIII, p. XCIII, et quae Dufresnius ad Chronicum Paschale, p. DLXXXV, obseruat. Adde Guil. Tyrium, lib. IIX cap. I, et Guiberti historiam Hierosol., cap. XIV. Africanus apud Syncellum, χρονογρ. p. CCCIIX, Ηρώδης, inquit, ἐπικτίσας τῶν Γαβινίων πόλιν, τὴν ποτε Σαμάρειαν, Σεβαστὴν αὐτὴν προσηγόρευσεν. Adde Stephanum in CAMAPEIA. Cur Africanus Samariam τῶν Γαβινίων πόλιν, uel, quomodo malim legere, τὴν Γαβινίαν πόλιν, uocauerit, docet ibi Goarus, cuius sententiae alibi iam subscripsimus. *Gabinium* illum, a qua Samaria cognominata, Γαβίνιον Dio uocat. De *Panio* idem Syncellus, χρονογρ. p. CCCXI, Ο αὐτὸς δὲ, ait, τὸ Πάνειον εἰδωλεῖον κατεσκεύασεν ἐν Παναΐδι τῷ Πανί. Tradit de Panis simulacro idem Philostorgius. Stephanus in ΠΑΝΙΑ, Ἔστι δὲ καὶ Πάνιον Παλαιστίνης, ἀφ' ὃ ἐκρεῖ ὁ ποταμὸς Ιορδάνης. Vide ibi commentatores. Ad Syncelli marginem habetur haec rubrica, Διατί ἐλέγετο Πανειὰς ἡ νῦν Καισάρεια τῆς Παλαιστίνης. Idem ille Stephanus in ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ, Καισάρεια δέ τις, inquit, ἐστι καὶ Παλαιστίνης, καὶ τρίτη πρὸς τῇ Πανεάδι. Diuersas igitur Stephanus facit urbes Caesaream Palaestinae, et Caesaream τὴν ὑπὸ Πανείῳ, contra quam Syncellus facere uidetur. Nempe Stephanus per Caesaream Palaestinae eam intelligit, quam Καισάρειαν Στράτωνος Ptolemaeus lib. V cap. XVI uocauit, quaeque ab hac Palaestinae Caesarea Philippi

probe est distinguenda, etsi eas confuderit etiam ad Antonini itinerarium Hieronymus Surita. Vide de Caesarea, Stratonis pyrgo, quae ad Chronicum Paschale proferat Dufresnius p. DXXI notarum. At Caesarea ὑπὸ Πανείῳ, seu Πανιάς, prout Ptolemaeo uocatur, alio nomine *Caesarea Philippi* dicta est, eamque *Nerodiada*, mutato denuo nomine, appellauit Agrippa, ut Iosephus lib. XX ἀρχαιολ. Ιουδ. cap. IIX auctor est. Huic urbi, non alteri illi, EVsebius noster natales non minus, quam honores, debet. Manu descripti libri aliqui *Caesariam* scribunt. Beniamin Tudelensis שיזריא in itinerario. Mox in primo Palatino legitur, *qui AEneidae libros*, et inferius, *Antipatram*. Male. *Antipatris* enim uocata est. Stephanus, ΑΝΤΙΠΑΤΡΙC, πόλις, Ηρώδου κτίσμα ἐπὶ Αντωνίου Καίσαρος. Legendum, ἐπὶ Αντωνίου, ἢ Καίσαρος, uel potius, ἐπὶ Οκταουίου Καίσαρος.

NVM. ∞∞ *VII*

Legendum est, *quinquagesimo septimo*, prout in omnibus Palatinis extat. Non aliter Scaligerum legisse, et operarum incuria rectam lectionem deprauatam esse, e notis eius manifestum est. Ceterum, quae post Scaligerum dici poterant, excussit ingeniosissimus T. Faber lib. II epist. XLVI, quem uide. Statim post in primo Palatino legitur, *Caius Iulius, cognomento Polyscator*, reiecto *Hygini* nomine. In aliis codicibus est *Policastor*. Puto iam olim cognomen abfuisse. Inde factum, ut Caium Iulium Solinum, cuius librum hodie habemus, *Polyhistorem*, quidam scripti codices uocent. Nam istos quidem, qui librum ita inscribendum esse deinde arbitrati sunt, nasum non habuisse, uerum est. Sed et ii errarunt, quum uel temporum rationes obstent, qui de C. Iulio Solino intellexerunt, quod Hieronymus e Suetonio, ut uidetur, de Hygino affirmauerat.

NVM. ∞∞ *XIV*

Pro *Salomae* in omnibus libris scriptis *Solomae* extat. Apud Syncellum, χρονογρ. p. CCCXIV, Σαλώμης habetur. Mox recte *Quirinus*

nus legitur, nec scribendum ullo modo est *Quirinius*, qua de re omnino uidendus Theodorus Ryckius ad Tacitum animadu. pp. XXXVII et sequentibus. De censu uide omnino Rualdum ad Plutarchum p. CVI.

NVM. ∞∞XVII

In prima ad hunc numerum periocha Scaliger in omnibus libris scriptis *Sextus* inuenit. Nostri codices *Xistus* habent, prout in ueteribus etiam editionibus legitur. Sixtus Senensis, B.S. lib. IV p. CCCXXI, enchiridium Sexti meminit, quod, uocum similitudine elusus, Xysto P.M. Rufinus ascripserit. Alii id Rufinum studio fecisse malunt. Vide de Sextio omnino Iusto Lipsio ad Senecae epistol. LIX memorata. Paullo post Asinii triumfum ad numerum ∞∞XIX, et Herodis mortem ad numerum ∞∞XX, primus Palatinus inuerso ordine retulit, atque in illa de Asinio periocha *de Dalmatis* legit. Recte. Etiam Graecis utraque modo ΔΑΛΜΑΤΑΙ καὶ ΔΑΛΜΑΤΕΙC dicuntur, notante EVstathio, ad Dionysii περιηγ. uers. XCVII, p. XIX. In altera de Herode ῥήσει scriptus liber agnoscit, *scaturientibus toto corpore uermibus*, ὃ δὴ ἐμφαντικώτερον. Syncellus, χρονογρ. p. CCCXVII, Ηρώδης, inquit, ὕδρωπι συχθεὶς σκώληκας ἀπὸ τοῦ σώματος ἐξέβρασε. Hieronymus in EVsebio legit ἀπὸ τοῦ σώματος. Philistionem postea mimographum primus Palatinus male uocauit *monographum*. Ab eo, teste Epiphanio, fabulas ineptiasque suas sumserunt Simon Magus, et Gnostici. Cetera de eo in Vossio uide.

NVM. ∞∞XXVII

In de Messalla periocha primus Palatinus legit, *ulcere ilii*, tertius, *hulcere ilii*, non, ut editur, *ulcere sibi*. Viderint de ea lectione Medicorum filii. Deinde legitur in eodem Palatino, *anno aetatis* LXXII. Paullo quoque post in aetatis AVgusti annis annotandis peccatum est. Sichardus, Palatini omnes, et Miraei etiam scripti libri, recte scribunt, *LXXVI aetatis suae anno*. At Scaligeri editiones anno auctiores sunt: quod non probo, neque Scali-

Scaligerani cycli eam esse puto sinceritatem, ut tot aliis auctoribus, et tot inprimis mss., amplius contradici possit. Suetonius enim etiam, et Dio, et Velleius, et alii, AVgustum *septuagesimo sexto aetatis anno, diebus quinque et triginta minus*, diem suum obiisse, annotarunt. Ioannes Malala, χρονογρ. p. ccxcix, ὁ δὲ Καῖσαρ, inquit, ὀκταβιανὸς, (ita e corruptela uulgi *Octauius* dictus saeculis posterioribus, de quo Dufresnius ad Chronicum Paschale p. DXX egit) νόσῳ βληθεὶς, ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐτελεύτησε γέρων, ὢν ἐτῶν οε, ἐπὶ ὑπατείας ϲέξτου καὶ ϲεξτικιανοῦ. Ergo mortuus est Romae, si fabula uera est, et anno aetatis LXXV, quae duo sane istius Graeculi παραδράματα non sunt ferenda. Accedit tertium, *AVgustum Sexto et Sexticiano Coss. mortuum esse*. Itane uero? At ego existimo, si haec uera sunt, AVgustum illum hodieque in uiuis superesse. Neque enim tales consules Roma unquam tulit, uiditue. Nempe etiam Paschale Chronicum ϲέξτου καὶ ϲέξτου Coss. anno IV Olympiadis CCXIIX meminit, in eo tamen errat, quod diuersos facit a Pompeio et Appuleio, quos ad sequentem annum nominat. Rectius Suetonius, *Obiit*, ait, *AVgustus duobus Sextis, Pompeio et Appuleio, consulibus*. Nempe uero et hic, in Romanis rebus, παῖδες ἀεὶ Ἕλληνες. EVsebius interim non omnino omni errore est uacuus. Mors enim AVgusti cum Abrahami anno ∞ ∞XXX connectenda erat. Sed et Scaliger in sua EVsebii editione in eo ualde fallitur, quod primum Christi annum cum anno AVgusti XLIII componit. Iam olim enim H. Valesius ad EVsebii lib. I cap. V H. E. demonstrauit, in uetustissimis Chronici EVsebiani exemplaribus primum Christi annum cum anno XLII imperii AVgusti concurrere, adeoque annum Abrahami ∞ ∞XXIX cum anno Christi XV copulandum esse. Vide, quae hanc in rem, unde miri in Scaligerana chronologia παραλογισμοὶ orti sunt, copiosissime differunt Dionysius Petauius de D. T. lib. XI cap. VI, et Antonius Pagius ad Baronii annales Crit. Tom. I p. XV a.

NVM.

NVM. ∞∞XXXIV

Atqui XIV urbes recenſentur, non tredecim, de quo infra uidebimus. Pro *Moſthene* primus Palatinus habet *Oſthene*. Syncellus, χρονογρ. p. CCCXIX, Μοστίνην uocat. Eodem fere modo Μοστίνα ab Hierocle nominatur. Μοσθηνοὺς Ptolemaei intelligit Scaliger. Populi enim et urbis nomen commune fuiſſe, autumat Chr. Cellarius, G. A. lib. III cap. IV, qui e numis egregie probat, Μοστήνην, atque apud Latinos *Moſtenem*, ſine halitu, ſcribendum eſſe. His adde, quae Th. Ryckius ad Tacitum, p. XLV animaduerſionum, protulit. *Tmolum* primus Palatinus in *Hymolum*, tertius in *Tmolum*, quartus denique in *Tomolon* uertit. In Graecis eſt Τμῶλος. Legendum tamen reputauerim ΤΥΜΩΛΟC. Stephanus, ΤΥΜΩΛΟC, οὕτως ὁ Τμῶλος κατὰ ποιητικὸν μεταχηματισμόν. Hinc apud Ciceronem τὸ ἐθνικὸν *Timolites*, per I Latinum formatum, extat: niſi in Stephano potius ſcribendum ſit ΤΙΜΩΛΟC. Plinius, H. N. lib. V cap. XXIX, *Lydia*, inquit, *celebratur maxime Sardibus, in latere Tmoli montis, qui antea Timolus appellatus.* Adde Ouidium, lib. VI metamorph. uerſ. XV, et lib. XI uerſ. LXXXV, ubi *uineta Timoli* memorantur. Pro *Temno* Syncello Τῦμος memoratur. Neſcio, num Τύμνος forte legendum ſit, quam Cariae urbem Stephanus uocauit, an Τῆνος potius, quod pro Τῆμνος apud Herodotum occurrit: Salmaſius in notis ad Graecam EVſebii ſyllogen, ΤΙΟC legit, de qua urbe, in Paphlagonia ſita, Stephanus uidendus. *Cyme* in quibuſdam libris *Cyne* uocatur. Poſſit ſane ΚΥΝΗ Λυδίας, Stephano memorata, intelligi. Alteram interim lectionem, librorum auctoritate, quorum tamen aliqui *Cunae* ſcribunt, niſi ſim, nolim deturbare loco ſuo. Quartus Palatinus, *Themnos*, *Cymos*, *Smyrna*, tertius, *Temnus*, *Cymemirina*, uno uerbo, uterque corrupte, legunt. *Dia* aliquibus libris *Dya* dicitur. Salmaſius pro *Dia*, *Hyrcania*, ut tredecim uidelicet urbes tantummodo nominentur, legendum in Graeco textu putauit, Δία ἡ τῆς Καρίας. Nicephorus eam Κίβυρα uocat, cuius mentio iniicitur apud Strabonem,

lib. XIII extremo, p. DCXXX. Etiam hoc addo, quod Malala, χρονογρ. p. CCCXVII, Επὶ δὲ τοῦ Κλαυδίου, ait, Καίσαρος ἔπαθεν ὑπὸ Θεομηνίας ἡ Εφεσος, (cuius hic mentio non fit) καὶ ἡ Σμύρνα, καὶ πολλαὶ ἄλλαι πόλεις τῆς Ασίας. Claudio ergo Germanico, non Claudio Tiberio, regnante, hoc contigerit, si Malalam sequemur. Sed nobis quidem alia omnia uel e Strabone, aequali scriptore, constant. De Archelao et Caesarea Cappadociae eadem narrantur apud Suidam in KAICAPEIA.

NVM. ∞ ∞ *XL*

Haterium libri quidam *Atterium* uocant. *Aterinae legis* mentio apud ueteres scriptores aliquando occurrit. Deinde *Saeuius Plautus* a primo, tertio, et quarto, Palatinis *Seius* nuncupatur. Non multo post *Vontienus* est in primo Palatino pro emendato, quod etiam in Tacito legitur, *Votienus*, qua ratione in eodem infra, numero ∞ ∞ LXIV, *Vincentinus*, et in lapidibus, *quotiens*, *thensaurus*, similiaque multa, leguntur. De Phlegontis Tralliani loco uide Antonium Pagium Crit. ad Baronii annales, tom. I pp XXVI et XXVII. Porro in desperata illa tertia ad numerum ∞ ∞ XLIIX periocha tres PPP., ut uulgo legitur, scribunt, *prouerbium luserat:* at primus Palatinus, *prouerbium insserat*, legit, quod tamen ipsum, quam parum ad medicinam eius loci conferat, nemo non uidet. Pro *Corban* deinde *Corbonam* legit idem liber, quam lectionem Arnoldus Pontacus amplectitur, et pro *Volaterris* habet *Vulterris*. Alii libri *Volaterrae* legunt. Fortasse olim *Valterris* est lectum. Nam Strabo, lib. V p. CCXXII, Οταλδετέρας, uel, Οταλτέρρας eam urbem uocauit.

NVM. ∞ ∞ *L*

Addit ad finem perioches de Christianorum sacris, Romae recipiendis, Sichardina editio, *Scribit Tertullianus in Apologetico.* Eadem non tantum primus Palatinus addit, uerum etiam praeterea, *multos senatorum et equitum Romanorum interfectos.* Syncellus, χρονογρ. p. CCCXXIIX, omittit quidem posteriora uerba,

sed

sed addit tamen illa, ὡς Τερτυλλιανὸς ἱστορεῖ. Paullo post *Flaccus Auilius* in primo Palatino *Flaccus Alius*, et in tertio *Flaccus Aluius*, appellatur. Syncellus etiam binis uicibus nomen eius deprauauit. Nam, χρονογρ. p. CCCXXV, Φλάκκον Ασύλαιον, et, p. CCCXXXI, Φλάγκον Αγκύλιον nominat. Eadem in periocha quidam libri legunt, *synagogas quoque eorum polluunt*, ut oratio scilicet a populo dependeat. Deinde omnes Pall. habent, *ob fraudem hereditatis suae*. Statim post in primo Palatino extat, *se uxoris suae patrem scribere, et esse*. Scripsit porro se uxoris suae Patrem in tabulis et instrumentis dotalibus, quae συμβόλαια Graeci uocant, quaeque per auspices signabantur.

NVM. ∞∞ *LVII*

Notat antiquarius, cuius supra aliquoties iniecta est mentio, ad hunc locum in primo Palatino, alios codices non legere *patruus Drusi*, quo tamen modo omnes Palatini habent, sed *auunculus Drusi*, quia, addit ille, frater matris Caii fuit. Hoc scholium eo minus praetereundum duximus, quo rectius Suetonius, EVtropius, et numi, Claudium Drusi filium fuisse, dixerunt. Adde Basnagii exercit. Antibaron. IIII p. CCXLIX, qui tamen uel ideo, quoniam iam olim locus uarie lectus in EVsebio fuit, et ab Hieronymo potius est, quam ab EVsebio, in EVsebium iniquior esse uidetur. Mox recte legitur in primo Palatino ἐν πτώσει δοτικῇ, *AEgypto et Alexandriae*. De Marci in AEgypto commoratione uide EVtychii origines, ibique Ioannem Seldenum.

NVM. ∞∞ *LX*

In tertia ad hunc numerum periocha primus Palatinus *de Britannis* legit. In quarta ueteres quidam codices *Nemausienſis* habent. *Nemausenses* Suetonius etiam, in Tiberii cap. XIII, Nemausi uocat incolas. At ego tamen Hieronymum *Nemausienſis* scripsisse puto, quum etiam *Karthaginienſis*, et *Berytienſis*, pro *Karthaginenſis*, et *Berytenſis*, scriptum sit. Sane *Karthaginienſis* scribit Hieronymus numero ∞DCXXIII superiore: unde eo minus

de scriptae lectionis ueritate dubitandum. Paullo inferius in omnibus PPPP. extat, *triginta . . . Iudaeorum.* Deest enim uox *millia.* In Graeco textu est, τρεῖς μυριάδας. Recte deinde legunt quidam codices, *Fame facta in Graecia, modius VI drachmis uenundatus est.* Famem enim extremam putabat miles Romanus, non minus, quam alii populi mitiores, carere frumento, qua de re uidendus ad Curtii lib. v cap. VI Freinshemius. De insula, quae inter Theram et Therasiam exorta esse dicitur, uise, praeter Scaligerum, omnino Dionysium Petauium, de D. T. lib. XI, cap. IX, p. CLXX, et Ed. Simsonium Chron. Cathol. Part. VII pp. XXXIII et XXXIV, atque animaduerte, periocham de ea e Cassiodoro et Orosio ad numerum ∞ ∞ LXI a Petauio relatam esse, non dissentiente Pontaci et Miraei editione.

NVM. ∞ ∞ LXXII

Probus hic a primo Palatino *Brutius*, a reliquis *Berutius* dicitur. Ego sane ultimam scripturam improbare nequeo, quanquam noui τὸ ἐθνικὸν *Berutensis* notius esse. Statim post iterum *Tolosensis* in quibusdam scriptis libris mutatur in *Tolosanus*, quod gentile et in prouerbio, *aurum Tolosanum*, adhibetur. Male deinde in nonnullis codicibus habetur, *Festo cedit Albinus.* Retinendum enim est *succedit*, prout etiam in Graecis est διεδέξατο. *Simeon* porro notatur aliquando et *Simon* dici. CYMEΩN Hebraicae originis est uocabulum, CIMΩN Graecae. Moris nempe fere erat, quum gentes dominarentur Iudaeis, Hebraica uocabula in ἰσόφωνα Graeca, Latinaue, commutare, qua de re supra pauca monuimus. Ceterum uide Allatii librum de Symeonibus. *Annianum*, Alexandriae episcopum, Syncellus, χρονογρ. p. CCCXXXVI, Αἰνιανὸν uocat. Notat tamen Goarus in Pereziano libro Ανιανὸν nominari.

NVM. ∞ ∞ LXXX

Colassae uocantur in primo Palatino, quae in aliis *Colossae* dicuntur. Vtraque scriptura recta est, et, utramque defendi posse, Scaliger

Scaliger docuit, qui etiam in uno codice *Colaſſae* inuenit. Ad huius urbis, Laodiceae proximae, incolas, Coloſſenſes, non ad Rhodios, ut Th. de Pinedo ad Stephanum p. DLXXVII opinatus eſt, diuus Paulus epiſtolam ſuam ſcripſit, in qua iuſſit, ut ea, Coloſſis lecta, Laodicenſibus mitteretur. Mox ſatis recte in primo Palatino habetur, *Iunius Annaeus Gallio.* Statim poſt continenter legitur *mortem eius in Nerone ſua praeſentia deferente.* Pontacus reſcidit uerba illa, et hanc periocham e mſſ. ita conſtituit, *CCXI Olympias non eſt acta, Nerone in ſuam praeſentiam differente.* Recte deinde primus Palatinus ſcribit *Pontus Polemoniacus.* Veſtigia huius lectionis in reliquis etiam libris extant, in quibus *Pelomoniacus Pontus* inuenitur. Miraeus *Polemicus Pontus* ſcribit, contra fidem tam ſcriptorum librorum, quam Suetonii, Ammiani, et aliorum. Vide omnino Ioannem Malalam, χρονογρ. p. CCCXXXII, et Stephanum in ΠΟΝΤΟΣ. *Cottiae Alpes* male deinde in aliis codicibus *Cootiae*, in aliis *Coctiae* uocantur. Poſtea uerba illa, *Quidam codices habent, quod CCXI Olympias acta non eſt, Nerone in ſuam praeſentiam differente*, in primo Palatino non habentur, quod ſuperiorem Pontaci lectionem firmat. Scilicet, quia retulerat Hieronymus ad annum primum Olympiadis CCXI, Neronem in Olympiade coronatum eſſe, quomodo hoc anno illud repeteret? At librarius, qui Graeca cum Latinis contulerat, cum in Graecis eſſet, μεταθέμενος καὶ τὴν ὀλυμπιάδα ῥῆσιν illam, *Nero in Olympiade coronatur*, et reliqua, ad hunc annum retulerat, non ad praecedentem, quod exſcriptores minus recte ceperunt. In eodem primo Palatino ſequens pericopa hoc modo legitur, *Nero expenſas centies centena millia decreto ſenatus amicis ſubminiſtrat.* Hanc ſcripturam ſequi malim, quam uulgatam, quum nimis exigua alioqui ſumma eſſet, quam huic gurgiti ſenatus annuam attribuerit. Fortaſſe tamen pro *amicis* olim ſcriptum eſt *medicis.* Duas enim has uoces e notis fugitiuis in

libris scriptis saepius inter se permutari, Laeuinus Torrentius ad Suetonii Caes. cap. IV obseruat.

NVM. ∞∞*LXXXIIII*

In altera ad hunc numerum periocha primus Palatinus recte legit, *in Christianos*. In tertia periocha *Gessius* cum *Cestio* confunditur. Videatur Pagius Crit. ad Baronii annales lib. I p. L, et Th. Ryckius ad Tacitum p. CCCCLX. In septima historia *Numentanam uiam*, in octaua *Galba in Hibernia* codices quidam male scribunt. Galba enim in Hispaniis proconsul desciuit, ubi Iulius Vindex, propraetor in Galliis, Galbae imperium obtulit. Postea, numero ∞∞LXXXVI, in primo Palatino legitur, *undecies centena millia captiuorum*, reiectis illis, *fame et gladio periisse, et alia centum millia.* Mihi uidetur linea librarii incuria eo in codice omissa esse. Malala, χρονογρ. p. CCCXXXVI, de halosi Hierosolymitana sermonem instituens, Καὶ ἀπώλεσεν, inquit, ψυχῶν μυριάδας ϛί, ξίφεσιν αὐτοὺς κατακόψας, ἄλλας δὲ μυριάδας ιέ διαπέπρακεν. Vides hic alium haberi subhastatorum numerum. Syncellus, χρονογρ. p. CCCXLII, Φησὶ δὲ Ἰώσηπος, inquit, λιμῷ καὶ μαχαίρᾳ μυριάδας ϛί ἀπολέσθαι, καὶ ἄλλας τρεῖς μυριάδας διαπεπρᾶσθαι αἰχμαλώτων. At Hieronymus in EVsebio legit, μυριάδας ϛιά, καὶ ἄλλας ϛ΄ μυριάδας. Nihilominus altera lectio extat etiam in EVsebii H.E. lib. III. cap. V. Deinde in eodem primo Palatino habetur, *caussa Azymorum fuisse refertur*, et mox, *sunt concluſi*, statimque, *in iisdem diebus Pasce* (lege, *Phase*) *eos interfici.* In Graeco est, ἐν ἡμέραις τοῦ πάσχα. Sulpitius Seuerus, *Nimirum*, ait, *ita Deo placitum, ut eo tempore, quo DOMINVM cruci affixerat gens impia, neci daretur.* Reliqua, quae huc pertinebant è Malala, in προπαρασκευῇ praeoccupauimus.

NVM. ∞∞*LXXXIX*

Pro *Trachea Cilicia* omnes Pall. habent *Tracia*, *Cilicia.* Mirum fuerit, cum Ciliciam Tracheam in prouinciam redegit, si non idem alteri τῇ πεδιάδι fecerit. Fortasse, *utraque Cilicia*, legendum

gendum est, uel potius uetus lectio *Thracia, Cilicia*, retinenda. Ioannes Malala, χρονογρ. p. CCCXXXII, Ἔκτισεν, inquit καὶ εἰς Παννονίαν, καὶ εἰς Κομμαγενίαν τὰς ἐπαρχίας πολλὰς, καὶ τὴν ΕΥρώπαν δὲ ἀπὸ Θράκης ἐμέρισε. Paullo post *Gabinianus* corrupte in quodam libro *Gabianus* uocatur. *Musonium Ruffum* omnes Palatini *Musonium Ruffinum* uocant. In Graecis contra excerptis Ῥοῦφος habetur. De eo Suidam uide in ΜΟΥΣΩΝΙΟΣ, qui tamen, αὐτὸν ὑπὸ τῦ Νέρωνος ἀναιρεθῆναι, affirmat.

NVM. ∞∞*CII*

Daci in libris uocantur *Daces*, familiari Hieronymo metaplasmo, a quo nec abhorret Georgius Syncellus. In eo enim, χρονογρ. p. CCCXLIII, legitur, Ἐπὶ αὐτοῦ Δάκες, καὶ Νασαμῶνες Ρωμαίοις διεφθάρησαν. *Abilium*, cuius paullo ante fit mentio, episcopum Alexandrinum, idem Syncellus, χρονογρ. p. CCCXLIIII, Αἰμίλιον uocat. Alii tamen eius scripti libri Αἰγμίλιον, alii Αμέλιον, habent. Nicephorus, Patriarcha ecptanus, χρονογραφία συντόμω, p. CCCCXVI, Ἀβίλιον recte nominauit, in eo diuersus ab EVsebio, quod, prout etiam in Syncello est, per annos tantum XII eum sedisse dicat, tametsi ego, in Hieronymo quoque ita legendum esse, e numero ∞∞CXII malim.

NVM. ∞∞*CVI*

Thermae Titianae a libris male uocantur *Tatianae*. Quidam codex uerba illa, *Ludus matutinus, mica aurea, meta sudans*, non agnoscit, quae fortasse, cum non intelligere ualeret, librarius praetermisit. Paullo inferius legitur, *quia se Christianum esse testata sit*, et statim, *uespiliones*, non, *uespillones*. Glossae, *Bispelliones*, νεκροθάπται. Vide omnino de uaria huius uocis scriptura Laeuinum Torrentium, ad Suetonii Domitian. cap XVII, p. DLXXXVII. Malala, more suo, fabulas narrat, cum Domitianum in Iouis fano occisum esse, χρονογρ. p. CCCXLVI, commemorat. Nihilominus recte, annum XLV attigisse eum, testatur. Obiit enim, ut e Xiphilino discimus, annos natus XLIII, menses X, dies XXVI.

XXVI. Idem, satis uero similiter, Neruam quoque anno aetatis LXXI expirasse, narrat. *Brutius*, quem ad ∞∞CXII numerum laudat EVsebius, dispiciendum est, an fortasse cum Malalae *Bottio*, uel *Buttio*, idem sit.

NVM. ∞∞CXIIX

Multi Dacorum Reges *Decebali* olim uocati sunt: Hunc uero ipsum rebus cum Romanis gestis clarissimum, libri quidam *Decibalum* uocant, prout scribitur etiam in Trebellii Pollionis XXX tyrannis. De eo Suidam in ΔΕΙΝΟC uide. *Osroenos* scripti codices uarie corrumpunt. Eos nempe primus Palatinus *Afroeticos*, secundus *Asmenos*, tertius *Afroneos*, quartus *Asneos*, nominauit. Sichardus *Asroenos* edidit, adiicitque in margine, forte *Agarenos* e Dione legendum esse. *Adiabenos*, ex eodem apud Xiphilinum Dione, pro *Asraenos*, reposuit Garcia a Loaisa, ad Isidori Chronicum, p. LXIV. Osroenos hos *Osdroenos* uocat Lampridius in Alexandro Seuero, et Capitolinus in Maximinis. Neque aliter fortasse hic legendum, cum in msc. Amandino, quo Miraeus usus est, *Ostroenos* scriptum fuerit. Suidas, OCPOHNH, ὄνομα πόλεως, ἢ τόπε. Meminit et Stephanus in ZHNOΔOTION. Graecos fere semper OCPOHNHN scribere, non OCΔPOHNHN, docuit ad Spartianum Salmasius. Tamen Ioannes Malala, χρονογρ. p. CCCLIX, de Traiano agens, Εποίησε δ', inquit, καὶ τὴν Αμιδαν μητρόπολιν, καλέσας ἐπαρχίαν Μεσοποταμίαν, ἀπομερίσας αὐτὴν ἀπὸ Οσδροΐνης. *Bosporanos* porro inter orientales populos, Arabiae uicinos, recenset EVsebius. Stephanus, et ex eo EVstathius ad Dionysium Afrum, Εστι δὲ καὶ ἄλλη πόλις τῆς Ινδικῆς, Βόσπορος. Apud alios auctores magnum de ea silentium esse notat Thomas de Pinedo. Si lectio uera est, *Bosporani Cimmerii* intelligendi ueniunt. Equidem Chronici Paschalis fide lubentissime hic *Bostrenos* reposuerim. Βοστρηνοὶ, παρὰ τῶν Βόστρων, πόλεως Αραβίας, dicuntur, ut habet Stephanus. Nos sane *Bostra*, a Ptolemaeo inter Arabiae petraeae oppida recenseri, et, teste Chronici istius auctore, per Traia-

Traianum Romano imperio adiecta esse, meminimus. Eam urbem ab AVgusto, per Bostrum AVgusti in Arabas ducem, in urbis modum amplificatam esse, Malala, χρονογρ. p. CCLXXXVIII, prodit. Hoc, si uerum esset, non praetermisisset ullo modo diligentissimus Geographus, et σύγχρονος AVgusti, Strabo, apud quem tamen ne γρὺ ea de re extat. Interim uide Ammianum Marcellinum, lib. XIV cap. XXIV, et, quae Spanhemius, dissert. IX de usu numism., atque Tristanus, tom. II p. CCCCXXVI, et Dufresnius ad Chronicum Paschale, p. DXXXIV notarum, de ea habent. *Seleucia, Ctesiphon, Babylon*, iunguntur, quum sint, ut idem Ammianus, lib. XXIII cap. XX, loquitur, *splendidissimae, et peruulgatae solae, hae Assyriae urbes.* Porro hoc loco EVsebius, eumque sequutus Chronici Paschalis auctor, uno tenore uaria bella recitant, quorum tamen aliqua, uti Parthicum, ultimis demum imperii Traiani annis gesta esse, constat. Vide hanc in rem Antonium Pagium, Crit. Antibaron. Tom. I, p. CIV b. Scripti deinde libri nonnulli habent, *ut per eam Indiae fines uestarentur*, et paullo post, *Opuntiorum et Oricorum*, quasi in Graeco fuisset, Ἑλλάδος κατεπτώθησαν Ὀπουντία καὶ Ὠρικός.

NVM. ∞∞ *CXXXIII*

Primus Palatinus corrupte legit, *ad conferendam disciplinam tutari*, et deinde, *hoc quidem requirendum non esse.* Ceterum non putat EVsebius hoc loco, quod Plinii epistola hoc anno ad Traianum perscripta sit, prout senserunt uiri eruditi, refutati eo nomine a Pagio, Tom. I Crit. in Baronii annales, p. C, sed, tertiae, quam uocat, persecutionis occasione, uno tenore, ut solet, narrauit, quae ad eam uexationem spectabant. In omnibus deinde libris nostris deest, *Periit*, *dum inuisit Vesuuium*, nec habetur in Miraei editione, recteque id abesse, probauit iam olim Scaliger. Paullo inferius libri scripti habent, *Iudaeis in Mesopotamia rebellantibus*,

lantibus, et ſtatim, *ob hoc procurator Lyſiam Quietum.* Syncellus, χρονογρ. p. CCCXLIIX, Λυσίαν Κύντον uocauit. Multa de uaria nominis huius procuratoris ſcriptura ad hunc locum Pontacus, et Scaliger, atque ad Syncellum Goarus, nec non et Caſaubonus ad Spartianum, monuerunt. De aetate Traiani inter auctores non conuenit. Xiphilinus annos LX, menſes X, dies XXIIII, Dio annos LXI, menſes VI, dies XV, EVtropius annos LXII, menſes IX, dies IV, Hieronymus annos LXIII, menſes IX, dies IV, Sextus AVrelius Victor, annos LXIV, Chronicum Paſchale, ex eoque excerpta Scaligeri EVſebiana, annos LXV, Ioannes denique Malala annos LXVI, numerant. Primam Xiphilini opinionem tuetur, ueriſſimamque eſſe contendit Pagius, in annales Baronii, Tom. I Crit. p. CXIV.

NVM. ∞∞ *CXXXV*

OEnomaum Philoſophum male quidam libri *Cenomaum* uocant. Eius nomen in Graecis Georgii culpa, aut librarii, omiſſum eſſe, queritur Scaliger. De Georgio falſum eſt. Nam, χρονογρ. p. CCCXLIX, omnino legitur, Ἕξτος Φιλόσοφος, καὶ Ἀγαθόβουλος, καὶ Οἰνόμαος, ἐγνωρίζετο. Additur deinde ad hunc numerum in primo Palatino periocha, *Alexandrinae eccleſiae quintus conſtituitur epiſcopus an. X Iuſtus.* Eadem habetur etiam in tertio, ſed ibi *an. IX* legitur. Priorem lectionem Syncellus ſequitur, qui, χρονογρ. p. CCCXLIX, Ἀλεξανδρείας, inquit, ϛ΄ ἐπίσκοπος, Ἰοῦστος, ἔτη ί. Nicephorus, συντόμῳ χρονογραφία, p. CCCCXVI, *Iuſtinum* uocat, et per decem itidem annos ſediſſe affirmat. In Miraei quidem editione comparet haec periocha, ſed ibi non recte legitur, *annis XI*, ut patet ex iis, quae diximus.

NVM. ∞∞ *CXXXVI*

Multo emendatior, quam uulgata, primi, tertii, et quarti,

Pall.

Pall. codicum, ac Sichardinae editionis, lectio est, *et Nicenae urbis plurima euersa sunt.* Locutio haec Hieronymo familiaris est, quam tamen supra etiam corruperunt librarii, cum numero XII legebatur, *plurima Babyloniae urbis instaurans*, ut ibi dictum est. Deinde consentiunt historiae. Nicephorus enim Callistus, Nicaeam, et Nicomediam, ab Adriano instauratas esse, tradidit. Ante eum Syncellus, χρονογρ. p. CCCXLIX, ex EVsebio, ut puto, in cuius excerptis, lib. II p. CCXI, habetur, ὁ αὐτὸς, inquit, Νικομήδειαν, σεισμῷ καταπτωθεῖσαν, καὶ Νίκαιαν, πόλιν Βιθυνίας, χρήμασιν ἀνεστήσατο. Nihil ergo clarius, certiusue, esse puto, quam ita, ut restituimus e scriptis libris, legendum esse.

NVM. ∞∞CXLVI

Hymenaeus hic, Alexandriae episcopus, a primo, tertio, et quarto, Palatinis, *EVmenes* uocatur. Neque sane aliter legitur tam apud Georgium Syncellum, χρονογρ. p. CCCL, quam Nicephorum Patriarcham, συντόμου χρονογρ. p. CCCCXVI, tametsi in excerptis EVsebii Scaligeranis, lib. II p. CCXI, ΥΜΕΝΑΙΟΣ habeatur. Paullo post in primo Palatino legitur, *tenente prouinciam Tymo Rufo*, in aliis libris, *Tynio Rufo*. Syncello uocatur Τίννιος Ῥοῦφος. *Chochebas* deinde a primo, tertio, et quarto, PPP. libris, *Bar Chochabas*, prout etiam Miraeus in suis libris inuenit, nominatur. In Syncello legitur, Χοχεβᾶς τις ὁ μονογενής: ubi Goarum uide.

NVM. ∞∞CLIII

AElia, non *Helia*, omnibus scriptoribus uocatur instaurata illa Hierosolyma, etsi ipse Adrianus *Helius* nonnunquam, et Graecis Ἥλιος, nominetur. Saepe enim huius in uocis scriptura a librariis peccatum esse, eruditi non nesciunt, et docet Th. Ryckius ad Tacitum p. CXCV notarum. Pro *sus scalptus* in primo Palatino,

latino, et tertio, mendose legitur *sulcatus*. Lectio etiam uulgata non uidetur esse sanior. Qui enim sus scalptus significare potuit, Romanae potestati Iudaeam subiacere? Ego totum locum lubentissime ita legerim, *AElia, ab AElio Hadriano condita. Est in fronte eius portae, qua Bethleem egredimur, S.C., in marmore prominens, significans, Romanae potestati subiacere Iudaeos. Non nulli a Tito, AEliam, filio Vespasiani, extructam arbitrantur.* Sane non sus scalptus, sed Adriani potius effigies, Hierosolymis constituta, indicare id poterat, quod uoluit Hieronymus. Suidas, ΒΔΕΛΥΓΜΑ ΕΡΗΜΩΣΕΩΣ, τὸν Ἀδριανοῦ τοῦ βασιλέως ἀδριάντα, ὃν ἐν τῇ ΑΙΛΙᾳ στῆσαι λέγεται. Ea tamen lectio, quam dedi, proxime ad inss. uestigia accedit. Haut paullo infra *Taurus Berytius* in primo Palatino, librarii uitio, *Vericius* uocatur. Suidas, ΤΑΥΡΟΣ, Βηρύτιος, φιλόσοφος πλατωνικὸς, γεγονὼς ἐπὶ Αντωνίνου τοῦ εὐσεβοῦς. In eodem *Nicomedensis* uocatur Arrianus, non, *Nicomediensis*, prout a Graeco ΝΙΚΟΜΗΔΕΙΑ formatur ΝΙΚΟΜΗΔΕΥΣ, non, ΝΙΚΟΜΗΔΕΙΕΥΣ. Deinde, ubi legitur, *qui uerissimi*, primus Palatinus habet, *qui uerissime*. Pontacus legit, *qui Veri*. Equidem malim rescribere, *qui Veri seu Marci*, uel potius, *qui Veri et Marci*. Huius enim praeceptor fuit Apollonius Stoicus. Georgius Syncellus, χρονογρ. p. CCCLI, Μάξιμος, inquit, Τύριος, ὁ Ἀπολλώνιος στοϊκὸς (γρ. στωϊκὸς) Χαλκηδόνιος, Βασιλίδης (γρ. Βασιλείδης) Σκυθοπολίτης. οὗτοι καὶ διδάσκαλοι Οὐηρησίμου Καίσαρος γεγόνασι. Vides, in eodem mendo cubare Syncellum, cui hanc periocham fortasse librarius Graecus, latine peritus, e deprauato iam olim codice indidit: uel legendum est, οὗτοι διδάσκαλοι Οὐήρου, ὡσὲὶ καὶ Μου, (τουτέστι, Μάρκου) Καίσαρος γεγόνασι. Chalcedonium non esse Apollonium, confecit ad Capitolini Antoninum Is. Casaubonus, quem uidesis.

NVM. ∞∞ *CLXXIX*

Primus Palatinus legit, *A. Fronto*, quod falsum est. Praenomen

nomen enim ei erat *Cornelio*. Deinde in eodem est, *Seleucia Asiae urbs*, non recte. Editiones habent, *Seleucia Syriae urbs*: scilicet, ut Seleucia illa sit ἡ περὶ τῇ ἐν Συρίᾳ Απαμείᾳ ΣΕΛΕΥΚΟΣ. Iam olim Casaubonus ad Capitolini Verum notauit, legendum esse, *Seleucia Assyriae urbs*. Inde ταχυγράφοι *Seleucia Asiae* oscitabundi excogitarunt. Ammianus Marcellinus, lib. XXIIII cap. VI, *Seleuciam* hanc, *ambitiosum opus Nicatoris Seleuci*, uocat. Atqui non Seleuciam Assyriae, sed Ciliciae, a Seleuco Nicatore nomen accepisse, uoluit Stephanus. Quod si uerum est, sane legendum esset, *Seleucia Asiae urbs*. Sed omnino aut utraque urbs ab eo Seleuco dicta est, aut Stephanus fallitur. Nam Strabo quoque, lib. XVI γεωγρ. p. DCCXXXIIX, Σέλευκον τὸν Νικάτορα τὴν ἐπὶ τῷ Τίγρηδι ΣΕΛΕΥΚΕΙΑΝ τειχίσαι, affirmat. De ea, quum hoc loco sermo sit, Casauboni emendationem omnino sequendam esse, iudico. Ibi enim Parthorum sedes esse, nemo, qui Geographiam ueterem non ignorat, ignorare potest. Vide, quem ante laudaui, Iulium Capitolinum in Vero, et Orosium, lib. VII, cap. XV.

NVM. ∞∞*CCXII*

Bacchylus in primo Palatino deprauate, ut puto, *Braccillus* uocatur. Deinde in primo, tertio, et quarto, Palatinis, *Iudaicum et Sarmaticum bellum* legitur. Neutrum nobis compertum est. *Parthicum, Arabicum et Adiabenicum* cognominatum fuisse Seuerum, docet etiam Spartianus in eius uita. Palatinus primus male *Adiabenus* scribit. Neque enim Drusius *Germanus* est dictus, sed *Germanicus*, neque ipse Seuerus *Britannus*, sed *Britannicus*. *Septizonium* deinde in eodem libro in *Septidonum* conuertitur, prout saepius Z in D a liberariis mutata esse, Claudius Salmasius tam in Plinianis exercitationibus, quam ad Capitolini Antoninum Pium notauit. Ipse tamen, quod mireris, Salmasius, sub fine obseruationum in Spar-

tiani Seuerum, memorat, se in Palatino EVsebio, reuerendae uetustatis libro, *Septizodium* inuenisse, non *Septidonium*, cum tamen *Septidonum* in eo legi, sua manu in codice, quem hactenus usurpauimus, annotarit. *Musanus* deinde, qui ita etiam Hieronymo, de scriptoribus ecclesiasticis libro, uocatur, in eodem primo codice Palatino *Musonius* appellatur. Syncellus, χρονογρ. p. CCCLV, Μασιανὸς, inquit, ἐκκλησιαστικὸς συγγραφεὺς, ἐγνωρίζετο. Paullo post traditur Seuerus mortuus esse *Eburaci*. Male legit primus Palatinus *Oboraci*. Miraeus hanc periocham plane omittit. *Eboraci* eum mortuum esse, Spartianus, EVtropius, alii, uolunt.

NVM. ∞∞*CCLIII*

Maximinum a Pupieno occisum esse, tradit hoc loco Hieronymus. Contra Capitolinus in eius uita, *quiescentem in tentorio a militibus, cum Aquileiam obsideret, occisum esse*, testatur. Censorinum, de die natali cap. LIIII, qui mortem Maximini *ad annum II Olympiadis CCLIV* retulit, AVbertus Miraeus sequitur, et hanc prriocham ad annum Abrahamiticum ∞∞CCLIIII collocat. Suidas in ΜΑΞΙΜΙΝΟC, θηλάτῳ aliqua phthisi eundem tradit correptum esse, ἢ ἑλεεινῶς κατασηπόμενος, τοσάυτην δυςωδίαν ἐξέπεμπεν, ὡς ἀδὲν τῶν ἐν τάφοις διαλυθέντων διαφέρειν. Postea addit, ὁ δὲ, βραχὺ ἐμπνέων, καὶ τενάξας, ἀπέθανε. Non alium, quam nostrum Maximinum, intelligi, probant paullo ante praecedentia Suidae uerba, ΕΥθέως ἂν τὰς φίλους πάντας, οἳ συνῆσαν τῷ Αλεξάνδρῳ σύνεδροι, ἀπεσκευάσατο: Quibus innuitur, de Alexandri Mammaeae successore sermonem esse. In primo Palatino corrupte est, *Maximinus Aquileiae apud Pieuo occiditur*. In numo Tarsensium, apud Tristanum, Μ. ΚΛΟΔ. ΠΟΠΑΗΝΙΟC uocatur. Vide omnino, quae Capitolinus, extremo uitae Maximini iunioris habet. Ea enim a Pupieno Maximinum esse interfectum, plane negant. Syncellus ex EVsebio, ut puto, χρονογρ. p. CCCLXI, ΟΥτος, inquit,

quit, (ὁ Μαξιμῖνος) ἀνηρέθη κακῶς ὑπὸ τῶν στρατευμάτων ἐν Ακυληΐᾳ. Vult his uerbis Syncellus, non tam a Pupieno, quam militibus, Maximinum occisum esse. Statim post *Anteros*, episcopus Romanus, qui in nonnullis editionibus *Antherus* uocatur, in primo Palatino *Atherus* dicitur. At illa prima lectio, quam Syncellus, Niceforus, Anastasius bibliothecarius, aliique, sequuntur, cur sua sede mouenda sit, non perspicio.

NVM. ∞∞*CCLXXXIIX*

Legendum, addit ad hunc locum Salmasius, *Imas* uel *Immas*. Nam sine dubio *Timas* mendosum est. Sane etiam Marianus *apud Immas* legit, quem recte AVbertus Miraeus secutus est. Sed et Syncellus, χρονογρ. p. CCCLXXX, Τότε, inquit, Ζηνοβία κατὰ Ρωμαίων ἐπαίρεται δύναμιν ἀθροίσας πλείστην, καὶ Αἰγύπτου κρατεῖ, Περσῶν ἀνελοῦσα, τὸν ἐκεῖ στρατηγοῦντα Ρωμαίων. Ταύτην τὴν ἀκοὴν Αὐρηλιανὸς μὴ ἐνεγκών, ἔρχεται μετὰ στρατιᾶς, καὶ πλησίον Αντιοχείας τῆς κατὰ Συρίαν, ἐν IMMAIC καλουμένῳ χωρίῳ, τὰς μὲν Παλμυρηνοὺς διαφθείρει, Ζηνοβίαν δὲ χειρωσάμενος, εἰς Ρώμην ἤγαγε, φιλανθρωπίᾳ δὲ χρησάμενος πολλῇ, συνάπτει ταύτην ἐνδόξως ἀνδρὶ τῶν ἐν γερουσίᾳ. Haec fuerunt, lector, quae habuimus ad EVsebium, et quibus pro captu tuo fata sua non erunt defutura.

ΕΙ Δ ΕΘΕΛΕΙΣ ΕΤΕΡΟΝ ΠΟΤ ΕΓΩ
ΛΟΓΟΝ ΕΚΚΟΡΥΦΩΣΩ

ERRATA OPERARVM
ET CVRAE POSTERIORES

PAg. XIX, uerſ. XXII, lege, *Mauſolea.*
P. XXXI, u. IIX, lege, *Ptolemaeos.*
P. XXXII, u. XXV, lege, *ueteres.*
P. LI, u. XXXI, *adde* παρενθετικῶς, Etſi enim non negemus, multa in EVſebio illo, quem laudat Malala, uel interpolata fuiſſe, et a librariis adiecta, uel etiam ab oſcitabundo auctore minus accurate inſpecta proferri, plane tamen ſuppoſititio eius Chronico uſum eſſe, nolim, expenſis, quae ſequuntur, fragmentis, cum Humfredo Hodio, temere affirmare.
P. CIII, u. XIX, lege, *Ptolemaei.*
P. CXXVII, u. IIII, lege, *aſſeruerit?*
P. CXXIX, u. IIX, lege, πρότερον.
u. XXI, lege, διφυής.
P. CXXXII, u. XV, lege, ὀνομάζειν.
P. CX, u. XXV, *adde*, Hanc in ſententiam Varro, de L. L. lib. IIII, *Sunt*, ait, *qui* Tiberis *priſcum nomen Latinum* Albulam *uocitatum, litteris tradunt.* Adde Liuii lib. I, Plinii H. N. lib. III cap. V, Ouidii lib. III Faſtorum, alios.
P. CCXI, u. XXV, lege, ad numerum ∞ CCX.
P. CCXV, u. XXV, lege, addita, abiit.
u. XXXI, lege, maluit.
P. CCLXIX, u. XIIX, lege, *ſucceſſore.*
P. CCLXXXIIX, u. XIIX, adde, Niſi inde legere malis *Oſtracines.* Plinius, lib. V. H. N. cap. XII, *Oſtracine Arabia finitur. Oſtracinae regionis* Solinus meminit. Adde ad Plinium Harduinum, p. DLXI.

Reliqua, ſi qua ſunt, aequum lectorem poſtulant.

INDEX AVCTORVM EMENDATORVM ILLVSTRATORVM NOTATORVM

AFricanus emendatur, 66, ſq. 226. 276. 277.
Alexander Trallianus emendatur, 93.
Ammiani Marcellini lectio uindicatur, 114.
Anonymus περίπλου πόντου ΕΥξείνου ſcriptor emendatur, 87.
Arnobius corrigitur, 205.
Arundellianum marmor emendatur, 201.

BAronii error, 50.
Barthii opinio improbatur, 140.
Baſnagii cenſura nimis rigida, 283.
Beroſus emendatur, 59. 68.
Bernardus, Anglus, notatur, 60.
Bertii ſententia reiicitur, 76. b.
Berkelii emendatio non admittitur, 80. 116. 135. 141.
ſententia exploditur, 147. 192.
Bezae coniectura reformatur, 267.

CAEſaris lectio uaria expenditur, 72. b.
Caluiſii error, 42.
Cappelli ſententia improbatur, 224.
Caſauboni opinio non admittitur, 91. 233.
Catulli lectio uaria examinatur, 140.
Credreni annales notantur, 83. 142. 190.
emendantur, 105. 107.
uerſio corrigitur, 107. 130.
Chronicum Paſchale notatur, 280.
emendatur, 62. 70. a. 73. b. 83. 85. - 94.
Ciceronis locus caſtigatur, 272.
Clemens Alexandrinus explicatur, 164.
Conſtantini Porphyrogennetae lectio corrupta expenditur, 74. b.
alia lectio aſſeritur, 71. b.

DExippi locus recenſetur, 70. - 79.
Diodorus Siculus notatur, 43.

Douiatius notatur, 73. a.
Dufresnius notatur, 78. a. b. 80.
Dupinius notatur, 43.

ETymologici magni lectio defenditur, 116.
EVsebius passim emendatur.
EVstathius notatur, 257.
tentatur, 214.
corrigitur, 168. 211.
Excerpta Chronologica, Malalae annexa, emendantur, 63.

Fabricius notatur, 264.

GOari uersio notatur, 61. 65. 66. 68. 74. a. 77. a. 92. 117. 122. 136. 142. 149. 150. 154. 180. 219. 262.
opinio conuellitur, 81. 134. 195. 196. 226. 234. 245.
Gobelinus Persona emendatur, 112. 157. 172.
Gazae ausum, 264.
Gyraldus notatur, 230.

HArduini coniectura refellitur, 72. b. 217.
Herodotus uindicatur, 248.
Hesychius notatur, 103.
uindicatur, 141.
Hieronymi lectio asseritur, 177.
Hillus, Dionysii Afri interpres, notatur, 103.
Hipponax emendatur, et illustratur, 239.
Hottingeri error, 42.

IOsephi lectio corrupta expenditur, 60. 81.
lectio emendatur, 146. 202. 207.
uersio notatur, 170. 207.

KVhnii emendatio non admittitur, 168.
Kusteri παροίμια, 93.

LIuii locus recensetur, 70. - 77.
de Loaisa emendatio reiicitur, 181.
Lydiati audax coniectura, 220.

MAlala emendatur, 52. 54. 56. 65. 117. 126. 193. 223. 226. 233.
illustratur, 52. 75. b. 157.

nota-

notatur, 53. 54. 83. 117. 161. 163. 170. 190. 227. 245. 280. 282. 287. 289.
suppletur, 222.
tentatur, 188.
Malalae interpres errat, 65. 93. 165.
Marcianus Capella emendatur, 75.
Marshami audax opinio, uel falsa, 172. 176. 220.
Maximus Tyrius tentatur, 264.
Menagii emendatio non admittitur, 258.
Meursius notatur, 201.
Miraeus notatur, 285.
Morelli emendatio non admittitur, 71. b.

NEander notatur, 254.
Numi explicantur, 75. b. 206.

ORaculi Pythiae lectio emendatur, 65. 66.
Orphei περὶ λίθων scriptum an genuinum, 178.
Ortelius notatur, 73. b.

PAusaniae lectio emendatur, 121.
expenditur, 202.
firmatur, 168.
illustratur, 227.
Petauius notatur, 125. 238.
Photii uersio castigatur, 92.
de Pinedo errat, 81. 134. 168. 284.
Plinius maior explicatur, 263.
Plutarchi locus emendatur, 69. 272.
notatur, 248.
recensetur, 77.-79. 227.
Polybius explicatur, 262.
Ptolemaei lectio corrupta, 74. b.

Quintilianus explicatur, 67.

RAderus notatur, 80. 87.
Rufinus notatur, 279.

SAlmasii opinio non admittitur, 71. 144. 288.
Scaligeri sententia improbatur, 43. 44. 63. 102. 135. 159. 182. 197. 226. 229. 247. 280. ib. 290. uindicatur, 134. 195. 210.

Scholiastae, Apollonii explicatur, 160.
Dionysii Afri corrigitur, 168.
Hesiodi. Vide *Tzetzes.*
Homeri breuior notatur, 144. maior: Vide *EVstathius.*
Scylax emendatur, 70. 88. 140.
Seruius emendatur, 117. notatur, 276.
Simson notatur, 225, 244.
Solinus an Polyhistorem scripserit, 278.
Spanhemii παρέργαμα, 262.
Stephani Byzantii lectio emendatur, 87. 102. 142. 212. 233.
explicatur, 75. 81. 276.
firmatur, 138.
notatur, 102, 128. 293.
tentatur, 278.
Strabonis lectio uaria expenditur, 70. 202. 271. tentatur, 240.
Suidas emaculatur, 91. 153. 233. 265. 276.
explicatur, 49. 264. 294.
notatur, 196.
Surita notatur, 278.
Syncelli lectio defenditur, 216.
emendatur, 63. 69. 70. a. 79. 81. 86. 92. 106. 114. 119. 123. 124. 133. 134. 141. 142. 143. 147. 153. 160. 168. 172. 174. 180. ib. 185. ib. 186. 190. 193. 194. 200. 201. 209. 210. 219. 222. 230. 237. 248. 259. 260. 261. 276. 279. 283. 287. 292.
explicatur, 196. 197.
notatur, 135.
tentatur, 175. 270. 281.
uaria lectio expenditur, 192.
uersio castigatur. Vide *Goari uersio.*

THeophrasti lectio firmatur, 151.
Tibulli lectio uindicatur, 63.
Tzetzes emendatur, 259. notatur, 257.

VIrgilii lectio excusatur, 221. uindicatur, 250.
Vsserius notatur, 267.

VVastelii error, 43.

Zonaras, Iosephi compilator, 119.

A 122
362
(755-)
236

SPECIAL 88-B
30201

GETTY CENTER LIBRARY

WILLIAM SALLOCH
Pines Bridge Road
Ossining, N.Y. 10562